BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
12 — G
16

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

48. 4. 2
48
D
41

TRACTATVS DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Digitized by Google

TRACTATVS DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Siue

DE DEO TRINO

Tomus Primus.

Auctore

FR. PETRO DE COMITIBVS ROMANO

Ord. Er. S. Aug. de Ancona

Artium, & Sacræ Theol. Doctore, & Magiſtro, & in Conuentu S. Stephani Venetiarum Regente,

Necnon SS. Officij Conſultore, & Librorum Reuiſore.

Biblio. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, M. DC. LXXX.

Typis Io: Franciſci Valuaſenſis.

Superiorum Permiſſu, & Priuilegio.

Reuerendiſſimo Patri Magiſtro

FR. DOMINICO VALVASORIO MEDIOLANENSI

Totius Ordin. Er. S. Auguſtini Priori Generali

Magiſter Fr. Petrus de Comitibus Romanus Felicitatem.

CVm paucis ab hinc annis mea rationalis philoſophia ſecundam traheretur ad lucem, Reuerendiſſime Pater, tuam voluit obſtetricantem benignita-

tem. Nunc altiùs eucꝭta ad cœlum theologicum, vt propiùs diuiniſſimæ Triados fulgoribus perfundatur, illius profundiſſima arcana, theologico induta ſyrmate, referatura, tuos iterum ſiſtitur ante oculos, præſidium ſimul, & lucem imploratura. Illud, vt tutò valeat per tam ſinuoſos lucubrationum anfractus optatam metam attingere, & hanc, vt obſcuros inter difficillimarum quæſtionum ſemitas, inoffenſo pede, deflexis vtrinque periculis imminentibus, euagari. Neque illi tribuatur audaciæ, quòd à te lumen petat, &

præ-

præſidium; ſiquidem cùm clauo incubes vniuerſæ noſtrę Religionis, tu ſolus poteris præſto eſſe, nè importunis inuidorum clamoribus e cœpto feliciter curſu deuietur; & cùm cathedras doctrinis locupletaueris, ſiquem fortaſſis exorbitet in defectum, tua poterit ſapientia deuiantem reducere ad callem veritatis. Patere igitur, vt ſub tuis auſpicijs lucem adeat publicam vterque tomus de ſanctiſſima Trinitate; ſpero etenim, vt ſi per vitam licuerit, multò maxima per me videre potueris tuo nomini conſecrata. Interea tamen

Deum deprecor trinum, & vnum bonorum omnium largitorem, vt dùm ego alia præparo conſecranda, Te ad alium euehat ſubliniorem ſtatum, adeo vt aſſiduò lætari valeam, tuam virtutem feliciſſimè currere per omnem honorum gradum, quoad vſque videam, eximium tuum meritum in apice dignitatum pleniſſimè coronatum. Vale.

AD

AD LECTOREM.

QVia beatitudo obiectiua eſt Deus trinus, & vnus, hoc eſt Pater Filius, & Spiritus Sanctus, quatenus ratione vnius communis diuinitatis, conſtituunt vnum Deum, qui eſt ſummum, & vnicum illud bonum, in cuius ſolius poſſeſsione quieſcat omnis noſter appetitus rationalis, & ad quod tamquam ad vltimum finem dirigantur omnes noſtræ operationes, ideo vt meliùs percipiatur quidditas, & eſsentia illius beatitudinis,

quam inquirimus, & quam nobis ſperandam proponit catholica fides, agendum eſt de ſummo bono, hoc eſt de Deo trino, & vno. Hic ergo agemus de Deo trino, acturi deinde de Deo vno, poſtquàm de eius prædeſtinatione, hoc eſt de modo, quem ſeruat in nobis tranſmittendis ad æternam felicitatem, diſſeruerimus. Quia tamen copia quæſtionum vnico tomo comprehendi non potuit, ideo tractatum hunc de Sanctiſſima Trinitate explicuimus in duos tomos, in quorum ſingulis habes ſyllabum illarum quæſtionum, quæ in illis agitantur, vniuerſalem tamen indicem materiarum habes tantùm in fine ſecundi tomi. Et hæc eſt ratio, cur ordinem diſputationum, & numerum paginarum continuauimus. Errata maioris momenti habebis ex-

pun-

puncta in fine operis. Alia leniora, ſi quæ fortè inter legendum deprehendantur, cenſui relinquenda correctioni lectorum, nè videlicèt dùm eorum mentem ad altiora vocamus, typographorum ineptijs occupemus. Vnum te monitum volo, benigne lector, aliquando (quod tamen rariſsimè accidit) eamdem difficultatem alibi ſufficienter exactam, iterum ad theologicam lancem reuocari, & (quod caput eſt) ijſdem, vel ſimilibus verbis. Nè mireris; ſiquidem arcanorum profunditas vſque adeo interdùm obtenebrat mentis aciem, vt obortam aliàs cælitùs lucem, ceu fidei candelabrum rursùs applicare cogatur; ea planè ratione, qua tenebricoſæ noctis imagine viam tegente, vel ipſis fulminum prænuncijs, flagrantis aeris

ris repetitis coruſcationibus vt ſe ab erroribus retrahant, vtuntur peregrinantes. Hoc tamen non fecimus ſine exemplo; ſiquidem Auguſtinus, & D. Thomas, (vt de aliis taceam) ſunt adeo frequentes in repetendis doctrinis, & argumentis, vt à parùm verſatis in eorum ſcriptis, immemores aliquando videri potuerint, cùm tamen id de induſtria factitauerint, ne dùm repetitiones religiosè nimis in docendo vitarent, noctem obtruderent obſcuritatis. Quod ergo ab illis cum laude frequentatur, cur mihi eorum diſcipulo aliquando non liceat, vt ſoli ſtudentium bono conſulatur? Vale.

Ma-

Mag. F. Dominicus Valuaſorius Med-totius Ord. FF. Er. S. P. N. Auguſtini Prior Generalis.

HArum ſerie litterarum, & noſtri muneris auctoritate Tibi Reu. Pat. Mag. Fr. Petro de Comitibus Anconitano, & in noſtro Conu. S. Stephani Venetiarum Studiorum Moderatori, ac Regenti, facultatem concedimus, quatenus typis mandare poſſis Tractatum de Auguſtiſſimo Triados Myſterio à te elucubratum, iam à duobus Patribus Magiſtris noſtri Ord. per Nos deputatis diligenter reuiſum, et ſapienter approbatum; ſeruatis tamen ſeruandis, iuxtà Decretum Sacroſancti Concilij Tridentini, et noſtri Ord. ſanctiones, obtentaq; ab eis, ad quos ſpectat, facultate. Datum in Conu. noſt. S.P. Auguſtini de Vrbe die 20. Ianuarij 1680.

F. Dom. Valuaſ. Gen. indig. Or. Er. S. P. A.

Noſtri mun. aff. Sigillo.

Mag. F. Carolus M. Peruſia Med. S. O.

Reg. lib. primo.

NOI

NOI REFORMATORI dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquiſitore, nel Libro intitolato *De Sanctiſſima Trinitate, Authore P. Petro de Comitibus, Ord. Eremitarum S. Auguſtini*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Catholica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo licenza à Gio. Franceſco Valuaſenſe di poterlo ſtampare, oſſeruando gli ordini, &c.

Data li 4. Settembre 1680.

(Aluiſe Priuli Proc. Ref.

(Silueſtro Valier K. Proc. Ref.

Gio. Battiſta Nicoloſi Segret.

INDEX

Diſputationum, & articulorum, qui continentur in hoc 1.to:de Sanctiſſima Trinitate.

DISPVTATIO PRIMA.

De exiſtentia Trinitatis.

AR.1. An poſſit ratione naturali euidenter probari, dari in Deo Perſonarum Trinitatem?

Ar.2. An poſſit ratione naturali certò, & euidenter probari, Trinitatem eſſe probabilem, & non repugnantē lumini naturæ?

Ar.3. Soluuntur argumenta contraria.

Ar.4. An ſuppoſitis principijs fidei, poſſit poſitiuè probari ratione phyloſophica, Trinitatem eſſe poſſibilem, & probabilem?

Ar.5. An poſſit clarè deduci myſterium Trinitatis e ſacris paginis? Vbi an poſſint Hebrai conuinci ad illud admittendum?

Ar.6. Afferuntur omnia loca veteris teſtamenti, quibus obumbratur myſterium Trinitatis, cum interpretationibus Hebraorum.

Ar.7. An poſſit myſterium Trinitatis relationibus theologicis labefactari?

Ar.8. Soluuntur argumenta ſupra allata.

DISPVTATIO II.

De Cognoſcibilitate Trinitatis

AR.1. *An poſſit lumine naturali euidenter cognoſci Trinitas?*

Ar.2. Soluuntur argumenta prò naturali cognoſcibilitate Trinitatis.

Ar.3. Pracipui errores, in quo inciderunt inueſtigantes Trinitatem in via natura.

DISPVTATIO III.

De Veſtigio Trinitatis.

AR.1. *An detur in omnibus creaturis Veſtigium Trinitatis?*

Ar.2. An poſſit per veſtigium cognoſci Trinitas?

DI-

DISPVTATIO IV.

De Imagine Trinitatis.

AR.1. *An imago diſtinguatur à ſimilitudine?*

Ar.2. An in Angelis detur imago Trinitatis?

Ar.3. An detur in homine imago Trinitatis?

Ar.4. An in omni creatura intellectuali detur imago Trinitatis?

Ar.5. An detur imago Trinitatis etiam in irrationalibus?

Ar.6. An imago Trinitatis conueniat homini ſolùm ſecundùm mentem?

Ar.7. An partes imaginis ſint intellectus, memoria, & voluntas?

Ar.8. An imago Trinitatis ſit in anima ſecundùm actum?

Ar.9. An anima rationalis ſemper ſe intelligat?

DISPVTATIO V.

De Proceſſionibus ad intra, vt ſunt in ſe.

AR.1. *An ſint admittenda in Deo proceſſiones ad intra?*

Ar.2. An diuinæ proceſſiones ſint veræ actiones?

Ar.3. An diuinæ proceſſiones ſint actus intellectus, & voluntatis?

Ar.4.

Ar.4. An diuinæ proceſſiones paſſiuè conſideratæ ſint veræ paſſiones?

Ar.5. An diuinæ proceſſiones importent aliquam mutationem?

DISPVTATIO VI.

De Principio actiuo diuinarum Perſonarum.

AR.1. An proceſſiones ſint actiones ſuppoſitorum?

Ar.2. An in diuinis ſuppoſitis ſit potentia actiua ad intra?

Ar.3. An potentia actiua importet formaliter ſolam eſſentiam?

Ar.4. An potentia generatiua ſit ſola relatio?

Ar.5. An potentia generatiua dicat eſſentiam, & relationem?

Ar.6. Soluuntur alia argumenta contraria.

DISPVTATIO VII.

De Notionibus Perſonarum.

AR.1 An verè dentur notiones in diuinis?

Ar.2. An Notiones ſint ſolùm quattuor?

Ar.3. An iure innaſcibilitas excludatur à numero notionum?

DISPVTATIO VIII.

De diuinis relationibus vt ſunt in ſe.

A R.1. *An dentur in Deo relationes ad intra?*
Ar.2. Soluuntur alia argumenta contraria.
Ar.3. An diuinæ relationes ſint ſolùm quattuor?
Ar.4. An relationes diuinæ ſint reales, non ſolùm ſecundùm eſſe in, *ſed etiam ſecundùm eſſe* ad?
Ar.5 Soluuntur poſtrema duo argumenta. Vbi quæritur, an in diuinis Perſonis ſit dependentia vnius ab alia?
Ar.6. An Deus habeat verum, & realem reſpectum ad creaturas?

DISPVTATIO IX.

De Relationibus vt comparatis cum eſſentia.

A R.1. *An poſſit ſuſtineri error Gilberti Porretani de diſtinctione reali ſimpliciter relationum ab eſſentia?*
Ar.2. An ſit vera opinio Durandi de diſtinctione reali modali relationum ab eſſentia?
Ar.3. An relatio diuina diſtinguatur ab eſſentia diſtinctione formali Scotiſtica, ſiue ex natura rei?

Ar.4.

Ar.4. An relationes diſtinguantur ab eſſentia diſtinctione rationis ratiocinata?

Ar.5. An relationes diuinæ diſtinguãtur ab eſſentia virtualiter intrinſecè?

DISPVTATIO X.

De Relationibus vt comparatis cum Perfectione.

AR.1. An relatio vt formaliter talis importet aliquam imperfectionem in Deo?

Ar.2. An diuina relatio vt formaliter talis ponat in Deo poſitiuam perfectionem?

Ar.3. An diuina relatio vt formaliter talis ponat in Deo perfectionem ſimpliciter ſimplicem?

Ar.4. An diuinæ relationes vt formaliter talis dicant perfectionem ſimplicem poſitiuam?

Ar.5. Soluuntur alia argumenta contraria.

DISPVTATIO XI.

De Relationibus vt comparatis cum exiſtentia.

AR.1. An omnes diuinæ relationes habeant vnam, eamdemque exiſtentiam abſolutam?

Ar.2. An diuinæ relationes habeant proprias exiſtentias relatiuas?

Ar.3. Soluuntur fundamenta allata. 109

DI-

DISPVTATIO XII.

De Relationibus vt ad inuicem comparatis.

AR.1. *An ab inuicem realiter diſtinguantur?*
Ar.2.Soluuntur argumenta contraria.
Ar.3.An ſpiratio actiua realiter diſtinguatur à paternitate, & filiatione?
§.1. *Quid ſenſerit D. Thomas de hac quaſtione.*
§.2. *Quid ſenſerit Durandus.*
§.3. *Quid ſenſerit Scotus cum ſuis.*
§.4. *Quid ſenſerint Baſſolus, Henricus, Rada, Riccardus, Sylueſter, Bonauentura, Albertus, & alij.*
§.5. *Quid ſenſerint Egidius, Alexander, & Argentinas.*
Ar.4.Quid poſſit deduci ex definitonibus Eccleſia contra realem diſtinctionem relationum diſparatarum.
§.1. *Examinatur caput* Damnamus, & *axioma, omnia ſunt vnum, vbi non obuiat oppoſitio relatiua.*
§.2. *An poſſit relationibus theologicis labefactari?*
§.3. *An poſſit ſuſtineri opinio Durandi?*
§.4. *An poſſit ſuſtineri opinio Scotiſtarum, de diſtinctione formali, ſeu ex natura rei?*
§.5. *Quid ſit dicendũ in hac materia.*

Ar.5.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ar.5. Reſoluitur ſtatus quæſtionis, & aſſertur vera ſententia de diſtinctione relationum diſparatum.

Ar.6. An generatio tam actiua quàm paſsiua, & ſpiratio paſsiua diſtinguantur ab inuicem per oppoſitionem relatiuam?

Ar.7. An vna relatio producatur ab alia?

Ar.8. An Paternitas, & generatio actiua ſint idem?

DISPVTATIO XIII.

De Relationibus vt comparatis cum Perſonis.

AR.1. An relationes diſtinguantur à Perſonis?

Ar.2. Soluuntur alia argumenta contraria.

Ar.3. An ſola relatio diſtinguat Perſonas?

Ar.4. An relatio diſtinguat perſonas ſecundùm ſpeciem?

Ar.5. An poßit intelligi Perſona ſine relatione?

DISPVTATIO XIV.

De diuinis Perſonis in communi.

AR. An poſſit in Deo admitti ſuppoſitum abſolutum?

Ar.2. Soluuntur alia argumenta prò ſuppoſito abſoluto.

Ar.3.

Ar.3. An poſſit admitti ſemiſuppoſitum abſolutum Caietani? Explicatur eius opinio.
Ar.4. Reſoluitur ſtatus quæſtionis contra Caietanum.
Ar.5. An ſit neceſſarium admittere doctrinam Caietani, ad ſaluandam doctrinam diui Thomæ?

DISPVTATIO XV.

De Perſonis comparatis cum ſubſiſtentia.

AR.1. An ſingulæ diuinæ Perſonæ habeant propriam ſubſiſtentiam relatiuam?
Ar.2. An præter ſubſiſtentias relatiuas, detur etiam in diuinis Perſonis ſubſiſtentia abſoluta omnibus communis?
Ar.3. Reſoluitur ſtatus quæſtionis, & probatur, non dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam.
Ar.4. Soluuntur fundamenta contraria.

DISPVTATIO XVI.

De Perſonis comparatis cum ſuis conſtitutiuis, & diſtinctiuis, ſeu proprietatibus.

AR.1. An diuinæ perſonæ conſtituantur proprietatibus? 161,
Ar.2. Soluuntur fundamenta contraria.

Ar.3. An diuina Perſona conſtituantur proprietatibus abſolutis?

Ar.4. An ſaltem conſtituantur modis abſolutis?

Ar.5, An poſſit ſuſtineri opinio Iacobi de Vite?

Ar.6. An perſonæ conſtituantur, & diſtinguantur per origines?

Ar.7. Soluuntur fundamenta contraria.

Ar.8. An perſonæ conſtituantur relationibus?

Ar.9. An ſpiratio actiua conſtituat Patrem, & Filium per modum proprietatis?

Ar.10. Soluuntur alia argumenta contraria.

DISPVTATIO XVII.

De Proprietatibus vt comparatis cum modo conſtituendi perſonas.

AR 1. An relatio conſtituat perſonam vt forma hypoſtatica?

Ar.2. An ſola oppoſitio relatiua diſtinguat in diuinis?

Ar.3. Soluuntur fundamenta Thomiſtarum allata in 1. ar: pro conſtitutione relationis, vt eſt forma hypoſtatica.

Ar:4: An relatio conſtituat perſonam vt concepta, vel vt exercita?

TRA-

TRACTATVS
DE SANCTISSIMA TRINITATE.

MAteriam habemus præ manibus eò captu difficiliorem, quò magis eius intelligentia ad noſtræ fidei ſtabilitatem eſt neceſſaria. Atque adeo eius notitiam eruemus primò ex diuinis codicibus, & Sanctis Patribus, & deinde quibuſdam veluti iactis fidei fundamentis, theologica trutina, humanarum quoque rationum penſum ad ſingulas quæſtiones expoſtulabimus.

DISPVTATIO I.

De exiſtentia Trinitatis.

QVæremus 1. An poſſit ratione naturali poſitiua euidenter probari, dari in Deo Perſonarum Trinitatē? 2. An ſaltem poſſit probari vt non repugnans, & probabilis? 3. An poſſit clarè deduci e ſacris paginis? Et demum an poſſit rationibus theologicis labefactari?

ARTICVLVS PRIMVS.

An poſſit ratione naturali euidenter probari, dari in Deo Perſonarum Trinitatem?

VIdetur poſſe, vt aliquot ab hinc ſæculis, ſuo tumidus ingenio Raymundus Lullus propugnauit, Primò quia ratione naturali probatur, Deum eſſe actum purum, æternum, & infinitum; aliter includeret imperfectionem potentialitatis, nouitatis, & limitationis in eſſe, quæ Deo repugnant. Sed eſt de

ra-

atione talis actus agere terminum æternum, & infinitum; aliter non ageret æternaliter terminum ſibi adæquatum. Ergo ratione naturali probatur, Deum producere terminum æternum, & infinitum. Sed hic eſt Deus. Ergo probatur, Deum ab æterno producere Deum. Sed hic terminus productus non poteſt habere deitatem diſtinctam, quæ eſſentialiter eſt vnica immultiplicabilis. Ergo probatur, in eadem deitate dari duas formalitates obiectiuas, quarum vna ſit producens, & alia producta, quod dicit Perſonarum pluralitatem.

2. Perfectius eſt habere potentiam producendi ſibi æqualem, quàm non habere; aliter carentia eſſet perfectior, quàm actus, quod repugnat. Sed Deus eſt ens perfectiſſimum, etiam quatenus cadit ſub lumen naturale. Ergo habet huiuſmodi perfectionem, per quam poſſit ſibi ſimilem gignere. Sed in æternis non diſtinguitur poſſe, & eſſe. Ergo ab æterno produxit ſibi ſimile, quod eſt filius. Et idem valet in ordine ad Spiritum Sanctum.

3. Potentia Dei eſt eſſe Dei, vt alibi ſæpè probauimus. Sed eſſe Dei diſtat infinitè à nihilo, per hoc quòd formaliter, & actu inuoluat infinitam perfectionem. Ergo & potentia Dei diſtat infinitè à nihilo per hoc, quòd includat virtualiter infinitam perfectionem, quam poteſt producere. Sed hanc non poteſt producere extra Deum, extra quem non

eſt poſſibilis infinita perfectio. Ergo poteſt producere, & produxit intra Deũ, quod multiplicat Perſonas. Probatur prima conſequentia, quia ſi potentia Dei non poſſet producere infinitum, non diſtaret infinitè à nihilo, quod haberet ſibi annexum. Ergo cùm ſit eſſe Dei, hoc diſtaret infinitè, & non diſtaret à nihilo, quod eſt contradictio.

4. Omne bonum eſt actiuum, & ſui communicatiuum. Ergo ſicut bonum finitum eſt ſui communicatiuum, finito modo, ad terminum finitum, ita & bonum infinitum eſt ſui communicatiuum, infinito modo ad terminum infinitum; aliter modus communicandi non eſſet proportionatus principio communicatiuo. Sed extra Deum non poteſt fieri infinita communicatio. Ergo debet fieri intra Deum per pluralitatem Perſonarum.

5. Agere Dei non diſtinguitur ab eius exiſtere. Sed exiſtere Dei habetur per eſſe Dei. Ergo & agere. Sed quod habetur per eſſe Dei, terminatur ad Deũ; aliter eſſe Dei poſſet alteri communicari, quod implicat. Ergo ſicut exiſtere Dei facit Deum exiſtentem, ita & agere Dei facit Deum productum. Sed hoc non poteſt multiplicare diuinitatem. Ergo multiplicat in illa ſolas Perſonas.

Concluſio, *Non poteſt ratione naturali euidenter probari, dari defacto in Deo Perſonarum Trinitatem.*

Pro-

Probatur, omnis ratio, quæ in via naturæ poſſit certò, & clarè probare exiſtentiam Dei, vel ducitur ex ratione perfectionis ipſius Dei, vel ratione cauſalitatis in creaturas. Sed neutro modo poteſt certò, & euidenter probari exiſtentia Trinitatis. Ergo hæc ratione naturali certò, & euidenter probari non poteſt. Conſequentia eſt euidens. Maior probatur, quia omnis probatio vel eſt ab intrinſecis, tamquàm à priori, in genere cauſæ formalis, vel ab extrinſecis per effectus ad cauſam. Sed illa ducitur ex ratione perfectionis, & hæc ex ratione dependentiæ effectus à cauſa: Ergo omnis probatio per rationem naturalem ducitur alterutro modo. Probatur minor, non poteſt certò deduci diuina exiſtentia, niſi ex cumulo illarum perfectionum, quæ conſtituunt formaliter diuinitatem. *Hæ* autem ſunt ſolùm abſolutæ, omninò circumſcriptis relatiuis, vt fusè probatum eſt in diſput. met. lib. 1. diſput. 2. art. 2. Ergo ratione perfectionis non poteſt clarè probari Trinitas. Sed neque ratione cauſalitatis, quæ adæquatè habetur à diuinitate, tamquàm à principio radicali, & ab omnipotentia, tamquàm à principio proximo, quæ conſtituunt Deum vt vnum. Ergo non procedit à Deo, vt eſt formaliter trino. Vis huius argumenti fuit fusè examinata, & rationibus ſolidata

in tract. de viſione diſput. 1. artic. 1. & 2. Ergo non eſt opus eadem repetere.

Ad 1. Nego minorem. Quamuis enim ratione puri actus, poſſit fortaſſe probari diuina exiſtentia, & fœcunditas ad extra, non tamen probatur fœcunditas ad intra, quæ potiùs rationi puri actus, in via naturæ, videtur repugnare. Quomodo enim lumen naturale dictare poteſt, entitatem in ſe ſimpliciſſimam admittere intrinſecam multiplicitatem? Et in vnica eſſentia indiuiſibili dari realem Perſonarum pluritatem? Ergo hæc ratio ſupponit quod eſt probandum.

Ad 2. Nego maiorem. Vel enim eſt ſermo de æqualitate ſecundùm identitatem naturæ; vel de æqualitate ſecundùm perfectionem participatam? Potentia ad primam datur quidem in Deo, ſed eſt ineſcrutabilis per lumen naturale, nec Lullus probat oppoſitum. Potentia ad ſecundam cognoſcitur quidem, etiam in via naturæ, ſub conceptu omnipotentiæ; illa tamen admiſſa, non probatur exiſtentia Trinitatis, ſed ſola creaturarum poſſibilitas, quæ non facit ad rem. Ad illationem, quòd carentia eſſet perfectior actu, nego ſequelam. Et dico, quòd ſicut non eſt carentia potentiæ in Deo, quòd non poſſit alterum Deum producere extra ſe, ſed eſt ſumma eius perfectio, ratione cuius eſt eſſen-

ſentialiter vnicus; ita non apparet, in via naturæ vt carentia potentiæ, quòd Deus non poſſit plures Perſonas ad intra generare, ſed potiùs apparet vt eius ſumma perfectio, habere entitatem adeo ſimplicem, vt excludat omnem intrinſecam pluralitatem.

Ad 3. Nego conſequentiam, quæ facit tranſitum ab eſſe exiſtentiali, & eſſentiali, ad eſſe cauſatiuum. Ex eo enim quòd potentia Dei ſit idem cum ſuo eſſe, & hoc ſit infinitum, ſecundùm perfectionem entitatiuam, aliud non ſequitur, niſi quod etiam potentia ſit taliter infinita. Deinde licèt ſequeretur, etiam illius infinitas, ſecundùm perfectionem cauſatiuam, adhùc non probaretur, hanc infinitatem expleri, per terminum infinitum ad intra; non ſolùm quia hæc potentia terminatur neceſſariò ad contingentia (vt probabimus) quæ non poſſunt eſſe termini intrinſeci diuinæ fœcunditatis; ſed etiam quia creaturæ ab illa poſſibiles ſunt infinitæ. Ergo omnes collectiuè ſumptæ, conſtituunt extra Deum terminum infinitum, adæquatum talis potentiæ, non probata perſonarum Trinitate.

Ad 4. Nego conſequentiam, Primò quia paritas deſumpta, ſi quid probaret, probaret in Deo infinitas Perſonas; ſicut enim bonitas finita, ratione limitationis in eſſe, habet communicabilitatem limitatam, quoad modum operandi, & terminum operabilem, ita bonitas

infinita, ratione illiminationis in eſſe, habet communicabilitatem infinitam, quoad modum operandi, & terminum operabilem; atque adeo ſicut illa poteſt ſemper producere plura, & plura finita, ita & hæc poſſet ſemper producere plura, & plura infinita. Deinde bonitas finita communicatur ſoli effectui contingenti finito modo. Ergo bonitas infinita comparata cum illa in genere efficientis, deberet communicari effectui contingenti infinito modo, quod repugnat in terminis. Ergo nihil probat, quia nimis.

Ad 5. Nego minorem ſubſumptam. Et dico illud *quod habetur per eſſe Dei* poſſe accipi vel formaliter, vel effectiuè. Si primum, eſt ipſe Deus, qui non terminatur ad ſe, ſed ſubſiſtit in ſe. Si ſecundum, eſt creatura, quæ fit per virtutem Dei. Sed primum, non probat proceſſiones ad intra; & ſecundum probat creationem ad extra. Ergo hinc non probatur Trinitas. Deinde diſtinguo maiorem, agere Dei immanenter non diſtinguitur ab eius exiſtere, concedo: agere tranſeunter, nego. Cùm enim in 7. phyſ. dictum ſit, creationem non diſtingui realiter à termino,& hic ſit creatura, actio Dei tranſiens eſt creatura, licèt eius principium actiuum ſit Deus. Et admiſſa minori, diſtinguo conſequẽs agere Dei immanenter habetur per eſſe Dei, concedo: agere tranſeunter, nego conſequentiam. Quia ergo in via natu-

ræ non probatur, Deo conuenire agere immanenter, ſed ſolùm tranſeunter, ideo per hoc medium non probatur Trinitas Perſonarum.

ARTICVLVS II.

An poſſit ratione naturali certò, & euidenter probari, Trinitatem eſſe probabilem, & non repugnantem lumini naturæ?

MVlta ſunt principia philoſophica, quæ niſi bene intelligantur, videntur euertere myſterium Trinitatis, ex quibus plures perperam philoſophantes inferunt, hoc myſterium non ſolùm vt exiſtens probari non poſſe, ſed neque vt poſſibile, & probabile, poſito quòd illud per lumen philoſophiæ naturalis videatur omninò in terminis implicare. Nos igitur in veri Dei obſequium, tantique cultum myſterij, hæc omnia, quæ contra illud communiter afferuntur, ſolidè prò viribus diluemus. Arguitur ergo.

Primò, dicitur 7. topic. c. 1. *quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe: & quæ differunt in vno tertio differunt inter ſe*. Sed Perſonæ diuinæ ſunt identificatæ cum eadem eſſentia. Ergo, & inter ſe. Præterea eſſentia diuina eſt eidem cum paternitate, cum qua non eſt idem filiatio. Ergo eſſentia, & filiatio diffe-

Ar.5.Reſoluitur ſtatus quæſtionis, & aſſertur vera ſententia de diſtinctione relationum diſparatum.

Ar.6. An generatio tam actiua quàm paſſiua, & ſpiratio paſſiua diſtinguantur ab inuicem per oppoſitionem relatiuam?

Ar.7.An vna relatio producatur ab alia?

Ar.8.An Paternitas, & generatio actiua ſint idem?

DISPVTATIO XIII.

De Relationibus vt comparatis cum Perſonis.

AR.1.An relationes diſtinguantur à Perſonis?

Ar.2.Soluuntur alia argumenta contraria.

Ar.3. An ſola relatio diſtinguat Perſonas?

Ar.4, An relatio diſtinguat perſonas ſecundum ſpeciem?

Ar.5.An poſſit intelligi Perſona ſine relatione?

DISPVTATIO XIV.

De diuinis Perſonis in communi.

AR.An poſſit in Deo admitti ſuppoſitum abſolutum?

Ar.2.Soluuntur alia argumenta prò ſuppoſito abſoluto.

Ar.3. An poſſit admitti ſemiſuppoſitum abſolutum Caietani? Explicatur eius opinio.

Ar.4. Reſoluitur ſtatus quæſtionis contra Caietanum.

Ar.5. An ſit neceſſarium admittere doctrinam Caietani, ad ſaluandam doctrinam diui Thomæ?

DISPVTATIO XV.

De Perſonis comparatis cum ſubſiſtentia.

AR.1. An ſingulæ diuinæ Perſonæ habeant propriam ſubſiſtentiam relatiuam?

Ar.2. An præter ſubſiſtentias relatiuas, detur etiam in diuinis Perſonis ſubſiſtentia abſoluta omnibus communis?

Ar.3. Reſoluitur ſtatus quæſtionis, & probatur, non dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam.

Ar.4. Soluuntur fundamenta contraria.

DISPVTATIO XVI.

De Perſonis comparatis cum ſuis conſtitutiuis, & diſtinctiuis, ſeu proprietatibus.

AR.1. An diuinæ perſonæ conſtituantur proprietatibus? 161,

Ar.2. Soluuntur fundamenta contraria.

Ar.

Ar.3. An diuina Perſona conſtituantur proprietatibus abſolutis?
Ar.4. An ſaltem conſtituantur modis abſolutis?
Ar.5. An poſſit ſuſtineri opinio Iacobi de Vite?
Ar.6. An perſonæ conſtituantur, & diſtinguantur per origines?
Ar.7. Soluuntur fundamenta contraria.
Ar.8. An perſonæ conſtituantur relationibus?
Ar.9. An ſpiratio actiuà conſtituat Patrem, & Filium per modum proprietatis?
Ar.10. Soluuntur alia argumenta contraria.

DISPVTATIO XVII.

De Proprietatibus vt comparatis cum modo conſtituendi perſonas.

AR 1. An relatio conſtituat perſonam vt forma hypoſtatica?
Ar.2. An ſola oppoſitio relatiua diſtinguat in diuinis?
Ar.3. Soluuntur fundamenta Thomiſtarum allata in 1. ar: pro conſtitutione relationis, vt eſt forma hypoſtatica.
Ar.4: An relatio conſtituat perſonam vt concepta, vel vt exercita?

TRA-

TRACTATVS
DE SANCTISSIMA TRINITATE.

MAteriam habemus præ manibus eò capitu difficiliorem, quò magis eius intelligentia ad noſtræ fidei ſtabilitatem eſt neceſſaria. Atque adeo eius notitiam eruemus primò ex diuinis codicibus, & Sanctis Patribus, & deinde quibuſdam veluti iactis fidei fundamentis, theologica trutina, humanarum quoque rationum penſum ad ſingulas quæſtiones expoſtulabimus.

DISPVTATIO I.

De exiſtentia Trinitatis.

QVæremus 1. An poſſit ratione naturali poſitiua euidenter probari, dari in Deo Perſonarum Trinitatẽ? 2. An ſaltem poſſit probari vt non repugnans, & probabilis? 3. An poſſit clarè deduci e ſacris paginis? Et demum an poſſit rationibus theologicis labefactari?

ARTICVLVS PRIMVS.

An poſſit ratione naturali euidenter probari, dari in Deo Perſonarum Trinitatem?

VIdetur poſſe, vt aliquot ab hinc ſæculis, ſuo tumidus ingenio Raymundus Lullus propugnauit, Primò quia ratione naturali probatur, Deum eſſe actum purum, æternum, & infinitum; aliter includeret imperfectionem potentialitatis, nouitatis, & limitationis in eſſe, quæ Deo repugnant. Sed eſt de

ra-

ratione talis actus agere terminum æternum, & infinitum; aliter non ageret æternaliter terminum ſibi adæquatum. Ergo ratione naturali probatur, Deum producere terminum æternum, & infinitum. Sed hic eſt Deus. Ergo probatur, Deum ab æterno producere Deum. Sed hic terminus productus non poteſt habere deitatem diſtinctam, quæ eſſentialiter eſt vnica immultiplicabilis. Ergo probatur, in eadem deitate dari duas formalitates obiectiuas, quarum vna ſit producens, & alia producta, quod dicit Perſonarum pluralitatem.

2. Perfectius eſt habere potentiam producendi ſibi æqualem, quàm non habere; aliter carentia eſſet perfectior, quàm actus, quod repugnat. Sed Deus eſt ens perfectiſſimum, etiam quatenus cadit ſub lumen naturale. Ergo habet huiuſmodi perfectionem, per quam poſſit ſibi ſimilem gignere. Sed in æternis non diſtinguitur poſſe, & eſſe. Ergo ab æterno produxit ſibi ſimile, quod eſt filius. Et idem valet in ordine ad Spiritum Sanctum.

3. Potentia Dei eſt eſſe Dei, vt alibi ſæpè probauimus. Sed eſſe Dei diſtat infinitè à nihilo, per hoc quòd formaliter, & actu inuoluat infinitam perfectionem. Ergo & potentia Dei diſtat infinitè à nihilo per hoc, quòd includat virtualiter infinitam perfectionem, quam poteſt producere. Sed hanc non poteſt producere extra Deum, extra quem non

eſt poſſibilis infinita perfectio. Ergo poteſt producere, & produxit intra Deũ, quod multiplicat Perſonas. Probatur prima conſequentia, quia ſi potentia Dei non poſſet producere infinitum, non diſtaret infinitè à nihilo, quod haberet ſibi annexum. Ergo cùm ſit eſſe Dei, hoc diſtaret infinitè, & non diſtaret à nihilo, quod eſt contradictio.

4. Omne bonum eſt actiuum, & ſui communicatiuum. Ergo ſicut bonum finitum eſt ſui communicatiuum, finito modo, ad terminum finitum, ita & bonum infinitum eſt ſui communicatiuum, infinito modo ad terminum infinitum; aliter modus communicandi non eſſet proportionatus principio communicatiuo. Sed extra Deum non poteſt fieri infinita communicatio. Ergo debet fieri intra Deum per pluralitatem Perſonarum.

5. Agere Dei non diſtinguitur ab eius exiſtere. Sed exiſtere Dei habetur per eſſe Dei. Ergo & agere. Sed quod habetur per eſſe Dei, terminatur ad Deũ; aliter eſſe Dei poſſet alteri communicari, quod implicat. Ergo ſicut exiſtere Dei facit Deum exiſtentem, ita & agere Dei facit Deum productum. Sed hoc non poteſt multiplicare diuinitatem. Ergo multiplicat in illa ſolas Perſonas.

Concluſio, *Non poteſt ratione naturali euidenter probari, dari defacto in Deo Perſonarum Trinitatem.*

Pro-

Probatur, omnis ratio, quæ in via naturæ poſſit certò, & clarè probare exiſtentiam Dei, vel ducitur ex ratione perfectionis ipſius Dei, vel ratione cauſalitatis in creaturas. Sed neutro modo poteſt certò, & euidenter probari exiſtentia Trinitatis. Ergo hæc ratione naturali certò, & euidenter probari non poteſt. Conſequentia eſt euidens. Maior probatur, quia omnis probatio vel eſt ab intrinſecis, tamquàm à priori, in genere cauſæ formalis, vel ab extrinſecis per effectus ad cauſam. Sed illa ducitur ex ratione perfectionis, & hæc ex ratione dependentiæ effectus à cauſa: Ergo omnis probatio per rationem naturalem ducitur alterutro modo. Probatur minor, non poteſt certò deduci diuina exiſtentia, niſi ex cumulo illarum perfectionum, quæ conſtituunt formaliter diuinitatem. *Hæ* autem ſunt ſolùm abſolutæ, omninò circumſcriptis relatiuis, vt fusè probatum eſt in diſput. met. lib. 1. diſput. 2. art. 2. Ergo ratione perfectionis non poteſt clarè probari Trinitas. Sed neque ratione cauſalitatis, quæ adæquatè habetur à diuinitate, tamquàm à principio radicali, & ab omnipotentia, tamquàm à principio proximo, quæ conſtituunt Deum vt vnum. Ergo non procedit à Deo, vt eſt formaliter trino. Vis huius argumenti fuit fusè examinata, & rationibus ſolidata

in tract. de viſione diſput. 1. artic. 1. & 2. Ergo non eſt opus eadem repetere.

Ad 1. Nego minorem. Quamuis enim ratione puri actus, poſſit fortaſſe probari diuina exiſtentia, & fœcunditas ad extra, non tamen probatur fœcunditas ad intra, quæ potiùs rationi puri actus, in via naturæ, videtur repugnare. Quomodo enim lumen naturale dictare poteſt, entitatem in ſe ſimpliciſſimam admittere intrinſecam multiplicitatem? Et in vnica eſſentia indiuiſibili dari realem Perſonarum pluritatem? Ergo hæc ratio ſupponit quod eſt probandum.

Ad 2. Nego maiorem. Vel enim eſt ſermo de æqualitate ſecundùm identitatem naturæ; vel de æqualitate ſecundùm perfectionem participatam? Potentia ad primam datur quidem in Deo, ſed eſt ineſcrutabilis per lumen naturale, nec Lullus probat oppoſitum. Potentia ad ſecundam cognoſcitur quidem, etiam in via naturæ, ſub conceptu omnipotentiæ; illa tamen admiſſa, non probatur exiſtentia Trinitatis, ſed ſola creaturarum poſſibilitas, quæ non facit ad rem. Ad illationem, quòd carentia eſſet perfectior actu, nego ſequelam. Et dico, quòd ſicut non eſt carentia potentiæ in Deo, quòd non poſſit alterum Deum producere extra ſe, ſed eſt ſumma eius perfectio, ratione cuius eſt eſ-

ſen-

ſentialiter vnicus; ita non apparet, in via naturæ vt carentia potentiæ, quòd Deus non poſſit plures Perſonas ad intra generare, ſed potiùs apparet vt eius ſumma perfectio, habere entitatem adeo ſimplicem, vt excludat omnem intrinſecam pluralitatem.

Ad 3. Nego conſequentiam, quæ facit tranſitum ab eſſe exiſtentiali, & eſſentiali, ad eſſe cauſatiuum. Ex eo enim quòd potentia Dei ſit idem cum ſuo eſſe, & hoc ſit infinitum, ſecundùm perfectionem entitatiuam, aliud non ſequitur, niſi quod etiam potentia ſit taliter infinita. Deinde licèt ſequeretur, etiam illius infinitas, ſecundùm perfectionem cauſatiuam, adhùc non probaretur, hanc infinitatem expleri, per terminum infinitum ad intra; non ſolùm quia hæc potentia terminatur neceſſariò ad contingentia (vt probabimus) quæ non poſſunt eſſe termini intrinſeci diuinæ fœcunditatis; ſed etiam quia creaturæ ab illa poſſibiles ſunt infinitæ. Ergo omnes collectiuè ſumptæ, conſtituunt extra Deum terminum infinitum, adæquatum talis potentiæ, non probata perſonarum Trinitate.

Ad 4. Nego conſequentiam, Primò quia paritas deſumpta, ſi quid probaret, probaret in Deo infinitas Perſonas; ſicut enim bonitas finita, ratione limitationis in eſſe, habet communicabilitatem limitatam, quoad modum operandi, & terminum operabilem, ita bonitas

infinita, ratione illiminationis in eſſe, habet communicabilitatem infinitam, quoad modum operandi, & terminum operabilem; atque adeo ſicut illa poteſt ſemper producere plura, & plura finita, ita & hæc poſſet ſemper producere plura, & plura infinita. Deinde bonitas finita communicatur ſoli effectui contingenti finito modo. Ergo bonitas infinita comparata cum illa in genere efficientis, deberet communicari effectui contingenti infinito modo, quod repugnat in terminis. Ergo nihil probat, quia nimis.

Ad 5. Nego minorem ſubſumptam. Et dico Iy *quod habetur per eſſe Dei* poſſe accipi vel formaliter, vel effectiuè. Si primum, eſt ipſe Deus, qui non terminatur ad ſe, ſed ſubſiſtit in ſe. Si ſecundum, eſt creatura, quæ fit per virtutem Dei. Sed primum, non probat proceſſiones ad intra, & ſecundum probat creationem ad extra. Ergo hinc non probatur Trinitas. Deinde diſtinguo maiorem, agere Dei immanenter non diſtinguitur ab eius exiſtere, concedo: agere tranſeunter, nego. Cùm enim in 7. phyſ. dictum ſit, creationem non diſtingui realiter à termino, & hic ſit creatura, actio Dei tranſiens eſt creatura, licèt eius principium actiuum ſit Deus. Et admiſſa minori, diſtinguo conſequẽs agere Dei immanenter habetur per eſſe Dei, concedo: agere tranſeunter, nego conſequentiam. Quia ergo in via natu-

ræ

ræ non probatur, Deo conuenire agere immanenter, ſed ſolùm tranſeunter, ideo per hoc medium non probatur Trinitas Perſonarum.

ARTICVLVS II.

An poſſit ratione naturali certò, & euidenter probari, Trinitatem eſſe probabilem, & non repugnantem lumini naturæ?

MVlta ſunt principia philoſophica, quæ niſi bene intelligantur, videntur euertere myſterium Trinitatis, ex quibus plures perperam philoſophantes inferunt, hoc myſterium non ſolùm vt exiſtens probari non poſſe, ſed neque vt poſſibile, & probabile, poſito quòd illud per lumen philoſophiæ naturalis videatur omninò in terminis implicare. Nos igitur in veri Dei obſequium, tantique cultum myſterij, hæc omnia, quæ contra illud communiter afferuntur, ſolidè prò viribus diluemus. Arguitur ergo.

Primò, dicitur 7. topic. c. 1. *quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe: & quæ differunt in vno tertio differunt inter ſe.* Sed Perſonæ diuinæ ſunt identificatæ cum eadem eſſentia. Ergo, & inter ſe. Præterea eſſentia diuina eſt eidem cum paternitate, cum qua non eſt idem filiatio. Ergo eſſentia, & filiatio diffe-

runt in vno tertio, & per conſequens inter ſe.

2. Ex vi illius principij, quod aſſertur in 1. prior. c. 4. & ſeqq. & toto lib. 2. *dictum de omni, dictum de nullo*, quidquid affirmatur, vel negatur de prædicato, affirmatur, vel negatur de ſubiecto. Cùm ergo de Patre affirmetur Deus, & de Deo affirmetur filius, filius affirmatur de Patre. Præterea cùm negetur filius de Patre, & Pater affirmetur de Deo, de Deo quoque filius negatur. Vel ergo falſificantur hæc principia in Trinitate, quod eſſet naturalem peſſum dare philoſophiam, vel illis admiſſis vt veris, tota euertitur Trias Perſonarum.

3. Syllogiſmus expoſitorius de ſe eſt infallibilis, & euidens, ad cuius veritatem reducitur tota vis ſyllogiſtica. Ergo vel bene concludit hic ſyllogiſmus, *Hæc eſſentia eſt hæc paternitas. Hæc eſſentia eſt hæc filiatio. Ergo hæc paternitas eſt hæc filiatio*; & tollitur diſtinctio Perſonarum; vel malè concludit, & tollitur vis huiuſmodi ſyllogiſmi.

4. Principium intrinſecum identitatis, & vnitatis non poteſt eſſe principium intrinſecum diſtinctionis, & multiplicabilitatis. Cùm ergo Perſona, & eſſentia ſint vnum, & idem in Deo, & illa fundet principium multiplicitatis, & diſtinctionis; hæc autem vnitatis, & identitatis, idem eſt principium identi-

tatis,

tatis, & diſtinctionis, quod repugnat. Vel ergo falſum hoc principium, vel Trinitas improbabilis.

5. Ea quæ ſunt idem virtualiter intrinſecè, non poſſunt ita ſe habere, vt ſi vnum de altero prædicatur, aliud non prædicetur: Cùm ergo paternitas, & formalitas incommunicabilis Filio, & Spiritui Sancto ſint idem virtualiter intrinſecè in Patre, vel eſt verum quòd natura diuina ſit formalitas incommunicabilis Filio, & Spiritui Sancto, ſicut eſt paternitas, quod tolleret eorum diuinitatem, vel in hoc regula fallit, quod euertit philoſophiam, & rationem.

Concluſio, *Non poteſt euidenter poſitiuè probari, ratione purè philoſophica, myſterium Trinitatis eſſe probabile, & non repugnans; poteſt tamen negatiuè.*

Probatur prima pars 1. Idem eſt in diuinis eſſe poſſibile, & exiſtere de facto. Ergo ſi poſſet euidenter probari ratione naturali, Trinitatem eſſe probabilem, adeòque poſſibilem, poſſet etiam euidenter probari rationibus naturalibus, dari de facto Trinitatem, quod in diſputat. aſſeruimus repugnare.

2. Non poteſt euidenter probari probabilitas Trinitatis, niſi habeatur clara, & diſtincta ipſius cognitio. Eſt autem impoſſibile in via naturæ haberi claram, & diſtinctam notitiam Trinitatis, vt videbimus infra. Ergo neque poteſt euidenter probari eius probabilitas.

Dices, Trinitas eſt euidenter, & poſitiuè credibilis. Ergo eſt euidenter, & poſitiuè poſſibilis. Patet antecedens ex tract. de fide, vbi ſtatuitur, omnes articulos fidei eſſe euidenter credibiles. Probatur conſequentia ex oppoſito, quod eſt euidenter impoſſibile, eſt euidenter incredibile. Ergo quod eſt euidenter credibile, eſt euidenter poſsibile.

Diſtinguo antecedens, eſt euidenter credibilis fide diuina, ſuppoſitis principijs fidei, concedo: eſt euidenter credibilis fide humana, non ſuppoſitis principijs fidei noſtræ, nego antecedens, & conſequentiam. Cùm enim euidentia credibilitatis habeatur ex miraculis, teſtimonio ſapientum, confeſsione martyrum, &c. vt probat Auguſt. 12. de ciu. c. 5. vtique non ſuppoſitis principijs fidei, non daretur hæc credibilitas, quia neque crederemus miraculis, neque martyribus, vt faciunt Iudæi; & ideo includit reuelationem intrinſecus ſonantem, vt probat Pallauicinus lib. 3. cap. 4. num. 64. ex diuo Tho. 2. 2. q. 2. ar. 9. & Auguſt. 11. confeſſ. cap. 3. Immò ipſum iudicium euidens credibilitatis vocatur ſupernaturale ibid. cap. 6. n. 130. Vnde patet reſponſio ad probationem conſequentiæ.

Probatur ſecunda pars, poſſunt facile ſolui omnia argumēta, quæ fiunt contra hoc myſterium ineffabile, vt patebit ſolutione obiectionum. Ergo cùm in via naturæ non poſſit euidenter probari

tius impoſſibilitas, ſequitur illud eſſe, euidenter, ſaltem negatiuè, probabile, & poſſibile, quatenùs videlicèt non poteſt oppoſitum euidenter probari. Rationem à priori affert Concil. Later. ſeſ. 6. *Omnia ſiquidem argumenta fallacia ſunt, & ſolubilia, cùm verum vero non repugnet.*

Dices, in æternis idem eſt poſſe, & eſſe. Ergo ſi in via naturæ poteſt probari Trinitas vt poſſibilis, poteſt etiam probari vt exiſtens. Sed ſi probatur vt non repugnans, probatur vt poſſibilis. Ergo vt exiſtens.

Diſtinguo minorem ſubſumptam, ſi probetur poſitiuè, & euidenter vt non repugnans, probatur euidenter vt poſſibilis, concedo: ſi probetur negatiuè, & ſolùm probabiliter vt non repugnans, probatur euidenter vt poſſibilis, nego minorem, & conſequentiam. Cùm ergo argumentum procedat ex poſſibilitate ad exiſtentiam, vtique in eodem gradu debent eſſe probatio poſſibilitatis, & illatio exiſtentiæ. Atque adeo cùm ſolùm negatiuè, & probabiliter probetur poſſibilitas Trinitatis, probabiliter etiam, & negatiuè tantùm probatur eius exiſtentia, quatenùs probatur, non poſſe euidenter probari talis exiſtentiæ repugnantiam.

ARTICVLVS III.

Soluuntur argumenta contraria.

AD 1. Dico, illud principium affirmatiuum, *quæ ſunt idem cum tertio, &c.* non verificari, niſi ſit ſermo de identitate adæquata, & omnibus modis. Cùm ergo inter naturam diuinam, & Perſonas non detur identitas adæquata, ſed ſolùm inadæquata, non quòd tota eſſentia non communicetur omnibus, & ſingulis Perſonis, ſed quòd cum tota illa non communicetur totum illud, quòd eſt in illa; ideo in diuinis, principium illud non valet. Habemus de hoc euidentes inſtantias, etiam in creatis. Nam hic ſyllogiſmus, *homo eſt idem realiter cum animali, cum quo eſt idem realiter equus. Ergo homo eſt idem realiter cum equo,* non bene concludit, quia homo, & equus non ſunt idem adæquatè cum eodem animali, quod eſt tertium. Neque bene concludit hic alius, *manus, & pedes ſunt idem loco cum eadem anima rationali. Ergo manus, & pedes ſunt in eodem loco;* eò quia faciat tranſitum, ex identitate inadæquata ad adæquatam. Ergo neque valet hic, *paternitas eſt idem cum eſſentia, cum qua eſt idem filiatio. Ergo paternitas, & filiatio ſunt idem,* propter ſimilem tranſitum. Quod idem affero de illo principio negatiuo, *quæ differunt, &c.* In rebus autem creatis,

tis, quia omnia ſunt finita, & limitata, non poteſt accidere, quòd vnum identificetur cùm alio, & non identificetur adæquatè; & ideo non poteſt admitti diſtinctio virtualis intrinſeca, vt fusè probaui in logica lib. 2. diſp. 3. per totam. Quòd ſi aliquis probaret oppoſitũ in aliquo, neque reſpectu illius valerent hæc principia, vt in allatis. Philoſophus ergo propoſuit illa ſolùm in creatis. Ergo in Deo non poſſunt valere, niſi quatenùs hic conſideratur vt apparet in creaturis, cuiuſmodi ſolùm fuit conſideratus à Philoſopho, qui numquam cognouit illum, vt eſt in ſe trinus, & vnus.

Vnde patet reſponſio ad 2. Et dico, illa principia *dictum de omni, dictum de nullo* verificari ſolùm in illis prędicationibus, in quibus prædicatum, accipitur adæquatè, non autem in ijs, in quibus accipitur inadæquatè. Quando ergo dicitur, *pater eſt Deus*, quia ly *Deus* non accipitur adæquatè, ideo poteſt de illo affirmari filius, quin affirmetur de Patre. Et idem dico de negatiuis. Ex eo enim quòd filius negetur de Patre, de quo affirmatur Deus, non ſequitur, Deum negari de filio, quia ly *Deus* non accipitur vniuerſaliter prò omni eo, quod dicit, ſecundùm identitatem adæquatam. Sicut enim non valet hæc illatio, *Paulus eſt homo, Petrus non eſt Paulus, ergo Petrus non eſt homo*, quia ly *homo* non accipitur vniuerſaliter in maiori, aliter Paulus eſſet omnis homo; ita nec valet

illa

illa *Filius eſt Deus, Pater non eſt Filius, ergo Pater non eſt Deus*, quia cùm Filius non ſit totum id, quod eſt Deus, aliter eſſet omnis perſona Deus, ideo ly *Deus* non accipitur vniuerſaliter, & adæquatè in maiori.

Ad 3. Nego conſequentiam. Et dico, ſyllogiſmum expoſitorium infallibiliter concludere, ſi non habeat terminos formaliter diuerſos, per diuerſam ſuppoſitionem. Cùm ergo diuina eſſentia aliquando ſupponat prò omnibus perſonis, & aliquando prò vna, vel duabus, ideo ex multiplicitate terminorum formalium, deſtruitur eſſentia huiuſmodi ſyllogiſmi. Quòd ſi ſupponamus, terminos accipi ſemper ſecundùm eamdem ſuppoſitionem formalem, etiam in Deo bene concludit. Quare cum dicitur, *hac eſſentia eſt hac paternitas: hac eſsētia eſt hac filiatio, ergo hac paternitas eſt hac filiatio*; vel ly *hac eſſentia* ſupponit in maiori prò ſola paternitate, vel etiam prò filiatione? Si primum, vel retinet eamdem ſuppoſitionem in minori, vel non? Si retinet, falſa eſt minor, nam hæc eſſentia vt ſupponens prò ſolo patre, non eſt filiatio. Si non retinet, ſunt quattuor termini, adeòque deſtruitur forma ſyllogiſtica; ſiquidem hæc eſſentia, vt ſupponens prò ſolo patre, eſt diſtincta ab hac eſſentia, vt ſupponente prò ſolo filio. Quòd ſi ly *hac eſſentia* ſupponat in maiori, non prò ſola paternitate, ſed etiam prò filiatione, falſa eſt illa maior,

cò

eò quia paternitas non ſit hæc eſſentia, quatenùs eſſentia ſupponit prò filiatione. Bene ergo Bellarminus tom. 1. controu. 2. lib. 2. c. 18. negat, hunc ſyllogiſmum eſſe expoſitorium. Ratio ipſius eſt, quia cùm eſſentia habeat rationem termini communis, reſpectu Patris, & Filij, æquiualet huic, *aliqua eſſentia eſt paternitas, aliqua eſſentia eſt filiatio.* Sicut ergo non eſſet expoſitorius, & malè concluderet hic, *aliquis homo eſt Petrus, aliquis homo eſt Paulus. Ergo Petrus eſt Paulus*; ita nec valet ille. Ratio à priori eſt, quia in ſyllogiſmo expoſitorio medium debet eſſe omninò ſingulare, & ſupponere prò vno tantùm. Ergo non poteſt ſupponere prò pluribus, vt accidit in allato. Quare vel ſyllogiſmus hic applicatus Deo non retinet ſuam formam, quia multiplicat terminos, vel concludit etiam in Deo, & nihil officit Trinitati. Videatur in diſp. met. lib. 1. diſp. 2. ar. 4. vbi impugnantes diſtinctionem formalem Scotiſticam, fusè ſoluimus hoc argumentum.

Ad 4. Diſtinguo antecedens, non poteſt hoc accidere in creatis, concedo: in diuinis, nego antecedens, & conſequentiam. Et ratio eſt, quia cùm in creatis nō reperiatur diſtinctio virtualis, intrinſeca, non poteſt fieri, vt idem prædicatum ſit realiter principium diſtinctionis, & identitatis; ſiquidem non poſita tali diſtinctione, ex idētitate reali vtriuſque principij, ſequeretur etiam eorum iden-

identitas formalis, quæ repugnat. Hoc autem non militat in Deo, in quo propter diſtinctionem virtualem intrinſecàm, poſſunt principium diſtinctionis, & principium identitatis, realiter identificari, retenta ſemper diſtinctione formali, reſultante ex diſtinctione virtuali. Atque adeo poſſunt perſona, & eſſentia eſſe realiter idem in Deo, quamuis illa fundet multiplicitatem, & diſtinctionem, & hæc identitatem, & vnitatem, quia non ſunt idem omnibus modis, & adæquatè.

Ad 5. Nego conſequentiam. Et dico, paternitatem, & formalitatem incommunicabilitatis, eſse quidem virtualiter intrinſecè ſecum idenficatas, non autem cùm eſsentia; & ideo poſse, & debere vtramque negari de filio, non autem eſsentiam, quæ licèt ſit realiter idem cùm vtraque, tamen ab vtraque diſtinguitur virtualiter intrinſecè.

ARTICVLVS IV.

An ſuppoſitis principijs, fidei, poſſit poſitiuè probari ratione philoſophica, Trinitatem eſſe poſſibilem, & probabilem?

Videtur non poſſe, vt plures aſſerunt, Primò quia ſuppoſitis principijs fidei, Verbum procedit per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem. Sed velle, & intelligere ſunt actus immanen-

nen-

nentes. Ergo nihil producunt, dicente Philoſopho 9. met. c. 16. illos eſſe ſteriles; atque adeo non dantur in Deo hæ perſonæ, vt inter ſe diſtinctæ.

2. Relatio non diſtinguit Perſonas, niſi vt diſtinguitur ab eſſentia. Sed relatio non diſtinguitur realiter ab eſſentia, ſed ſola ratione. Ergo neque diſtinguit realiter Perſonas, ſed ſola ratione. Confirmatur, vel tota realitas, quæ eſt in Patre, eſt etiam in filio, vel non? Si primum, ergo Pater, & Filius realiter non diſtinguuntur. Si ſecundum, ergo aliqua res eſt in Patre, quæ non eſt in Filio; adeoque non ſunt vnus, & idem Deus.

3. Tàm intellectus, & voluntas, quàm intellectio, & volitio ſunt idem in Deo. Ergo etiam Verbum, & Amor, ideſt filius, & Spiritus Sanctus ſunt idem in Deo. Probatur conſequentia, ab vno non procedit, niſi vnum. Idem valet de Patre reſpectu Filij, quia ſicut intelligens, & intellectio ſunt idem, ita & Pater, & Filius. Et idem valet de amante, & amore. Ergo non datur diſtinctio Perſonarum.

Confirmatur, vel Filius intelligit, vel non? Si primum, ergo producit notitiam, ſeu Verbum, adeòque datur Verbum Verbi, quod facit quaternitatem. Si ſecundum, ergo non eſt Deus, quia caret hac maxima perfectione. Idem dico de Spiritu Sancto. Nam vel amat, & producit amorem, adeòque datur amo-

ris

ris amor. Si non amat, non eſt Deus, quia non eſt volitiuus.

4. Nihil eſt in Deo, niſi eſſentia, & relatio. Sed neutrum generat, aut generatur. Ergo non ſunt plures Perſonæ. Confirmatur primò, Verbum non eſt ſimile intelligenti, ſed rei intellectæ. Ergo non eſt Filius patris intelligentis. Confirmatur 2. Spiritus Sanctus vel procedit ſimilis Deo patri in eſſentia, vel diſſimilis? Non ſimilis, quia eſſet filius. Neque diſſimilis, quia non eſſet Deus. Ergo non ſunt tres Perſonæ.

5. Generare eſt ſumma perfectio in viuente. Sed Filius non habet hanc perfectionem. Ergo non eſt æqualis Patri illam habenti. Præterea productum dicit intrinſecè dependentiam ab alio, à quo producitur, reſpectu cuius eſt poſterius natura. Sed Deus eſt ex ſe eſſentialiter independens, & nullo poſterior. Ergo cùm filius ſit productus, non eſt Deus. Et idem valet de Spiritu Sancto. Vnde corruit Trinitas in ſenſu Catholicorum.

Concluſio, *Suppoſita notitia, quam habemus de Trinitate ex principijs fidei, poteſt etiam poſitiuè ſuaderi, ratione purè naturali, eius probabilitas, & poſſibilitas; immò & exiſtentia actualis.*

Probatur, ſuppoſitis principijs fidei, poſſumus lumine naturali multas inueſtigare rationes, quibus ſi non euidenter, ſaltem valde congruenter, & probabiliter concludatur priùs poſſibilitas, & dein-

deinde exiſtentia Trinitatis. Poſſumus enim ratione infinitatis ſecundùm perfectionem, ponere in Deo diſtinctionem virtualem intrinſecam, ratione cuius diuina eſſentia ita identificetur realiter cum tribus ſuppoſitis, vt non tamen identificetur adæquatè cum ſingulis ex illis, ſed ſolùm inadæquatè, inadæquatione ſe tenente ex parte ipſorum ſuppoſitorum. Poſita autem hac diſtinctione virtuali intrinſeca, poteſt bene deduci poſſibilitas, immò & exiſtentia Trinitatis in ſenſu catholico Ergo poſitis principijs fidei, poſsumus ratione purè naturali, etiam poſitiuè probare poſibilitatem, & exiſtentiam Trinitatis.

Præterea cùm conſtet lumine naturæ, proprium eſse boni infiniti eſse infinitè ſui communicatiuum, poſsumus hinc deducere, potuiſse Deum ſe infinitè ad intra communicare per intellectum, & voluntatem; atque adeo cùm poſse ad intra in Deo ſit idem ac eſse, poſsumus deducere, ſe actu communicare. Sed communicatio ad intra per intellectum, & voluntatem non poteſt fieri, niſi per notitiam, & amorem, ideo poſsumus deducere dari defacto in Deo tres Perſonas, nempe Patrem intelligentem, Verbum intellectum, & Amorem ab vtroque ſpiratum. Hoc autem argumentum quamuis nihil valeat independenter à fide, tamen ſuppoſitis principijs fidei, eſt valde efficax ad probandam Trinitatem.

De-

Demum, ſuppoſitis principijs fidei, poſsunt rationibus naturalibus ſolui omnia ſophiſmata, quæ poſsunt excogitari contra Trinitatem. Ergo poteſt ſufficienter, ſaltem negatiuè probari, Trinitatem non repugnare lumini naturali, adeòque eſse logicè poſſibilem. Sed hinc poteſt intellectus aſsurgere ad inueſtigandas rationes quibus probet exiſtere Trinitatem. Ergo etiam poſitiuè poteſt illa probari, vt exiſtens, ſaltem probabiliter.

Ad 1. Nego conſequentiam, quæ non bene deducitur ex illis præmiſſis. Ad auctoritatem Philoſophi dico, illum locutum fuiſse de actibus immanentibus creatis, qui cùm ſint realiter diſtincti à ſuo principio productiuo, non ſunt de prædicamento ſubſtantiæ; & ideo cùm ſint eſsentialiter fluentes, non poſsunt producere terminum remanentem poſt illos. In Deo autem quia ſunt indiſtincti à ſuo principio, ſunt ſubſtantiales, & permanentes; & ideo producunt terminum ſubſtantialem, & permanentem, cuiuſmodi eſt Verbum reſpectu intellectionis, & amor reſpectu volitionis. Ergo licèt in creatis ſint ſteriles, in Deo ſunt fæcundi. Quòd autem locutus fuerit ſolùm de creatis, patet euidenter ex eo, quòd actuum diuinorum vſque adeo rudem habuit notitiam, vt non valens percipere exiſtentiam actuum liberorũ in Deo, ad illos prorsùs abigendos ab ente neceſſario, Deum fecerit neceſſarium

in agendo ad extra, quod vt erroneum ab omnibus damnatur, & à nobis in 7. phyſ. diſp. 1. ar. 3. ex profeſſo fuit impugnatum.

Ad 2. Nego maiorem; neque enim relatio diſtinguit Perſonas, ſicut ipſa diſtinguitur ab eſſentia, ſed ſicut ipſa eſt formaliter in ſe. Cùm ergo in ſe formaliter ſit exiſtens realiter, ideo diſtinguit realiter Perſonas. Ad primam confirmationem dico, duplicem dari in Deo realitatem, nempe abſolutam, & relatiuam. Si ergo ſermo ſit de realitatibus abſolutis, tota realitas, quæ eſt in Patre, eſt etiam in Filio; & viceuerſa; ſecùs autem de relatiuis. Non eſt autem abſurdum, aliquam realitatem relatiuam eſſe in vna Perſona, quæ non ſit in alia. Nam ex hoc ſolùm ſequitur, in Deo eſſe tria relatiua, non autem tria abſoluta; & ideo accipiuntur adiectiuè, & in genere neutro, non verò ſubſtantiuè, & maſculinè. Quomodo autem poſſit contingere, quòd tria relatiua diſtinguantur ab inuicem realiter, & non ab eſſentia, hoc eſt punctum difficultatis. Redditur autem credibile per hoc, quòd in diuinis ſola relatio veram affert diſtinctionem, abſque vlla multiplicatione perfectionum. Et ratio à priori eſt, quia purum *eſſe ad* ex vna parte dicit oppoſitionem, vnde ſequitur diſtinctio ab oppoſito; & ex alia non dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem, vnde ſequitur diſtinctio

ab

ab eſſentia. Et ideo diuinæ Perſonæ omnes, & ſingulæ dicunt omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices, ratione quarum identificantur cum eſsentia, & ſingulæ dicunt proprias perfectiones ſimplices, per quarum diſcrepantiam ab inuicem diſtinguuntur, vt fusè probatum eſt in diſp.met.lib.1.diſp.2.ar.3.

Ad 3. Primò diſtinguo antecedens, intellectus, & voluntas abſoluti ſunt idem in Deo, concedo: notionales, nego antecedens. Et idem dico de intellectione, & volitione. Et nego conſequentiam, quia diſtinctio Perſonarum non habetur per abſoluta, ſed per notionalia, vt diximus in diſp.met.lib.1.diſp.2.ar.4. Deinde nego conſequentiam. Sicut enim ex eo quòd principium aſsentiendi ſit idem in nobis cùm principio diſsentiendi, non ſequitur, quòd aſsenſus, & diſſenſus ſint idem inter ſe; quòd etiam dico de principijs amandi, & odio habendi; ita ex eo quòd principium volendi ſit idem in Deo cum principio intelligendi, non ſequitur, quòd volitio, & intellectio notionales ſint vnum, & idem. Illud ergo effatum *ab vno non procedit niſi vnum*, debet intelligi de proceſſione ad extra, cuiuſmodi fuit productio mundi, non autem de proceſſione ad intra. Ad inſtantiam de intelligente, & intellectione dico, ex illa aliud non probari, quàm realem identitatem inter eſsentiam, & Perſonas, ſeu relationes, non autem inter vnam relationem

&

& alias. Eſto igitur, intelligentem, & intellectionem eſse vnum, & idem, & volentem eſse idem cum volitione, non tamen ſequitur, quòd terminus intellectionis ſit idem cum termino volitionis, loquendo de intrinſecis.

Ad confirmationem admitto, Verbum intelligere, nego tamen producere aliud Verbum, dicente Auguſtino 15. de Trin. c. 14. *ſciunt inuicem Pater, & Filius, ſed ille gignendo, iſte naſcendo.* Pater ergo intelligit producendo intellectionem, & Filius intelligit illam accipiendo, cum hoc diſcrimine, quòd Pater dando Filio intellectionem abſolutam, producit notitiam ſeu verbum, quod eſt intellectio notionalis filij; Verbum autem illam accipiendo, non producit notitiam, ſeu verbum, quia non producit aliam intellectionem notionalem, quam tribuat Spiritui Sancto, quem ſpirat, non intelligendo, ſed amando. Sicut ergo Pater dando Filio intellectionem abſolutam producit notionalem, ita Pater, & Verbum dando Spiritui Sancto amorem abſolutum, producunt notionalem. Atque adeo cùm Verbum per ſuam intellectionem notionalem non fęcundetur, licèt ſe intelligat illam retinendo, ideo non producit aliud Verbum. Pater autē quia ita ſe intelligit intellectione notionali, vt per talem intellectionem fæcundetur, ideo producit Verbum. De his autem fuſiùs infra.

Ad 4. Diſtinguo minorem, eſsentia,

& relatio non generant, ſi accipiantur ſeorſim, concedo: ſimul ſumptæ, nego minorem, & conſequentiam. Sicut enim in creatis partes ſeorſim ſumptæ non generant, ſed ſimul, nam homo generat, & non anima, ſeu materia; ita in diuinis Perſona generat *vt quod*: eſſentia illam conſtituens generat *vt quo*: & relatio eſt conditio, ſine qua non eſset generatio. Ad 1. confirmationem retorqueo argumentum, Verbum eſt ſimile ipſi Patri generanti. Ergo eſt eius Filius. Probatur antecedens, Deus per Verbum ſe ipſum intelligit. Sed Verbum eſt ſimile rei intellectæ. Ergo eſt ſimile ipſi Deo. Neque obſtat, quòd Verbum non ſit ſimile Patri vt intelligenti, ſed vt intellecto; nam ſimilitudo debet eſse in natura, non autem in relatione, ſeu proprietate. Ad 2. dico, Spiritum Sanctum produci quidem vt ſimilem in natura, non tamen eſse filium, quia non producitur vt natus, ſed vt datus, vt aſseritur ab Aug. lib. 5. de Trin. c. 14. & nos ſuo loco probabimus. Præterea diuus Tho. 1. p. q. 27. ar. 4 & q. 10. de pot. ar. 2. ad 22. ait, filium eſse filium, quia eſt ſimilis generanti, ex vi productionis, quod non conuenit Spiritui Sancto. Ratio verò, quam aſſignat, eſt, quia filius procedit per intellectum, qui habet aſſimilare obiectum intelligenti; at Spiritus Sanctus per amorem, qui non habet ex ſua natura aſſimilare obiectum amanti, ſed potiùs

tiùs

tiùs amantem obiecto. Ergo non eſt par ratio quidquid ſit de veritate aſſumpti.

Ad 5. Primò diſtinguo maiorem, generare eſt perfectio ſimplex, & relatiua, concedo: eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & abſoluta, nego maiorem. Sicut enim relatio, vt relatio formaliter, non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ita & generatio, vt generatio. Et admiſſa minori, nego conſequentiam; cùm aliud hinc non ſequatur, niſi quòd filius non habeat relationem paternitatis, & viceuerſa, quòd vtique concedimus. Deinde nego conſequentiam. Quamuis enim generatio eſſet formaliter perfectio ſimpliciter ſimplex, & hæc formaliter nō eſſet in filio, non tamen hinc ſequeretur inæqualitas, quia eſſet in illo virtualiter, per incluſionem generationis paſſiuæ, quæ non eſſet minoris perfectionis, quam generatio actiua. Neque obſtat, quòd hæc perfectio eſſet formaliter in Patre, & ſolùm virtualiter in filio; nam etiam in filio eſſet formaliter perfectio generationis paſſiuæ, quæ in Patre eſſet ſolùm virtualiter. Ergo adhùc ſeruaretur æqualitas. Quia tamen perfectio ſimpliciter ſimplex eſt abſoluta, & omnibus communis, ideo proprietates Perſonales non poſſunt dicere tales perfectiones, vt fusè probauimus in diſp.met.lib.1.diſp.1.ar.5.

Ad confirmationem de dependentia, nego maiorem. Et dico, in creatis ideo productum pendere à producente, quia

accipit ab illo naturam diſtinctam, & ideo eſt verus eius effectus, & poſterior natura. Ac in diuinis quia quòd producitur, accipit eamdem numero naturam, quam habet producens, ideo neque ab illo dependet, neque eſt natura poſterius, quamuis ſit poſterius origine, per multiplicationem ſolius relationis, quarum producta eſt ſimul natura cum producente, & vtraque eſt neceſſaria, per identitatem realem cum eadem diuina natura.

ARTICVLVS V.

An poſſit clarè deduci myſterium Trinitatis è ſacris paginis? Vbi an poſſint Hebræi conuinci ad illud admittendum?

CLaram Trinitatis notitiam hauriri ex nouo teſtamento, nullus dubitat ex theologis. Ad cuius euidentiam afferuntur in medium, Primò illud Matth. 28.19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* 2. Io: in Ep. can.c.5.7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* 3. Io: 15. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Quibus poſſent addi multa alia. Sed quia ex his clariſſimè apparet Trinitas Perſonarum; ideo non eſt neceſſe confugere ad alia

lo-

loca. Quibus diuinitùs edocta Eccleſia, ſimul coacta in Concilio Niceno, iuſſit recitari in ſymbolo fidei, *Credo in Deum Patrem, &c. & in Ieſum Chriſtum filium eius vnigenitum, &c. & in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, &c.* Et in ſymbolo S. Athanaſij, *Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filij, & alia Spiritus Sancti. Sed Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vna eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas.* Et infra, *& tamen non tres Dij, ſed vnus eſt Deus.* Difficultas ergo eſt ſolùm de veteri teſtamento, ex quo plures contendunt, Hebræorum nonnullos deriuaſſe claram, & diſtinctam notitiam Trinitatis. Quare tria hìc reuocabimus in quæſtionem. Primum eſt, an in veteri teſtamento contineatur diſtincta reuelatio Trinitatis? Secundum, an vllus Hebræorum verè illam habuerit? Et tertium, an poſſint Hebræi conuinci e diuinis ſcripturis, ad admittendam Trinitatem? Quæ omnia ſingula ſingulis concluſionibus diluemus.

1. Concluſio, *nuſquam in veteri teſtamento habetur clara, & diſtincta reuelatio Trinitatis.*

Probatur 1. A poſteriori, quia quamuis multi infinita loca congerant, ex quibus conantur eruere claram, & diſtinctam notitiam Trinitatis, tamen verè, præciſo lumine noui teſtamenti, nullus ex illis aliud probat, quàm cognitionem aliquam ſubobſcuram, & adumbratam

talis myſterij, vt patebit infra. Ergo ex ſolo veteri teſtamento non poteſt hauriri clara, & diſtincta notitia, ſeu reuelatio Trinitatis.

2. A priori, Hebræi erant adeo procliues ad idololatriã, vt ſi Deus illis clarè propoſuiſſet hoc myſterium, diuinas Perſonas tamquam tres Deos illicò adoraſſent. Cùm ergo hanc Deorum Trinitatem non adorauerint, eſt ſignum infallibile, Hebræos (excæptis paucis, de quibus infra) non cognouiſſe explicitè Perſonarum Trinitatem, vt optimè intulit Bellarminus to.1 controu.1.lib.2. c.6. Cognouiſſent autem, ſi fuiſset explicitè reuelata Trinitas in veteri teſtamento, cuius erant expertiſſimi. Ergo hoc myſterium non fuit in illo explicitè reuelatum.

2. Concluſio, *Probabile eſt, nonnullis Hebræorum fuiſſe explicitè reuelatum myſterium Trinitatis.*

Probatur 1. Prophetæ multa reuelarunt de Chriſto futuro, quæ vtique Trinitatis explicitam notitiam requirebant, vt patet præcipuè in Iſaia, Hyeremia, & Dauid, ex quorum prædictionibus ferè vniuerſa paſſionis Chriſti hiſtoria potuit præuideri. Ergo his Prophetis fuit explicitè reuelatum myſterium Trinitatis. Conſequentia eſt euidens, nam incognitum non poteſt alijs explicari. Antecedens probatur 1. Prou. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam terra fieret, necdùm erant*

erant abyſſi, & ego iam concepta eram, &c. quæ communiter exponuntur de Verbo æterno, quod eſt ſapientia increata. 2. Eccl. 24. de eadem, *ego ex ore altiſſimi prodij primogenita ante omnem creaturam.* 3. Pſalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* 4. Iſaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* 5. Iſaiæ 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus.* 6. Geneſ. 1. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, quod exponitur de Spiritu Sancto. 7. Sap. 1. de eod. *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum; benignus eſt autem ſpiritus ſapientiæ.* 8. Iſaiæ 61. *Spiritus Domini ſuper me.* Et ſexcenta alia huiuſmodi loca, quibus adumbratur, vel tota Trinitas, vel vna ex diuinis Perſonis, quæ paſſim congeruntur à theologis, cùm magiſtro in 1. d. 2. litt. F.

Probatur 2. De huiuſmodi viris, vtpote confirmatis in fide, & Sanctitate conſpicuis, non poterat Deus dubitare, nè caderent in idololatriam. Ex alia parte voluit illos adhibere vt medios, ad inſinuandum hoc myſterium, vt ſuauior deinde redderetur eius explicita credulitas, cùm illud ſuus Filius incarnatus manifeſtaret. Ergo probabiliſſimum eſt, Deum illis explicitè Trinitatem manifeſtaſse. Et hac ratione ductus diuus Thomas 2. 2. q. 2. ar. 8. loquendo de his ait, *myſterium incarnationis Chriſti fuit explicitè creditum à maioribus; implicitè autem, & quaſi obumbratè à mi-*

noribus; ita etiam & myſterium Trinitatis. Nomine autem maiorum intelligit Patriarchas, & Prophetas, alioſque, quibus fuit hoc myſterium explicitè reuelatum, vt fusè proſecuti ſumus in diſp.met.lib.1.diſp.2.ar.3.in quo multa congeſsimus de hac materia.

3. Concluſio, *non poſſunt Hebræi ſola ſacra ſcriptura conuinci, ad credendum myſterium Trinitatis*.

Probatur, non poteſt aliquis conuinci ad admittendum aliquod obiectum, niſi poſsit illud euidenter probari. Sed ex veteri teſtamento non habetur clara notitia Trinitatis, vt probatum eſt, & meliùs patebit ar.ſeq. Ergo neque poſſunt ex illo deduci rationes, quæ tale myſterium euidenter perſuadeant. Ex alia parte nouum teſtamentum ab illis non admittitur. Ergo pura ſacrorum codicum auctoritate, non poſsunt ad hoc conuinci. Vnde infertur, quàm parùm ſolidè procedant ij concionatores, qui omiſsis rationibus theologicis, quibus poſset facilè probari, priùs non repugnantia, deinde probabilitas, & demum exiſtentia Trinitatis, quibus additæ congruentiæ,& figuræ veteris teſtamenti, robuſtum formant argumentum, ad expugnandam eorum peruicaciam, toti ſunt in congerendis Scripturæ teſtimonijs, eo vt plurimum infeliciſſimo euentu, vt potiùs illos confirment in ſua duritie, neque aliud euincant, quàm puram deriſionem noſtræ fidei,

dei, vt optimè, & dolenter obſeruat diuus Thomas. Vt autem appareat huiuſmodi ineptia, omnia examinabimus ar. ſequenti.

ARTICVLVS VI.

Afferuntur omnia loca veteris teſtamenti, quibus obumbratur myſterium Trinitatis, cùm interpretationibus Hebræorum.

PRimus locus ducitur ex 1.Geneſ.c.1. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram,* vbi ly *Deus* Hebraico idiomate ponitur in numero multitudinis, ita vt faciat ſenſum, *in principio creauit Dij*. Quòd non poſſet ſubſiſtere, niſi verbum ſingulare referatur ad eſſentiam, & ly *Dij* referatur ad Perſonas. Vnde concionatores exclamant, euidenter deduci, cùm vnitate naturæ multiplicitatem Perſonarum.

Sed hoc argumentum vt nullius ponderis irridetur à Bellarmino, to.1.controu.2. lib.2.c.6. Et ratio eſt euidens, quia ſolemne eſt penès Hebræos, vt nomina illuſtrium Perſonarum ponantur in numero multitudinis, cùm verbis numeri ſingularis. Hoc autem ipſe probat multis exemplis. Et primò Exodi 20. vbi ly *non habebis Deos alienos*, Hebraicè dicitur, *non erit tibi Dij alij.* 2. Geneſ. 24. *Poſuit manum ſuper femur Abraham Domini ſui*, & hebraicè dicitur,

dominorum ſuorum 3. Exod.21. *Si dederit dominus eius vxorem illi*, & hebraicè dicitur, *ſi dederit domini eius*. Ergo hinc nihil euincitur prò Trinitate.

Dices, nunquam ſcriptura, in idiomate hebraico, ponit nomen Dei in plurali, niſi illud coniungat cum verbo ſingulari, vt videlicèt per hoc exprimatur naturæ vnitas, & per illud pluralitas Perſonarum. Ergo argumentum remanet in ſuo robore.

Nego antecedens; nam 2.Reg.c.7.dicitur, *quæ eſt autem gens, ſicut Populus Iſrael, propter quem iuit Deus, vt redimeret, &c.* & hebraicè dicitur, *iuerunt Dij*. Et alibi alia reperiuntur ſimilia loca, penès auctorem nuper laudatum. Intantum ergo licet Hebræis, & non Latinis hic modus loquendi, inquantum penès illos nomen plurale ſignificat rem ſingularem, quod Latini non habent. Aliter ſicut hebraicè diuinæ Perſonæ dicuntur plures Dij, cur etiam latinè non dicerentur?

Prætereà hìc locus,neque à diuo Hyeronimo verſatiſſimo in Sacra ſcriptura, & expertiſsimo hebraici idiomatis, neque à Septuaginta fuit ita inuerſus, vt fusè probat Bellarminus in loco cit. Ergo illum adhibentes, nituntur falſo fundamento; adeòque nihil concludunt ad intentum, licèt communiter acceptetur vt validus, cum Mag.in 1.d.2.F.

Secundus locus ducitur ex 1.Geneſ.c.1. *faciamus hominem ad imaginem, & ſimi-*

ſimilitudinem noſtram. Et c.3. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*. Et c.11. *Deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum*. Ex quibus ratione numeri multitudinis, videntur denotari diuinæ Perſonæ.

Sed hinc vel probaretur Deorum multitudo, vel neque probatur multitudo Perſonarum. Facile enim poſſent reſpondere Iudæi, hic Deum loqui more Principum in numero multitudinis, ad excitandam Populis maieſtatem ſui, qui ſolus propter potentiam, & excellentiam dignitatis, videtur multis æquiualere.

Tertius, & præcipuus locus ducitur ex repetitione eiuſdem termini *Deus*, vel *Dominus*, vt Exodi 3. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob*. Et numeri 6. *Sic benedicetis filijs Iſrael, benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui: conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem*. Et Deut.6. *Dominus Deus Dominus vnus eſt*. Et Pſalm. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ*. Et Pſalm. 135. *Confitemini Domino quoniam bonus, confitemini Deo Deorum, confitemini Domino Dominorum*. Et Iſa.6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus*. Et alia multa relata à Petro Galatino lib. de arcanis fidei catholicæ, ex Mag. lib. 1. d. 2. Sed hæc probant plura-

litatem Perſonarum in vna eſſentia. Ergo, &c.

Nego minorem. Et dico, huiuſmodi loca, quamuis habeant aliquam vim apud Catholicos Chriſtianos, qui non poſſunt illa interpretari, niſi ad exprimendam Trinitatem, iuxta mandatum Concilij Syrmicenſis, relati ab Hylario lib. de ſynodis, & adhortationem Patrum; nihilominus iure irridentur ab Hebræis. Et ſi alia argumenta non haberemus, ad ſtatuendam Trinitatem, vtique hæc improbata remaneret. Siquidem, omiſſis, alijs, poſſent dicere, has eſſe figuras repetitionis, eo modo quo dicitur à Virg. *ſylua laurentes ſylua*. Atque adeo ſi ex huiuſmodi repetitionibus vellemus probare numerum Perſonarum in Deo, hic eſſet ſemper incertus. Nam aliquando eſſent duę, vt in Pſal. 62. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*: & Pſal. 21. *Deus Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Et Pſal. 135. *Confitemini Deo cœli, confitemini Domino dominorum, &c.* in quibus non apponitur tertia additio. Aliquando eſſent tres, vt in allatis. Aliquando quattuor, vt in Pſal. 134. *Laudate Dominum, quia bonus Dominus, quia ecce cognoui, quòd magnus eſt Dominus, & Deus noſter præ omnibus Dijs*. Aliquando quinque, vt ibid. vbi illis quattuor additur, *quia iudicabit Dominus populum ſuum*. Aliquando ſex, vt ibid. vbi additur in fine, *benedictus Dominus ex Sion*. Et aliquando etiam

plu-

plures, vt in Pſal.139. *Eripe me Domine ab homine malo: cuſtodi me Domine de manu peccatoris. Dixi Domino Deus meus es tu. Exaudi domine vocẽ deprecationis meæ, Domine Domine virtus ſalutis meæ, nè tradas me Domine à deſiderio meo peccatori, cognoui quia faciet Dominus*, *&c.* Et Pſal. 140. *Domine clamaui ad te, pone Domine cuſtodiam ori meo, quia ad te Domine, Domine oculi mei, &c.* Ergo diuinis Perſonis non poſſet aſſignari certus, & definitus numerus, quod non eſſet adſtruere, ſed deſtruere Trinitatem.

Quartus locus ducitur ex Iſaia c.7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Sed hoc non poteſt verificari, niſi de Maria, quæ ſola virgo concepit, & peperit Chriſtum. Ergo hinc probatur Chriſtus, qui cùm dicat Perſonam Verbi æterni, manifeſtat Trinitatem.

Nego minorem. Quamuis enim nos Catholici ita credamus, tamen Hebræi poſſent hunc locum interpretari, de ſola præcedentia virginitatis ad conceptionem, ita vt faciat ſenſum, quòd ea fæmina, quæ erat virgo, mulier facta fuerit per conceptionem fætus, ex concubitu viri, ita vt poſt conceptum virile ſemen, non remanſerit virgo, quod eſt commune omnibus fęminis. Ergo hinc non probatur Chriſtus, ex miraculo compoſitionis virginitatis cum fœcunditate.

Quin-

Quintus locus ducitur ex eodem Iſaiæ c.66. ſub medium, *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Sed ſterilitati non opponitur, niſi fœcunditas. Ergo cùm hinc deducatur clarè, non dari ſterilitatem in Deo, deducitur etiam dari fœcunditatem Perſonarum.

Nego conſequentiam. Et dico, præciſo lumine fidei, fœcunditatem aliam non cognoſci, niſi ſecundùm propagationem naturæ. Ergo præciſa fide, non poſſet hinc deduci, niſi Deorum multiplicitas, orta ex diuina fœcunditate ad extra, quod non probaret, ſed euerteret diuinam Trinitatem. Quòd ſi ſtabilita ex alijs locis vnitate Dei, velit mens lumine naturali fœcunditatem ad intra aliquam expiſcari, per ductum Iſaiæ, adſummum in confuſo cognoſcet aliquod Verbum in Deo, vt terminum eius intellectionis, non tamen illud cognoſcet ſecundùm propria, & ſaltem deficiet in tertio ſigno. Ergo hinc non poteſt cognoſci Trinitas Perſonarum.

Sextus locus ducitur ex eod. c. 53. *generationem eius quis enarrabit?* Et ex Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sed generatio Filij exprimit Trinitatem. Ergo, &c.

Nego minorem. Poſſent enim Hebræi reſpondere, in his locis eſſe ſermonem de generatione actiua, per quam

Deus

Deus genuit mundum, quæ cùm fuerit facta à Deo liberè, & per actum voluntatis indiſtinctum à ſuo eſſe neceſſario, trahit ſecum difficultatem adeo ſolidam, quam nos examinauimus in 7. phyſ. vt meritò rapuerit in admirationem Iſaiam, dicendo *generationem eius quis enarrabit?* Neque obſtat, quòd à Pſalte fiat mentio de Filio Dei; nam non eſt nouum in ſcriptura, vt homines creati ad imaginem Dei vocentur Filij Dei. Siquidem Geneſ. 6. dicitur, *poſtquàm ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum illaque genuerunt, &c.* Et in Deuteron. c. 14. indixit Deus Filijs Iſrael, *Filij eſtote Domini Dei veſtri, &c.* Et Io: 11. *Vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.* Sicut enim filij Belial dicti ſunt filij Diaboli, propter impiam ſtirpem, de qua nati ſunt, vt habetur lib. 3. Reg. c. 21. ita filij Seth dicti ſunt filij Dei, propter ſanctam ſtirpem, ex qua orti ſunt. Præterquamquòd neque hinc probatur Spiritus Sanctus. Ergo non probatur diuina Trias.

Multa alia congeruntur huiuſmodi loca veteris teſtamenti. Sed quia faciliimè ſoluuntur ab Hebræis, ideo concludimus, ex ui præciſè ſacrorum codicum, illos non poſſe conuinci, vt ſupra ſtatuimus.

AR-

ARTICVLVS VII.

An poſſit myſterium Trinitatis rationibus theologicis labefactari?

NOnnulli theologorum metientes diuinam infinitatem, ſuæ intellectricis potentiæ menſura, putarunt, myſterium Trinitatis eſſe omninò repugnans theologiæ, quia neſcierunt ſoluere nonnulla ſophiſmata, quæ contra illud communiter fiunt. Atque adeo in varios errores prolapſi ſunt, quos infra referam, & confutabo. Vt autem appareat quàm immeritò aſſurrexerint in diuiniſſimam Trinitatem, eorum fundamenta ſolo fidei fulmine ſolo proſternam. Obijciunt ergo.

1. Nullus eſt verus Deus, præter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quorum Pater gignit; Filius gignitur, & Spiritus Sanctus procedit. Ergo qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non eſt verus Deus. Sed vnus Deus in eſſentia, nec gignit, nec gignitur, nec procedit; aliter ſi gigneret, gigneret alium vnum Deum in eſſentia, quod multiplicaret diuinitatem; & ſi gigneretur, vel procederet, daretur alius vnus Deus in eſſentia, à quo gigneretur, vel procederet, quod inferret idem obſurdum: Ergo vnus Deus in eſſentia admiſſa Trinitate, non eſt verus Deus.

2. Admiſſa Trinitate in Deo, ſequitur

tur quaternitas. Sed hæc non poteſt admitti. Ergo neque illa. Conſequentia eſt euidens. Minor eſt de fide. Maior probatur, 1. Pater, Filius, Amor, & eſſentia ſunt quattuor nomina, & non ſynonima. Ergo ſignificant quattuor res. 2. Eſſentia non eſt Pater, quia non gignit: neque filius, quia non gignitur: neque Amor, quia non procedit. Ergo eſt aliquod quartum. 3. Eſſentia eſt fons, & origo Perſonarum. Sed fons diſtinguitur realiter à riuulis. Ergo eſſentia diſtinguitur realiter à Perſonis. 4. Tres Perſonæ reſident in vno Deo, qui ſe manifeſtauit in Perſonis. Deus autem neque eſt Pater, neque filius, neque Spiritus Sanctus, quorum nullus reſidet in Perſonis, ſeu in illis ſe manifeſtauit. Ergo eſt quartus Deus.

3. Si Pater, & Filius eſsent vnus, & idem Deus, idem Deus eſset genitus, & non genitus, cùm Filius ſit genitus, & Pater non ſit genitus. Sed hoc eſt impoſsibile. Ergo Pater, & Filius vel non ſunt in Deo, vel non ſunt vnus, & idem Deus. Confirmatur 1. Generabile, & ingenerabile differunt pluſquam genere. Sed Pater eſt ingenerabilis, & Filius generabilis. Ergo differunt pluſquam genere, adeòque non poſsunt eſse idem Deus. 2. Eſse genitum, & ingenitum, vel in Deo ſunt accidentia, vel ſubſtantiæ? Si primum, ergo in Deo ſunt accidentia. Si ſecundum ergo Pater, & Filius differunt ſubſtantialiter.

4. Quan-

4. Quando filius genitus eſt, vel erat, vel non erat? Si primum, ergo non indiguit generari. Si ſecundum, ergo non fuit ab æterno, cùm aliquando non fuerit; atque adeo vel non eſt filius, vel non eſt Deus. Preterea vel ſemper gignitur, & non eſt vndequaque perfectus, quia non eſt aſſecutus vltimam perfectionem. Vel ſemper genitus eſt, & tranſiuit ad terminum ſine medio. Vel aliquando gignebatur, & aliquando fuit genitus, & non ſemper eodem modo ſe habuit, adeòque mutatus eſt. Sed hæc omnia ſunt abſurda in Deo. Ergo in Deo non datur Trinitas. 3. Vel nullo modo filius præfuit in Patre, vel ſi præfuit, præfuit actu, vel potentia? Si primum, ergo factus eſt ex nihilo, adeòque eſt creatura. Si ſecundum, ergo fuit antequàm gigneretur, quod repugnat. Si tertium, ergo in Deo datur potentialitas, quæ eſt imperfectio. Sed hæc abſurda euitantur, negata Trinitate. Ergo debet omninò negari.

5. Vel Perſona eſt infinita in Deo, vel finita? Si primum, ergo deberent eſſe in Deo infinitæ Perſonæ, vt correſpondeant infinitati eſſentiæ. Si ſecundum, ergo vna tantùm Perſona eſt in Deo. Confirmatur, multiplicatio ſuppoſitorum non eſt neceſſaria, niſi ad conſeruationem ſpeciei, vel vt vnum ſuppoſitum perficiatur ab alio. In Deo autem ceſſat vtraque ratio. Ergo non datur multiplicitas ſuppoſitorum.

6. Vel

6. Vel ſubſiſtentia eſt de intrinſeca ratione eſſentiæ, vel non? Si primum, ergo vel eſſentia eſt incommunicabilis, vel communicabilis ſubſiſtentia. Si eſt incommunicabilis eſſentia, ergo Perſonæ non ſunt Deus. Si eſt communicabilis ſubſiſtentia, ergo Perſonæ non diſtinguuntur. Præterea vel præter illam ſubſiſtentiam, quam accipiunt cum eſſentia, habent aliam ſubſiſtentiam, vel non habent? Si habent, ergo ſunt quattuor ſubſiſtentiæ, adeòque quattuor Perſonæ. Si non habent, ergo non datur, niſi vna ſubſiſtentia, adeòque vna Perſona. Si verò dicatur ſecundùm, ergo eſſentia non eſt ſimpliciter infinita, quia non continet perfectionem ſubſiſtentiæ. Præterea Perſonæ eſſent compoſitæ ex eſſentia, & ſubſiſtentia, quæ omnia ſunt abſurda, conſequentia ex Trinitate.

Concluſio, *Nulla ratione theologica poteſt labefactari myſterium Trinitatis. Vnde argumenta allata nihil concludunt.*

Probatur 1. Quicumque arguit contra Trinitatem, vel credit diuinis codicibus, & definitionibus Conciliorum æcumenicorum, vel non? Si primum, ergo debet acquieſcere eorum auctoritati; atque adeo cum argumenta quæ congerit, aduerſantur tali auctoritati, debet illa relinquere vt paralogiſtica, eorumque ſolutionem quærere, intra limites talis auctoritatis. Sed poſſunt omnia ſolui, reten-

tento fundamento talis auctoritatis, vt patebit infra. Ergo nulla ratione theologica poteſt hoc myſterium labefactari. Si ſecundum, ergo qui taliter arguit, non eſt theologus, ſed vel philoſophus, & contra illum militant quæ diximus articulis ſuperioribus; vel hæreticus, arguens non ad cognoſcendam veritatem, ſed ad impugnandam fidem catholicam, & contra illum militant quæ inferiùs aduersùs hæreticos adducemus; vel æthnicus, & contra illum, præter ea quæ dicta ſunt, ſufficiat, hoc myſterium non eſſe repugnans lumini naturali, & nullum in eo admitti abſurdum, vt propugnauimus vſque adhùc, & fuſiùs infra propugnabimus. Bene ergo concludit diuus Thomas 1. p. q. 32. ar. 1. *Quæ igitur fidei ſunt, non ſunt tentanda probare, niſi per authoritates his, qui authoritates ſuſcipiunt. Apud alios verò ſufficit defendere, non eſſe impoſſibile, quod prædicat fides.* Et ratio à priori eſt, quia cùm fides ſit de non apparentibus, vt dicitur ad Heb. 2. fruſtra eſt quærere in illa naturalem euidentiam, quod eſſet perinde, ac quærere lucem in tenebris. Et ideo Paulus Doctor gentium 1 ad Cor. 2. apertè clamat, *ſapientiam loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt.* Vbi aduertatur, quod nomine principum intelliguntur philoſophi, ſe-

cun-

cundum gloſſam, vt refert diuus Tho. in loco citato.

Quia verò quæſtio procedit cum theologis, ideo placet hic (& erit ſecunda probatio) ita cum illis diſcurrere, vt ſuauior fiat credulitas Trinitatis. Cùm Deus ſit infinitè perfectus, debet habere infinitam cognitionem, per quam non ſolùm cognoſcat alia à ſe, ſed etiam ſe ipſum, aliter eſſet imperfectus, cùm melius ſit ſe cognoſcere, quàm non cognoſcere. Non poteſt autem ſe cognoſcere, quin cognoſcat in ſe infinitam bonitatem. Cùm ergo bonitas ſit amabilis, infinita bonitas eſt infinitè amabilis; atque adeo Deus ſe cognoſcendo, ſe infinitè amat. Hoc poſito Deus, quatenus eſt primum principium cognitionis ſui, vt actu cognoſcens, ſeu dicens, dicitur Pater æternus, & prima perſona. Cognitio neceſſaria, qua ſe cognoſcit, dicitur Verbum æternum, quia per illam Deus loquitur ad intra, & eſt ſecunda Perſona. Amor reſultans ex cognitione, & cognoſcente, dicitur tertia Perſona. Sed qui a Amor procedit ex cognitione, debet eſſe illa poſterior, non tempore, ſeu natura, aliter non eſſet diuinus, ſed origine, & per conſequens ab illa diſtingui. Quod idem valet de cognitione reſpectu cognoſcentis. Sed quia cognitio immediatè procedit ab intellectu, ſicut amor à voluntate, ideo Verbum quod eſt cognitio Patris, immediatè procedit ab illo per intellectum, & Amor ab illo, & à Ver-

à Verbo per voluntatem. Sed Deus vt formaliter actu ſeipſum intelligens, ſubſiſtit in tali perfectione, in qua non ſubſiſtit vt eſt formaliter actu intellectus, ſeu actu volens, ideo præter ſubſiſtentiam Patris, debet etiam habere ſubſiſtentiam Verbi, & Amoris. Sed hæ ſubſiſtentiæ non poſſunt eſſe accidentia, quia in Deo non datur potentialitas. Ergo debent eſſe modi ſubſtantiales ipſius diuinæ naturæ, quæ cum ſit vna, & eadem tripliciter modificata ſubſtantialiter, ideo eſt vna eſſentia in tribus ſubſiſtentijs, quæ propter mutuam oppoſitionem relatiuam, realiter inter ſe diſtinguuntur; adeòque ſunt tres Perſonæ, & vnus Deus. Cur autem hoc accidat in Deo, & non in alijs, rationem attuli in diſp. met. lib. 1. diſp. 1. artic. 5. Sed in hoc nihil eſt repugnans, ſeu improbabile penes theologos vt patebit ſolutione obiectionum. Ergo hoc myſterium non poteſt theologicè labefactari.

ARTICVLVS VIII.

Soluuntur argumenta ſupar allata.

AD 1. Nego conſequentiam. Sicut enim non valet hæc conſequentia, *non eſt verus homo, qui non eſt actus, neque ſubiectum, neque vnio ſubſtantialis, quia homo nihil eſt aliud, niſi actus rationalis vnicus cum materia organica;*

Sed

Sed Petrus neque eſt actus, neque materia, neque vnio; ergo non eſt verus homo; ita neque valet illa. Et ratio à priori eſt, quia non valet conſequentia à ſenſu diſtributiuo ad collectiuum, & viceuerſa; cùm ſit impoſſibile, quod conueniat toti, id quod conuenit partibus ſeorſim, & viceuerſa. Cùm ergo generare, generari, & procedere conueniant ſingula ſingulis conſtitutiuis Dei, non vt eſt vnus, ſed vt eſt trinus ſeorſim ſumptis, non poſſunt hæc eadem conuenire toti Trinitati, vt eſt vnus Deus. Cùm ergo Deus vnus in eſſentia dicat totum Deũ, non eſt mirum, ſi nec gignat, nec gignatur. Ex quo patet quàm immeritò Ioannes Vulgardus lib. con. nouos Arrianos, tamquam argumenti vi compulſus conceſſerit, eſſentiam generare, & generari, quod eſt contra Concil. Lateranenſe, & rationem theologicam. Cùm enim nihil ſeipſum generet, deberent in Deo admitti duæ eſſentiæ, quæ facerent Deorum dualitatem.

Ad 2. nego maiorem. Ad cuius primam probationem dico, quod etiam homo, & animal rationale ſunt duo nomina, & non ſynonima, & tamen ſignificant idem omninò obiectum. Ad ſecundam nego conſequentiam; nam etiam homo generat, & humanitas non generat, licèt ſint vnum, & idem. Quare falſum eſt, eſſentiam non eſſe Patrem, neque filium, quibuſcum eſt realiter idem. Præterea homo generat, & ma-

teria non generat, licèt homo identificetur cum illa inadæquatè. Ergo licèt eſſentia identificetur inadæquatè cum Patre, poteſt hic generare, & non illa.
Ad 3. nego maiorem; cùm enim Perſonæ producantur à Perſonis, & ad illarum productiones habeantur relationes, non eſſentia, ſed Pater eſt fons, & origo Trinitatis, vt docet Auguſtinus lib. 4. Trin. cap. 20. & lib. 5. de Trin. cap. 9. ait, *tres Perſonas eiuſdem eſſentiæ, vel tres Perſonas vnam eſſentiam dicimus; tres autem Perſonas ex eadem eſſentia non dicimus; quaſi aliud ibi ſit quod eſſentia eſt, & aliud quod Perſona*. Super quem locum ſubdit Magiſter in 1. d. 5. litt. L. *his verbis oſtenditur, non eſſe dicendum, Perſonas eſſe ex eſſentia, niſi ex ſenſu prædicto*, id eſt quod Filius ſit à Patre, qui habet cum illo eamdem communem eſſentiam. Ad 4. Dico, ideo dici, Deum eſſe in Perſonis, quia tres Perſonæ vnius ſunt diuinitatis, & deitatis. Cum verò dicitur, Deus ſe manifeſtaſſe in Perſonis, nil aliud dicitur, niſi Deum eſſe tres Perſonas, & hoc nobis fuiſſe diuinitùs reuelatum. Quare bene aduertendum eſt quod monuit Auguſtinus lib. 1. retrac. c. 15. *in rebus fidei potius res, quàm verba attendi debere*.

Ad 3. Diſtinguo maiorem, idem Deus eſſet genitus, & non genitus ſecundùm idem, nego: ſecundùm diuerſa ſuppoſita, concedo. Et admiſſo quòd non poſſit eſſe genitus, & non genitus

ſe-

ſecundùm idem, nego conſequentiam. Quando ergo dicitur Deus genuit, ly *Deus* non accipitur adæquatè, ſed ſolùm inadæquatè, quatenùs ſupponit prò ſolo Patre, & quando dicitur Deus non genuit, accipitur prò filio & Amore, excluſo Patre. Ergo *genuit*, & *non genuit*, non verificantur de eodem, ſed de diuerſis; atque adeo ex tali contradictione ſequitur quidem diſtinctio vnius ſuppoſiti ab alio, non autem ſuppoſitorum ab eſſentia. Ad 1. confirmationem dico, generabile per motum diſtingui genere ab ingenerabili, non autem generabile ſine motu, ſicut eſt in Deo, in quo filius dicitur generabilis, non per generationem naturæ diuinæ, ſed per ſolam illius paſſiuam communicationem. Sicut ergo Adam non diſtinguitur ſpecie ab Eua, & Abel, quamuis ille à nullo homine ſit productus, & Eua à ſolo Adam, à quo, & ab Eua productus eſt Abel; ita neque diuinæ Perſonæ diſtinguũtur ſpecie per hoc quòd vna à nullo producatur, alia ab vno tantùm, & alia à duobus. Ad 2. Dico, genitum, & ingenitum in Deo neque eſſe ſubſtantiam, neque accidens, ſed aliquid ab vtroque præſcindens. Cùm enim dicat perfectionem ſolùm ſimplicem, poteſt neque eſſe formaliter accidens, neque ſubſtantia; quod non valet de perfectione ſimpliciter ſimplici, quæ debet ad alterutrum reduci. Et ideo Aug. lib. 5. Trin. c. 3. & 4. retorquet argumentum contra Arrianos, cum dici-

tur, *ego, & Pater vnum ſumus*, vel Pater, & filius dicuntur vnum ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm accidentia? Si primum, ergo habent eamdem ſubſtantiam. Si ſecundum, ergo ſunt in Deo accidentia. Atque adeo concludendum eſt, paternitatem, filiationem, & ſpirationem, cùm ſint relationes, non dicentes ratione ſui formaliter perfectionem ſimpliciter ſimplicem, præſcindere in Deo à ratione ſubſtantiæ, vel accidentis, & eſſe ſimplices diuinas perfectiones.

Ad 4. Dico, fuiſſe filium cum genitus eſt, & cùm adhùc gignatur, adhùc exiſtere. Hoc autem tantum abeſt, quod ſit abſurdum, vt ab omnibus ſit admittendum. Nam quando ab igne producitur calor, vtique exiſtit calor, qui terminat talem productionem, non tamen fruſtra producitur, quia exiſtit per ipſam productionem, ſine qua non eſſet. Immò retorqueo argumentum, quando producitur calor, vel exiſtit, vel non? Si primum, ergo cum aliquid producitur exiſtit. Si ſecundum, ergo fruſtra eſt eius productio, quia per illam non ponitur in eſſe. Dico ergo contra ſecundam rationem cum Auguſt. ep. 174. ad Paſcent. *Semper gignit Pater, & ſemper naſcitur filius*. Quia tamen natiuitas in Deo eſt perfectiſſima, ideo concludit Auguſt. melius eſſe dicere, quòd filius ſemper ſit natus, quàm quòd ſemper naſcatur. Nam hoc modo exprimitur vltima

tima perfectio ipſius filij naſcentis, & eiuſdem actualis natiuitatis, quod non accidit in natiuitatibus creatis, in quibus vel inuenitur ſola perfectio actus naſcendi, cum imperfectione termini naſcentis, vel perfectio talis termini, cum negatione perfectionis natiuitatis, quæ non remanet, cum perfectus eſt terminus. Ad 3. de præcontinentia filij in Patre, nego ſuppoſitum. Cùm enim filius ab æterno ſit genitus, non potuit in Patre præcontineri, niſi ſit ſermo de præcontinentia originis, vel rationis, quæ ſaluatur per virtutem actiuam Patris, quod nullam dicit imperfectionem. *Hinc* tamen non ſequitur, filium factum ex nihilo, quia non fuit genitus ex nihilo præexiſtente, ſed ab æterno, ex ſubſtantia Patris.

Ad 5. Dico, perſonas in Deo eſſe plures, & ſingulas infinitas, ſecundùm perfectionem abſolutam eiuſdem eſſentiæ, licèt diſcrepent in perfectionibus ſimplicibus relatiuis. Sunt autem plures, non ex indigentia conſeruandæ ſpeciei, neque vt ab inuicem perficiantur, ſed ex neceſſitate infiniti entis, cuius debet eſſe proprium ſe intelligere, & amare, adeoque habere duos terminos intra ſe, nempe Verbum, & Amorem, per intellectionem Patris, & volitionem Patris, & filij, vt infra patebit. Vnde patet, reſponſio ad confirmationem.

Ad 6. Dico, ſubſiſtentiam, vt talem formaliter, & virtualiter intrinſecè di-

ſtinctam ab eſſentia, illam non conſtituere formaliter, ſed ſolùm phyſicè, & realiter, vt probatum eſt in diſput. met. l.2. diſp.3.ar.1. Ad primã illationẽ nego conſequentiam, Primò quia eſſentia continet realiter omnem perfectionem, quod ſufficit ad rationem eius infinitatis. Et deinde quia relatio vt talis, non eſt ratione ſui formaliter perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ ſola confert ad rationem infinitatis diuinæ eſſentiæ, vt probauimus in diſp. met. lib.1. diſput.1. ar.4. Ad aliam de compoſitione Perſonarum, negamus, hinc ſequi in illis vllam compoſitionem phyſicam, & realem, ſed ſolam metaphyſicam, & rationis, quàm vltrò admiſimus in diſp. met. & nihil eſt aliud, quàm compoſitio formalitatum, formalium, quibus etiam componitur eſſentia ex attributis; ita vt ex parte obiecti ſit ſemper entitas phyſicè ſimpliciſſima, tamen veſtita pluribus noſtris conceptibus inadæquatis.

DISPVTATIO II.

De Cognoſcibilitate Trinitatis.

MVLTA ſpectantia ad hanc materiam tetigimus in diſput.met. lib.1. diſput. 2. art.3. Hic autem materiam abſoluemus. Quæremus ergo 1. An poſſit lumine naturali euidenter cognoſci Trinitas Perſonarum? 2. Afferemus, & ſoluemus quidquid poteſt lumen naturale dictare prò eius cognoſcibilitate. Et demum referemus præcipuos errores, in quos fuere prolapſi inueſtigantes illam in via naturæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

An poſſit lumine naturali euidenter cognoſci Trinitas?

VIdetur poſſe, vt multi etiam ex theologis propugnarunt, Primò quia plures ex veteribus Philoſophis Trinitatem cognouere, quorum anteſignani fuere Hermes Triſmegiſtus, cuius dicuntur eſſe illa verba, *Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorẽ*, videlicèt Patrem vnum genuiſſe vnum filium, & cum illo produxiſſe Spiritum Sanctum, & Plato, de quo teſtatur Aug. lib. 7. confeſſ. cap. 9. fuiſſe adeo diuinum in inueſtigatione diuinitatis, vt multa ſcripſerit, quæ videntur coincidere cum primo capite Euangelij S. Ioannis, vbi fit explicita mentio Trinitatis, cuiuſmodi ſunt, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c.* Præterea Ariſtoteles lib. 1. de cœlo loquens de numero ternario hæc habet, *per hunc numerum adhibuimus nos ipſos magnificare Deum vnum eminentem proprietatibus eorum, quæ ſunt creata*, quibus verbis videtur inuolui clara cognitio Trinitatis, nẽpe Deum eſſe vnum, eminentem proprietatibus triuni Perſonarum. Idem aſſeritur de Sybillis, deque aliis ex antiquis Philoſophis, vt referunt Cyrillus lib. 1. cont. Iulian.

Cle-

Clemens Alex. lib. 5. ſtrom. Lactantius, Theodoretus, & alij. Sed hi non potuerunt hoc ſcire per reuelationem. Ergo ſciuerunt per puram cognitionem naturalem.

2. In omnibus creaturis datur, non ſolùm veſtigium, ſed etiam imago Trinitatis. Ergo poterit hæc in illis cognoſci, vt inferunt Suar. lib. 1. de Trin. c. 11. Riccard. à S. Victore lib. 1. de Trin. c. 4. Henricus Gandau. quodl. 4. Raymundus Lullus, & alij penès Vaſq. in 1. par. diſp. 133. c. 1. licèt aliqui loquantur ſolùm ex ſuppoſitione, quòd admittantur principia fidei, quibus poſitis, aiunt, poſſe deinde ratione naturali inueſtigari, vſque dum veniatur ad claram notitiam Trinitatis.

Cōcluſio, *Quamuis poſſit implicitè aliquo modo obumbrari Trinitas, nō tamen poteſt, puro ductu luminis naturalis, cognoſci clarè, & ſub proprio conceptu*.

Primam partem ſufficienter probauimus in diſp. met. lib. 1. diſp. 2. ar. 3. Et ideo non eſt opus in vlterioribus probationibus immorari.

Secundam partem alij probant ex eo, quòd putent myſterium Trinitatis eſſe intrinſecè ſupernaturale quoad ſubſtantiam. Vnde inferunt, eſſe naturaliter inſcrutabile. Sed quia probauimus in tract. de viſione diſp. 3. ar. 3. Deum etiam vt trinum eſſe intrinſecè naturaliſſimū, ideo hæc ratio, vtpote nitens falſo fundamento, nihil valet.

Ioannes Puteanus q.32. ar. 1. illam probat ex eo, quòd Trinitas non cadat ſub ſenſum. Vnde infert, illam eſſe naturaliter incognoſcibilem, iuxta illud, *nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu*. Sed hæc ratio nimis probat, nam probaret, neque diuinam exiſtentiam, & Angelorum eſſe naturaliter cognoſcibilem, quòd in 3. & 8. phyſ. probauimus eſſe falſum. Ergo nihil probat.

Alij cum noſtro Egid. probant ex eo, quòd myſterium hoc ineffabile ſit articulus fidei. Vnde inferunt, illud eſſe ſupra omnem naturalem rationem, cùm fides per Apoſtolum ad Heb. 11. ſit de non apparentibus. Sed hæc quoque ratio nulla eſt, cùm fides ſit etiam de exiſtentia Dei, de qua tamen habemus demonſtrationem, vt ſæpe alibi probauibus. Ergo ſicut hæc eſt articulus fidei reſpectu illius, qui non capit demonſtrationem, ita poſſet eſſe Trinitas.

Probo igitur 1. ex ſacris codicibus, nam dicitur Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*. Et 1. ad Cor. 2. *Sapientiam autem loquimur in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam nemo principum huius ſæculi cognouit*. Et Matth. 16. *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt*. Et Matth. 11. *Nemo nouit filium, niſi Pater, neque patrem quis nouit, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare*.

2. Ex

2. Ex Patribus, nam Aug. 7. de Trin. c. vlt. ait. *ſi intellectu capi non poſſit, fide teneatur, donec illuceſcat in cordibus ille, qui ait, niſi credideritis, non intelligetis*. D. Thomas 1. p. q. 32. ar. 1. quem ſequitur vniuerſa theologorum cohors, & præcipuè noſter Egid. in 1. d. 3. parte 1. princ. 1. q. 4. ait, *impoſſibile eſt, per naturalem rationem ad diuinarum Perſonarum cognitionem peruenire*. D. Hylar. lib. de Trin. *Non putet homo ſua intelligentia generationis ſacramentum poſſe conſequi*. Cui conſonat Ambroſ. dicens, *impoſſibile eſt generationis ſcire ſecretum. Mens deficit, vox ſilet*.

3. Ratione, Lumine naturali non poſſumus clarè cognoſcere, niſi ea, quæ apparent in effectibus naturalibus. In nullo autem effectu naturali poteſt apparere diuina Trias, quæ ratione ſui formaliter eſt extra totam lineam cauſarum, eò quia omnis cauſalitas habeatur à Deo vt vno. Ergo non poteſt lumine naturali cognoſci clarè diuiniſſima Trias. Probatur minor, in effectu non poteſt apparere, niſi ratio dependentis à ſua cauſa. Cùm ergo virtus creatiua in diuinis, vtpote communis toti Trinitati, ſpectet ad rationem vnitatis eſſentiæ, non autem ad rationem Trinitatis, non poteſt per illam apparere, niſi Deus vt vnus, à quo eſſentialiter pendeant omnes effectus, incognita Trinitate.

Ad fundamentum oppoſitum ductum ex antiquis Philoſophis, Reſpondeo

tum diuo Tho: hìc, illos non cognouiſſe Trinitatem ſub proprijs terminis, ſed solùm materialiter, & confusè, cognoſcendo ſcilicèt aliqua prædicata propria Trinitatis, vt potentiam Patris, ſapientiam Filij, & bonitatem Spiritus Sancti, non quòd illa cognouerint vt Perſonis appropriata, ſed ſolùm abſolutè, ſub conceptu diuinarum perfectionum, quas deinde nos diuidimus, & Perſonis appropriamus. Illa verba Triſmegiſti, *Monas genuit monadem*, non debent referri ad diuinas proceſſiones, ſed ad productionem mundi; ſiquidem Deus, qui eſt vnus, produxit vnum mundum, propter ſui ipſius amorem. In quo fortaſſe voluit Philoſophus redarguere eos, qui admittebant plures mundos, vnum extra alium.

Maior difficultas ingeritur ex verbis Platonis. Tamen diuus Tho: ait, per verbum non fuiſſe à Platone intellectam ſecundam Perſonam Trinitatis, ſed rationem ideæ formalis, exiſtentis in mente diuina, per quam produxit omnia alia à ſe. Verum quidem eſt, quòd hæc ratio ideæ appropriatur filio, per quem facta ſunt omnia ex Io: 1. *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, non tamen ſub his terminis fuit cognita à Platone, Quod etiam dictum volumus de multis alijs, quæ paſſim inueniuntur in libris veterum, & videntur prima fronte re dolere myſteria abſtruſa noſtræ fidei.

Vnde patet ſolutio ad authoritatem Ariſtotelis. Nam ille per numerum ternarium ſolùm voluit exprimere numerum perfectum, quo ideo in ſacrificijs, & orationibus veteres vtebantur; non autem Perſonarum diuinitatem, licèt in illo reconditam, & obumbratam.

De Sybillis eſt alia quæſtio; nam facilè conceſſerim, ab eis fuiſſe cognitam explicitè Trinitatem, non tamen per cognitionem naturalem, ſed per diuinam reuelationem, illis communicatam in præmium virginitatis, quæ eo tempore inſtar miraculi cenſebatur. Neque enim eſt abſurdum, quòd Deus alicui æthnicorum, vel fideli ſceleſto aliquid reuelauerit. Hoc enim ab omnibus conceditur Caiphæ, de quo dicitur Io: 11. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, quia Ieſus moriturus erat prò gente, & non tantum prò gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.*

Vnde poſſet formari ſecunda reſponſio. Poſſet enim dici, Triſmegiſtum, Platonem, aliosque ſimiles Philoſophos, mente diuinitùs illuſtrata, hoc myſterium altiſſimum cognouiſſe, eo modo, quo & alia cognouerunt. Nam probabiliſſimum puto, ſemper in mundo fuiſſe homines, qui hoc myſterium explicitè cognouerint, vt viam ſternerent mundo, ad facilè illud credendum, poſt reuelationem. Hoc autem potue-

runt ſcire, vel per reuelationem priuatam, vel per traditionem à primis parentibus, quibus probabile eſt, fuiſſe hoc myſterium reuelatum. Cui traditioni quia non poterat præſtari aſsenſus certus, & infallibilis, ideo de illo diſsentes, dubitanter, & ſubobſcurè locuti ſunt. Alij tamen cum noſtro Egid. in 1.d.3.p.1.princ.2.q.4.ad 3. dicunt, huiuſmodi Philoſophos hauſiſse notitiam huius myſterij ex ſacris codicibus veteris teſtamenti, qui ea potiſſimùm tempeſtate per ora hominum vulgabantur. Et ad hoc ſuadendum obſeruant ex temporum cronologia, Moyſem vixiſse vſque ad annum mundi 2488. Triſmegiſtum verò vſque ad annum 3587. Ergo cùm fuerit poſterior tempore, inferunt potuiſse habere notitiam ſacri codicis. Sed quia in 1.diſp.ar.5. probatum eſt, in veteri teſtamento nullam haberi claram notitiam Trinitatis, ideo licèt admittamus, huiuſmodi Philoſophos vidiſse ſacros codices, non tamen concedimus, potuiſse ex illis haurire notitiam Trinitatis, niſi confuſam, & abſtractiuam, vt fusè probauimus in explicatione tabulæ ſmaragdinæ, in calce vindic. peripat., quod non facit ad rem.

Dices, Triſmegiſtus admiſit in Deo tres ſubſiſtentias. Ergo cognouit explicitè Trinitatem. Nego conſequentiam, Primò quia nomine tertiæ ſubſiſtentiæ intellexit animam mundi. Et ideo benè dicit gloſſa Rom. 1. & Exodi

7. quòd

7. quòd magi Pharaonis defecerunt in tertio ſigno, ideſt in notitia tertiæ Perſonæ. Deinde quia ſingulis his ſubſiſtentijs attribuit propriam naturam diſtinctam ab alijs. Ergo vel admiſit tres Deos, vel non agnouit ſecundùm propria diuinas Perſonas.

Demùm non deſunt qui dicant, potuiſse aliquem ęthnicorum habere ex cacodæmone reuelationem explicitam Trinitatis, vt refert diuus Thom. in 1. d.3 q.1.ar 4. Refert enim Lodouicus Viues lib. 10. de ciuit. Dei c. 23. Serapidis oraculum Thuli; Egyptiorum Regi reſpondiſse, *principio Deus eſt, tùm ſermo; at Spiritus iſtis additur; Hac tria ſunt coæua, & tendentia in vnum*. Quod ſi admittatur, adhùc non habetur intentum. Cùm enim Dæmon non habuerit notitiam Trinitatis in via naturæ, ſed per reuelationem, cum fuit in ſtatu gratiæ; ideo non potuit illam hominibus communicare, niſi ſuppoſita reuelatione, quod non facit Trinitatem naturaliter cognoſcibilem.

Ad 2. Reſpondebimus artic. ſequenti ad 4.

ARTICVLVS II.

Soluuntur alia argumenta prò naturali cognoſcibilitate Trinitatis.

Obijcies 1. Ratione naturali cognoſcitur, Deum eſse infinitè bonum, &

& bonum eſse ſui diffuſiuum. Ergo cùm infinita inclinatio, quam habet Deus ad ſe communicandum, non poſſit expleri per communicationem ad extra, quæ ſemper eſt finita, debet expleri per communicationem ad intra, quod conſtituit Perſonarum Trinitatem.

Nego conſequentiam. Quamuis enim concedatur, naturaliter cognoſci, Deum eſse bonum, & bonum eſse ſui diffuſiuum, non tamen cognoſcitur, hanc diffuſionem in Deo fieri ad intra, ſed ad extra per veram cauſalitatem, & influxum phyſicum in creaturas. Hoc autem probat quidem, Deum eſse vnum, & cauſam primam, non tamen eſse trinum in Perſonis. Neque obſtat, quòd inclinatio infinita non poſſit expleri per communicationem finitam; nam in primis communicatio finita infinities replicata fit infinita, ſaltem extenſiuè, adeòque aptus terminus communicabilitatis infinitæ. Et deinde etiam amor dei, quo proſequitur creaturas, eſt infinitus, & tamen expletur per ipſas creaturas, quæ faciunt terminum finitum. Sicut ergo ideo cognoſcitur infinita potentia Dei, quia quolibet producto numero creaturarum, ſemper remanet inclinata, & ſufficiens ad infinita alia producenda; ita cognoſcitur vt infinita eius inclinatio, ad ſe communicandum ad extra, quia qualibet facta communicatione, ſemper remanet inclinatio ad ma-

iorem, & maiorem communicationem faciendam, in infinitum ſyncathegorematicè.

Ob.2. Lumine naturali cognoſcitur, per actum intellectus produci verbum mentis, & per actum voluntatis amorem. Cùm ergo Deus naturaliter cognoſcatur vt sè intelligens, & volens, cognoſcitur etiam vt producens in sè verbum, & amorem, per verum, & realem terminum talium operationum.

Diſtinguo antecedens, cognoſcitur, per actum intellectus produci Verbum conſubſtantiale producenti, realiter diſtinctum ab amore conſubſtantiali, producto per voluntatem, nego; produci verbum non conſubſtantiale, & non diſtinctum ab amore, concedo antecedens. Et ſub eadem diſtinctione nego conſequentiam. Cùm enim ratione naturali appareat, Verbum, & amorem conſubſtantiales, realiter inter ſe diſtinctos, facere phyſicam compoſitionem, cognoſcitur hoc vt repugnans diuinæ ſimplicitati, ex ſuppoſitione quòd non poſſit lumine naturali haberi clara notitia diſtinctionis virtualis intrinſecç, quæ vnica ſaluat, cum reali pluralitate Perſonarum, eſſentiæ ſimplicitatem. Præterea cùm noſter intellectus intelligat per actum diſtinctum, non ſe habet vniuocè cum intellectu diuino. Ergo ex productione noſtri verbi, non poteſt indagari verbum diuinum. Demum cùm ratio naturalis dictet, omne productum

eſſe

eſſe creatum, non poteſt ratio naturalis aſſentiri ad hoc, quòd detur in Deo verbum productum, & increatum.

Ob. 3. Quòd cognoſci non poteſt, non eſt credibile. Ergo ſi hoc myſterium eſſet naturaliter incognoſcibile, imprudenter proponeretur vt credendum, abſque vlla formidine de oppoſito.

Diuus Thomas hìc reſpondendo ad 3. Negat antecedens, dicens, fidem Trinitatis naturaliter incognoſcibilis, dupliciter fuiſſe nobis neceſſariam, *vno modo ad rectè ſentiendum de creatione rerum. Per hoc enim quòd dicimus, Deum omnia feciſſe Verbo ſuo, excluditur error ponentium, Deum produxiſſe res ex neceſſitate naturæ. Per hoc autem quòd ponimus in eo proceſſionem amoris, oſtenditur quòd Deus non propter aliquam indigentiam creaturas produxit, neque propter aliquam aliam cauſam extrinſecam, ſed propter amorem ſuæ bonitatis*. Sed pace tanti Doctoris, hæc reſponſio mihi non probatur, cùm deficiat in vtraque parte. Deficit in prima; quomodo enim infertur, Deum liberè produxiſſe creaturas, per hoc quòd illas produxerit per ſuum verbum? Cùm enim Verbum Dei ſit neceſſarium, & neceſſario à Patre productum, videtur potiùs inferre neceſſitatem, & non libertatem ad operandum ad extra. Et ratio eſt, quia medium ſimpliciter neceſſarium, tàm relatè ad principium, quàm

ad effectum, non arguit indifferentiam, ſed potiùs neceſſitatem, & determinationem, ad hoc vt principium actiuum taliter operetur, & effectus taliter fiat. Deficit etiam in ſecunda, nam poſſet dici, quod ſicut Deus neceſſariò amauit communicationem ſui, tamquàm expletiuam ſuę inclinationis ad ſe communicandum, ita produxit creaturas ex earum indigentia, tamquàm alicuius neceſsarij ad ſuæ inclinationis expletionē; eo modo quo ad expletionem inclinationis ad videndum eſt neceſſarius color, cuius proinde dicitur indigere potentia viſiua.

Nego igitur antecedens propter aliam rationem. Et dico, ex naturali incognoſcibilitate Trinitatis potiùs argui eius credulitatem, per fidem ſupernaturalem; vnde retorquetur argumentum. Et ratio eſt, quia cùm ex vna parte cognitio Trinitatis eſſet nobis vtilis, & neceſſaria, vt bene, & congruè ſentiremus de noſtro primo principio, & vltimo fine; & ex alia cùm illa naturaliter haberi non poſſet, debuit haberi per diuinam reuelationem, & nobis proponi Trinitas vt credenda, tamquam obiectum non per ſe notum, ſed reuelatum.

Ob. 4. In anima noſtra eſt ſemper imago Trinitatis. Et ideo ait Egid. in 1. d. 3. par. 2. princ. 2. q. 2. ar. 3. ex diuo Auguſt. 14. de Trin. *eò quòd anima ſemper ſe diligit, ſemper meminit, ſemper ſe intelligit, ſemper eſt imago Trinitatis*. Sed in ima-

imagine poſſumus naturaliter cognoſcere imaginatum. Ergo, & Trinitatem. Idem valet de eius veſtigio, quod ſtatuimus in 2. argumento primi articuli. Ergo vtroque modo poſſumus via naturali clarè deprehendere Trinitatem.

Diſtinguo maiorem, datur imago perfecta, nego: imperfecta concedo. Et diſtinguo minorem, in imagine perfecta poſſumus cognoſcere imaginatum, concedo: in imperfecta, & ſubdiſtinguo, poſſumus imperfectè, & abſtractiuè cognoſcere imaginatum, concedo: clarè, & diſtinctè, nego minorem, & conſequentiam. Et idem dico de veſtigio. Inſuper addo, quòd licèt dentur imago, & veſtigium Trinitatis, etiam in gradu perfecto, quia tamen hæc non poſſunt clarè cognoſci, vt formaliter talia, niſi aliunde ſuppoſita notitia Trinitatis, ideo ex illis materialiter ſumptis non poteſt cognoſci Trinitas, niſi confusè, & abſtractiuè, quod hic non negatur.

Dices: dictum eſt diſput. 1. poſſe ratione naturali euidenter probari, Trinitatem eſſe probabilem, & non repugnantem. Ergo poteſt etiam euidenter cognoſci, cùm cognoſcibilitas ſequatur rationem entis.

Nego conſequentiam, quæ ſolùm ſequeretur ex probationibus poſitiuis, quas negauimus dari in via naturæ, non autem ex negatiuis, quas tantùm admiſimus in diſp. 1. ar. 2. Siquidem ad probandam clarè poſitiuè alicuius exiſtentiam prære-

qui-

quiritur clara illius notitia; non autem ad probandum, illam non repugnare, ad quod ſufficit, quod vtcumque cognoſcatur, etiam confusè, & abſtractiuè. Neque obſtat, quòd cognoſcibilitas ſequatur rationem entis; nam hoc debet intelligi de cognoſcibilitate ſecundùm ſe, non autem quoad nos, vt fusè explicauimus in tract. de Viſione.

Ob. 5. Diuus Thom. 2.2. quæſt. 2. ar. 8. examinans, an ſit neceſſaria fides Trinitatis, ait, *& ideo eodem modo, quo myſterium incarnationis ante Chriſtum fuit explicitè creditum à maioribus,* (ideſt illis quibus fuit ſufficienter reuelatum) *implicitè autem, & quaſi obumbratè à minoribus* (ideſt quibus non fuit reuelatum) *ità etiam, & myſterium Trinitatis*. Ergo etiam ſine reuelatione poteſt cognoſci Trinitas.

Diſtinguo conſequens, poteſt cognoſci implicitè, & abſtractiuè, concedo: clarè, & diſtinctè, nego conſequentiam. Sicut ergo non dicitur homo ſimpliciter cognitus, quatenùs venit ſub conceptu animalis explicitè cogniti; ita non dicitur ſimpliciter cognita Trinitas, quatenùs venit ſub conceptu Dei explicitè cogniti, vt fusè docuimus in diſput. met. lib. 1. diſp. 2 art. 3. in fine.

AR-

ARTICVLVS III.

Præcipui errores, in quos inciderunt inueſtigantes Trinitatem in via natura.

PRimus error eſt Græcorum, negantium, Spiritum Sanctum procedere à filio, de quo fusè Bellarm. tom. 1. controu. 2. lib. 2. cap. 20. & ſeqq. Quem errorem docuerunt etiam ex Patribus Theodoretus (qui tamen illum retractauit in Conc. Calcedon. opera S. Leonis Papæ) & Theophilactus; & fuit introductus à Neſtorianis, vt aſſerit diuus Thom. 1. p. q. 36. ar. 2. ad 2. In quo etiam articulo in reſp. ad 3. ait, etiam Damaſcenum prolapſum eſſe in hunc errorē; & proinde monet Angelicus in hoc eius opinioni non eſſe ſtandum.

2. Fuit Arrianorum negantium filio Dei diuinitatem; quem errorem hauſerunt ex Aretio Syro, & Eunomio Galata. Vnde dicti ſunt Aetiani, & Eunomiani.

3. Eſt Præpoſitiui aſſerentis, repugnare diuinæ ſimplicitati, quòd poſſimus vti nominibus diuinis in abſtracto, vt paternitas, filiatio &c. adeòque negabat notiones in diuinis.

4. Eſt Sabellij negantis inter Perſonas diſtinctionem realem. Quem errorem antea docuerant Praxeas Aſiaticus, vt refert Tertullianns, & deinde Valentinus

Gen-

Gentilis. Etiam Bullingerus Sacramentarius ait, diuinas Perſonas non differre ſubſiſtentia, ſed gradu, forma, & ſpecie; adeòque eſſe vnam ſolam Perſonam quoad hypoſtaſim.

Quintus eſt Giliberti Porretani dicentis, diuinas relationes eſſe realiter eſſentiæ ſuperadditas, cum diſtinctione reali ab illa.

6. Eſt Caietani admittentis in Deo ſemiſuppoſitum abſolutum, conflatum ex eſſentia, & ſubſiſtentia abſoluta; eorumque omnium, qui admittunt ſuppoſitum abſolutum, præter relatiua.

7. Eſt Valentini Gentilis Itali (cuius aſſeclæ dicti ſunt Thrithetitæ) aſſerentis, tres Perſonas habere tres eſſentias diſtinctas, ita vt ſolus Pater ſit verus Deus, aliæ verò Perſonæ ſint Dij inferiores. Quem errorem hauſit ex veteribus Peratis, quibus adhæſere Philoponus, & Abbas Ioachimus (qui fuit damnatus in Later. ſub Innoc. 3. c. 2.) & Raymundus Lullus, vt refert Bernardus de Lucemburgo. Præterea dixit, Patrem non eſſe hypoſtaſim, & Perſonam, ſed ſpiritum.

8. Eſt eiuſdem Abbatis Ioachimi aſſerentis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non eſſe vnam aliquam ſingularem eſſentiam, ſed plures, in quo conueniebat cum Valentino, & dici vnũ ſolũ collectiuè, & ordine quodã, ſicut omnes fideles ſunt vnum corpus myſticum, &

vna

vna Eccleſia, in quo ab illo diſcrepabat.

9. Macedoniani, & Eunomiani negabant, Spiritum Sanctum à Patre procedere, nè faterentur illum Deum, aſſerentes, illum procedere à ſolo filio, tamquàm creaturam ab eo productam.

10. Petrus de Aliaco in 1.q.3.cui ſubſcribit Marſilius in 1.q.5.ar.2.ad 5. dixit, tres Perſonas diuinas de rigore ſermonis verè poſſe dici tres Deos, quamuis debeat euitari hic modus dicendi, nè videantur admitti tres diuinitates.

11. Eunomius (vt refert Auguſtin. 15. de Trinit. cap. 20.) dicebat filium fuiſſe genitum voluntate accedente, ſeu ſuperueniente Patri per modum accidentis, adeòque vt liberè productum eſſe contingentem, & creaturam.

12. Maximinus (contra quem ſcripſit plures libros Auguſt. vt ipſe refert lib.3. cap.12. in fine) dicebat, Patrem eſſe potentiorem filio, eò quia illum genuerit creatorem, quod non potuit filius. Vide eius confutationem apud Magiſtrum in 1.d.7.B.

13. Arriani, Valentiniani (vt refert Iræneus lib.1.c.1.) Samoſateniani (teſte Athanaſ. orat. con. Arrian.) Neſtoriani (vt habetur in Conc. Epheſ. & 5. ſynodo generali c.12. vbi dicitur acceſſiſſe etiã Theodorus Mopſueſtenus) & alij dicebant

bant, Verbum æternum non eſſe eamdem Perſonam cum filio Dei, adeoque neque cum Chriſto Domino, quem proinde inferebant eſſe creaturam.

14. Sabelliani (vt refert Athanaſ. or. con. Sabelli gregales) Valentiniani (vt refert Ireneus lib. 2. cap. 18.) Michael Seruetus, Georgius Blandrata, & Franciſcus Dauidis (vt refert Valen. tom. 1. diſp. 2. q. 1. p. 1.) quibus aliqui adnectunt Origenem, dixerũt, Verbum non eſſe rem ſubſiſtentem, ſed ſimplicem quamdam Dei conceptionem de carne ſuo tempore induenda, ſimilem noſtro verbo. Vnde inferebant, non Verbum, ſed Deum eſſe incarnatum.

15. Alogiani negabant, dari Verbum in Deo. Et ideo non admittebant vt libros canonicos Euangelium Ioannis, & Apocalypſim, in quibus de illo fit expreſſa mentio, vt refert Auguſt. lib. de hæreſ. c. 30.

16. Sedducæi penitùs negabant, dari Spiritum Sanctum, vt refert Nazianzenus or. 5. de theologia.

17. Ebion, Cherintus, Paulus Samoſatenus, & Photinus dixerunt, Chriſtum eſse purum hominem, vt refert Val. to. 1. diſp. 2. q. 1. p. 1. §. 6.

18. Seruetus, Blandrata, & Franciſcus Dauid dixerunt, filium, & Spiritum Sanctũ non eſſe Perſonas per ſe ſubſiſtentes, ſed eſse virtutes quaſdam Dei Patris.

19. Idem Seruetus (qui Caluino in fenſus, eius iuſsu combuſtus eſt Genuæ)

uæ) dixit, Chriſtum Dominum non eſse Deum ſecundùm eſſentiam, & hypoſtaſim, ſed ſolùm ſecundùm humanitatem, quatenus abſque ſemine virili, ex Dei ſubſtantia conceptus fuerit; adeòque dici Deum, eiuſque filium gratia, ſanctificatione, & ſingulari inhabitatione diuinitatis in ipſo. Atque adeo negat, in illo dari duas naturas, humanam, & diuinam, & hypoſtaſim, ſeu Perſonam increatam, quia in illo admittit ſolùm perſonam, & naturam humanam. Eius errorem ſecuti ſunt etiam Dauid, & Blandrata, qui omnes negarunt Chriſti diuinitatem, quam illi ſolùm conceſſerunt per quamdam communicationem ad extra, terminatam ad eius humanitatem, quam proinde dicebant eſſe vbique, omnipotentem, &c. His etiam acceſſit Theodorus Beza, qui ſcripſit librum contra Bruentium de omnipotentia carnis Chriſti, cum multis alijs eiuſdem farinæ nequiſſimis apoſtatis.

20. Franciſcus Stancarus (vt refert, & confutat Gerebrardus lib. 1. de Trinitate) quem ſecuti ſunt plures hæretici recentiores, dicebat, Verbum eſſe Deum à ſe ipſo, & non à Patre; vnde dicti ſunt authotheani. Quamuis Bellar. tom. 1. cont. 2. lib. 2. cap. 19. neget, ſe apud talem authorem inueniſſe hunc errorem.

21. Guglielmus Pariſienſis in tract. de Trin. penès Ruiz q. 28. diſp. 9. ſect. 1. docuit ex profeſſo, non ſolùm in creatis, ſed neque in diuinis dari relationes reales,

les, quas dicebat eſſe entia rationis, & non reales entitates, vt videre eſt penès Carthuſianum in 1.d.26. q.2. poſt med. Cui videntur accedere Ocham, & Gabriel docentes, diuinas perſonas conſtitui proprietatibus abſolutis, & non relatiuis, qui tamen ibi excuſantur à Ruiz, eò quòd primus non admittat in diuinis plura abſoluta realiter diſtincta; & ſecundus ſuum dictum ſubmittat cenſuræ Eccleſiæ.

Hi ſunt errores præcipui, qui vexarũt Eccleſiam, circa myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, in quorum confutationem cogitaueram peculiarem inſtituere diſputationem. Sed quia eorum appoſita confutatio pendet à tota materia de Trinitate, ideo ſatius duxi illam proſequi, erroreſque relatos ſingillatim euertere, prout quæſtionibus agitandis, ſe ſe mihi porrigetur occaſio.

DISPVTATIO III.

De Veſtigio Trinitatis.

VIdimus, non poſſe lumine naturali indagari Trinitatem. Videndum eſt, an ſaltem poſſit cognoſci per veſtigium? Quæremus ergo 1. An detur in rebus creatis veſtigium Trinitatis? Et deinde an poſſit per illud inueſtigari?

ARTICVLVS PRIMVS.

An detur in omnibus creaturis veſtigium Trinitatis?

VIdetur non dari, 1. Quia veſtigium eſt id, per quod res inueſtigatur. Sed ex creaturis non poteſt inueſtigari Trinitas Perſonarum. Ergo in illis non datur veſtigium Trinitatis.

2. Veſtigium non eſt, niſi ſecundùm modum, ſpeciem, & ordinem. Sed modus, ſpecies, & ordo non habent hæc præ-

prædicata; aliter darentur modus modi, ſpecies ſpeciei, & ordinis ordo. Ergo ſaltem in his non datur veſtigium Trinitatis.

3. Ambroſ. in hexam. ait, lucem non eſſe creatam in numero, pondere, & menſura. Ergo lux non habet hoc veſtigium.

4. Veſtigium, & imago ad inuicem opponuntur, tamquam membra diuidentia eiuſdem totius diuiſi, quod eſt repræſentans vt ſic. Ergo vbi eſt vnum, non eſt aliud. Sed in multis eſt imago Trinitatis, vt patebit diſput. ſeq. Ergo ſaltem in illis non eſt veſtigium Trinitatis.

Prò reſolutione, notandum eſt 1. hic non quæri, an detur in omnibus creaturis veſtigium Dei, quatenus creator, ſeu quatenus vnus eſt; hoc enim apertè aſſeritur à noſtro Egid. in 1. d. 3. p. p. princ. 2. q. 2. ar. 1. ex Aug. dicente 6. de Trin. c. 9. *oportet, vt Creatorem per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciamus*. Quod idem aſſeritur à diuo Thom. 1. p. q. 93. ar. 1. & paſſim admittitur ab omnibus aliis. Quæſtio ergo eſt, an detur in nobis veſtigium Dei, vt eſt trinus, ſeu ipſius Trinitatis?

Notandum 2. cum eodem Egid. in loc. cit. veſtigium propriè dici reſpectu pedis animalis; adeòque huiuſmodi veſtigium reſpectu Dei, in proprietate ſermonis, inueniri non poſſe. Quæſtio ergo procedit ſecundùm translationem, &

metaphoram, ſecundùm quam tripliciter poteſt in vno reperiri veſtigium alterius, nempe per repræſentationem, per cognitionem, & impreſſionem.

3. Veſtigium non eſſe idem, atque imaginem. Nam veſtigium non ſolùm repræſentat ſuam cauſam, ſed prætereà eius cauſalitatem; imago autem ſolùm formam, entitatem, ſeu perſonam ſui imaginati. Siquidem imago Cæſaris expreſſa per picturam, non eſt eius effectus; contra verò veſtigium Petri non poteſt Petrum repræſentare, niſi fiat à Petro, eiuſque cauſalitatem repræſentet, ſaltem confusè. Et ideo Durandus in 1. d. 3. q. 4. ita veſtigium deſcribit, *eſt impreſſio pedis in puluere derelicta, qua ducit in cognitionem hominis, cuius eſt impreſſio, non tamen determinatè in cognitionem eius, ſed confusè in cognitionem alicuius.*

Concluſio. *Veſtigium Trinitatis translatè, & metaphoricè reperitur in omnibus creaturis, etiam irrationalibus.* Eſt Egidij in loc. cit. q. 3. diui Tho. 1. p. q. 45. ar. 7. Durandi loco cit. & communiter aliorum.

Probatur, in eo datur veſtigium alterius translatè, & metaphoricè, in quo dantur, ſaltem diſiunctiuè, & imperfectè repræſentatio, cognitio, & expreſſio illius. Sed in omnibus creaturis dantur repræſentatio, expreſſio, & cognitio Trinitatis, ſaltem diſiunctiuè, & imperfectè. Ergo translatè, & metaphoricè

da-

datur veſtigium illius. Maior patet ex 2. notando. Minor probatur 1. ex Aug. 6. de Trin. c. 9. dicente, *oportet, vt Creatorem per ea quæ facta ſunt conſpicientes, Trinitatem intelligamus.* Et infra, *veſtigium Trinitatis inuenitur in vnaquaque creatura, ſecundum quod vnum aliquod eſt, & ſecundum quod aliqua ſpecie formatur, & ſecundum quod quẽdam ordinem habet.* Quod idem confirmat in alijs locis. Deinde ratione, in omnibus rebus inueniuntur hæc tria, ſubſtantia, virtus, & operatio. Item ſubſtantia, ſpecies, & ordo, quod videtur innui Sap. 11. *Omnia feciſti in numero, pondere, & menſura.* Nam (vt exponit hic diuus Thomas) *Menſura refertur ad ſubſtantiam rei limitatam ſuis principijs, numerus ad ſpeciem; & pondus ad ordinem; ad quæ reducuntur etiam illa tria poſita ab Aug. loc. cit. videlicet modus, ſpecies, & ordo.* Quia tamen hæc tria non conueniunt, niſi entibus per ſe, quæ ſola ſunt ſubſtantiæ; ideo vt veſtigium Trinitatis conueniat omnibus, etiam non ſubſtantijs, Egid. hic q. 3. aliter explicat locum Sap. *in numero, pondere, &c.* cum Auguſt. 4. ſuper Geneſ. ad lit. & in quæſtionib. ad Oroſium, nempe, *Deus conſtituit omnia in ſeipſo, qui eſt pondus ſine pondere, numerus ſine numero, & menſura ſine menſura,* ita vt hæc tria ſola ratione diſtinguantur; vel quòd omnia habeant numerum, ideſt rationem ſpecificam: pon-

dus, ideſt vnitatem genericam: & menſuram, ideſt limitationem in eſse, quæ omnibus conueniunt, etiam non ſubſtantijs. Quare concludit Durandus, in omnibus reperiri veſtigium Trinitatis, in quibus eſt aliqua repræſentatio, ſaltem confuſa illius. Cùm ergo in omnibus, in quibus inſunt hæc tria, ſit aliqua repræſentatio Trinitatis, ſaltem confuſa, infertur ineſse veſtigium Trinitatis. Sed hæc tria omnibus inſunt. Ergo concludit vniuerſaliter, in omnibus creaturis dari veſtigium Trinitatis; *inquantum in qualibet creatura inueniuntur aliqua, quæ neceſse eſt reducere in diuinas Perſonas, ſicut in cauſam*, vt conſiderat diuus Thomas loco citato.

Ad 1. Diſtinguo minorem, non poteſt ex creaturis inueſtigari Trinitas clarè, & demonſtratiuè, concedo: confusè, & per modum cuiuſdam adaptationis, vt loquitur Durandus loc. cit. nego minorem, & conſequentiam; cùm ſtatutum ſit, ſufficere ad rationem veſtigij repræſentationem imperfectam.

Ad 2. Nego minorem. Et dico, hæc non eſſe prædicata realiter diſtincta à rebus, ſed ſolùm ratione. Ergo non debent habere veſtigium realiter diſtinctùm à rebus, quas afficiunt. Et licèt eſſent realiter diſtincta, adhuc per ſe ipſa præſtarent hos effectus formales. Sicut enim vbicatio non ſolùm ponit corpus in loco, ſed etiam ſeipſam; ita & ordo per ſeipſum formaliter eſt or-

do

do ſui, & alterius. Quod idem dico de menſura, & pondere.

Ad 3. Nego conſequentiam. Et dico, verba Ambroſij non eſſe intelligenda in ſenſu abſoluto, in quo eſſent falſa, ſed comparatiuè cum alijs, ideſt quòd lux minus habeat limitationis, quàm cætera corpora, non autem quòd nullo modo ſit limitata. Ergo etiam ipſa habet hoc veſtigium.

Ad 4. Nego antecedens cum Egid. in 1. d. 3. p. p. princip. 2. q. 3. ad 3. Et dico, quòd veſtigium, & imago ſe habent ad inuicem vt genus, & ſpecies, ſicut ſe habent animal, & rationale, ita vt omnis imago ſit veſtigium, & non econuerſo. Neque obſtat, quòd veſtigium, & imago diuidant repræſentans vt ſic; nam cùm hoc non ſe habeat vniuocè ad veſtigium, & imaginem, non habet rationem totius diuiſi; & ideo poſſunt membra ſe inuicem includere, tamquàm membra imperfectæ diuiſionis. Præterea imago, & veſtigium diuidunt repræſentans vt ſic, non vt ſpecies atomæ, ſed vt ſpecies ſubalternæ, eo modo quo viuens, & animal diuidunt corpus. Ergo ſicut animal includitur in viuente, ita & imago includitur in veſtigio. Atque adeo ſicut diuiſio corporis in viuens, & animal non eſt bona, quia non fit in proxima membra, ita nec diuiſio repræſentantis in veſtigium, & imaginem.

ARTICVLVS II.

An poſſit per veſtigiũ cognoſci Trinitas?

VIdetur non poſse, 1. quia Dyonis. lib. 1. de diuinis nom. ait, ***natura diuina non eſt inueſtigabilis***. Sed quod poteſt cognoſci per veſtigium, eſt inueſtigabile. Ergo natura diuina non eſt cognoſcibilis per veſtigium; & à fortiori neque Trinitas Perſonarum.

2. Aug. 1. de Tr. c. 2. ait, ***humana mentis acies inualida in tàm excellenti luce figi nõ valet, niſi per iuſtitiam fidei adiuuetur, & emundetur***. Ergo cognoſcere Deũ vt eſt in ſe trinus, eſt effectus ſolius fidei, non autem naturalis veſtigij.

3. Apoſtolus 1. ad Cor. 13. ait ***cùm venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod eſt ex parte***. Cùm ergo fideles cognoſcant Deum per imaginem, non cognoſcunt per veſtigium.

Concluſio, ***Poteſt Deus etiam vt trinus cognoſci naturaliter per veſtigium, non tamen clarè, ſed implicitè, & ſubobſcurè***. Eſt diui Tho: 1. p. q. 45. ar. 7.

Probatur cum Egid. in 1. d. 3. p. p. prin. 2. q. 4. Quælibet creatura continet in ſe veſtigium Trinitatis, vt dictum eſt. Ergo eſt quoddam obſcurum ſpeculum, in quo diuina Trinitas cognoſcatur; adeòque manù ducit ad illius cognitionem, licèt obſcuram, & imperfectam. Non tamen omnes poſsunt eodem modo manuduci ad talem cognitionem. Sicut

enim

enim aliqui vident ſpeculum, ſed non in ſpeculo, quia vident ſolùm naturam ſpeculi materialiter, non tamen cognoſcunt imaginem, quæ in illo fit; & alij cognoſcunt non ſolùm naturam ſpeculi, ſed etiam imaginem, quæ in illo fit, non tamen illam cognoſcunt per ſpeculum, eò quia cauſa illam cognoſcendi non ſit ſpeculum, ſed intentio quam habent ad illam, eò quia ſit amici optimè à ſe noti, cuius imaginem ſemper geſtant in corde. Ita multi cognoſcunt ſolùm materialiter veſtigium Trinitatis, non tamen cognoſcunt in illo Trinitatem; adeòque cognoſcunt ſpeculum, ſed non ea, quæ ſunt in ſpeculo. Alij non ſolùm cognoſcunt illud veſtigium, ſed etiam in illo cognoſcunt Trinitatem, quamuis imperfectè; non tamen illam cognoſcunt per veſtigium; adeòque cognoſcunt quidem ſpeculum, & in ſpeculo, ſed non per ſpeculum, quia ratio cognoſcendi Trinitatem non eſt hoc veſtigium, ſed diſcurſus e. gr. Alij demum cognoſcunt veſtigium Trinitatis, & in illo Trinitatem, & cauſa illam cognoſcendi eſt ſolùm veſtigium, ſine quo nullo modo illam cognoſcerent; adeòque cognoſcunt ſpeculum, & in ſpeculo, & per ſpeculum.

Vt autem meliùs percipiatur hæc diuerſitas cognoſcendi, illam Egidius applicat Deo, beatis, & viatoribus. Ait enim, viatores cognoſcere veſtigium, in veſtigio, & per veſtigium, quia cùm

Deum in ſeipſo non cognoſcant, ſed per ſpeculum in ænigmate, illum ſolùm cognoſcunt in veſtigio, quòd eſt ipſis cauſa cognoſcendi; nam per ea, quæ facta ſunt, aſcendunt ad cognoſcendum Deum; & ideo cognoſcunt etiam per veſtigium. Beati cognoſcunt quidem Deum in veſtigio, eò quia illum, ſaltem ſecundùm omnia prædicata, non cognoſcant vt eſt in ſe, non tamen cognoſcunt per veſtigium, quia cauſa illum cognoſcendi eſt ſola diuina eſsentia. Deus autem, quia omnia cognoſcit, cognoſcit etiam veſtigium ſui, non tamen cognoſcit ſe in illo, quia ſe cognoſcit immediatè, vt eſt in ſe, per ſui comprehenſionem, neque ſe cognoſcit per veſtigium, quia ſe cognoſcit per ſuam eſsentiam. Et ideo ait Auguſtinus q. 83. *omnia in ſe ipſo cognoſcit Deus, & nihil extra ſe.*

Quia tamen diſp. 13. de viſione ſtatuimus, Beatos videre omnia, quæ ſunt in Deo, ideo hanc partitionem non admittimus. Aliter ſi Beati viderent Deum in veſtigio, viderent illum in ænigmate, & non facie ad faciem, vt docet fides. Ergo talem partitionem reſtringimus ad ſolos viatores.

Ad 1. Dico, à Dyoniſio vocari Deum ininueſtigabilem, non quia nullo modo per veſtigium cognoſci poſſit, ſed quia non poteſt clarè, & perfectè cognoſci vt trinus, ſub proprijs terminis. Ergo falſa eſt conſequentia.

Ad

Ad 2. Patet reſponſio ex dictis. Cùm enim Auguſtinus loquatur de clara contemplatione Dei, vt eſt in ſe, hanc certè habere non poſſunt Philoſophi Gentiles per creata veſtigia, ſed ſoli fideles per fidem illuminati, excluſis peccatoribus, qui concupiſcentiæ nebulis obtenebrantur.

Ad 3. Nego conſequentiam, quæ ſolùm valeret, quando cognitio Dei per imaginem eſſet perfecta, ſicut eſt cognitio per eſſentiam, vt videtur innuere Egid. in 1.d.3. p.2. princ. 1.q. vnica, vbi diſtinguens veſtigium ab imagine ait, *imago in hoc diſtat à veſtigio, quòd veſtigium repræſentat id, cuius eſt, quantùm ad communia; ſed imago repræſentat etiam quantum ad perſonalia. Nam Hercules per eius veſtigium non cognoſcitur, niſi quatenus homo, ſed per imaginem cognoſcitur ſecundùm quòd talis perſona; & ſecundùm iſtum modum repræſẽtatur veſtigium Trinitatis in creaturis, quando per communia declaratur Trinitas; ſed tunc repræſentatur imago Trinitatis in creaturis, quando per propria, vt perſonalia deſignantur tres Perſonæ.* Quia tamen hæc imago perfecta Trinitatis non poteſt haberi, ſeu cognoſci ſine fide, ideo concludit Egid. in 1.d.3. p.1. princ. 2. q. 4. ad 2. *cognoſcere Deum per veſtigium, eſt philoſophorum: per imaginem, eſt fidelium: & per eſſentiam, Beatorum.*

DISPVTATIO IV.

De Imagine Trinitatis.

VIdimus, poſſe per veſtigium aliquo modo cognoſci in diuinis Perſonarum Trinitatem. Videndum nunc eſt, an poſſit etiam cognoſci per eius imaginem? Quæremus ergo 1. In quo conſiſtat ratio imaginis. Deinde an detur imago Trinitatis? Vbi quæremus, an detur in Angelis, hominibus, & creaturis inrationalibus? Et tandem multa dicemus de potentijs animæ.

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An imago diſtinguatur à ſimilitudine?

VIdentur non diſtingui, 1. Quia quod eſt de ratione alterius, non diſtinguitur ab illo. Sed ſimilitudo eſt de ratione imaginis. Ergo ab illa non diſtinguitur. Probatur maior, nam rationalitas non diſtinguitur ab homine, de cuius ratione eſt; aliter poſſet concipi homo irrationalis, quod repugnat. Probatur minor, quod non eſt alteri ſimile, non poteſt illud exprimere. Ergo non poteſt eſſe illius imago. Ergo in ratione imaginis inuoluitur formaliter ſimilitudo.

2. Quæ ſubſumuntur, vt genus, & ſpecies, non diſtinguuntur. Sed ſimilitudo habet rationem generis ad imaginem, quæ ſubſumitur vt vna ſpecies illius. Ergo non diſtinguuntur.

Concluſio, *Similitudo non eſt idem formaliter, atque imago.*

Probatur, ad rationem imaginis multa requirũtur, quę nõ requiruntur ad rationẽ ſimilitudinis. Ergo poteſt haberi vna ſine alia. Sed quæ realiter ſeparantur, realiter diſtinguuntur. Ergo ſimilitudo realiter diſtinguitur ab imagine. Probatur antecedens, nam ad rationem formalem imaginis requiritur 1. quòd repræſentet, & exprimat id, cuius eſt ima-

imago. 2. quòd fiat per imitationem; & ideo dicitur 6. topic. *imago eſt, cuius generatio eſt per imitationem.* Et hæc imitatio debet eſſe diſtincta, & indiuidualis, quantum poſſibile eſt. 3. Debet exprimere obiectum, non ſolùm quoad prædicata communia (quod eſt proprium veſtigij) ſed etiam quoad ſpecialia, & perſonalia. Et ideo (vt obſeruat diuus Tho: 1. p. q. 93. ar. 2.) *imago debet eſſe ſimilitudo ſecundùm ſpeciem, vt imago Regis eſt in filio ſuo; vel ad minus ſecundùm aliquod accidens proprium ſpeciei, & præcipuè ſecundùm figuram, ſicut hominis imago dicitur eſſe in cupro.* Cùm ergo ſpecies conſtituatur formaliter per compoſitionem generis proximi cum vltima differentia; ideo ad rationem imaginis requiritur ſimilitudo, ſecundùm vltimam differentiam. Et hæc eſt ratio, cur diuus Hilar. in lib. de ſynodis ait, *imago eſt ſpecies indifferens*, hoc eſt *vna*, vt explicat diuus Thomas hìc ar. 1. ad 3. Quartò Durandus in 1. d. 3. q. 1. ait etiam requiri, quòd ipſa ſimilitudo ſit expreſſa ab imaginato actiuè, vel exemplariter. Debet enim eſſe imago, quaſi imitago, quia debet fieri ad ſimilitudinem, vel imitationem alterius; propter cuius defectum vnum ouum non eſt imago alterius, licèt illi ſimillimum, quia ab illo neutro modo exprimitur. Et Aug. lib. 83. q. dicit, *vbi eſt imago, continuò eſt & ſimilitudo; ſed vbi eſt ſimilitudo, non continuò eſt ima-*

go, vt oſtendat, ſimilitudinem eſſe ſeparabilem ab imagine.

Confirmatur cum diuo Tho: hic q. 93. ar. 9. Similitudo antecedit, & ſubſequitur ad imaginem. Sed nihil poteſt antecedere, & ſubſequi ad ſeipſum, vt patet. Ergo diſtinguitur ab imagine. Maiorem probat Angelicus tali pacto, ſimilitudo eſt quædam vnitas, nam vnitas in qualitate facit ſimilitudinem, vt patet ex 5. met. Sed vnitas eſt præambula ad imaginem, vt aliquid illa vniuerſalius, quòd reperitur etiam in ijs, in quibus non eſt imago, ſed ſolùm veſtigium Trinitatis. Neque enim aliquid poteſt concipi vt imago, niſi concipiatur vt vnum. Præterea eſt conſequens, quia ſimilitudo concipitur vt perfectio imaginis; eò enim eſt perfectior imago, quò eſt ſimilior imaginato. Ergo eſt ad illam præambula vt genus, & ſubſequens vt eius perfectio.

Ad 1. Diſtinguo maiorem, quod eſt de ratione alterius non diſtinguitur ab illo adæquatè, concedo: non diſtinguitur inadæquatè, nego maiorem. Et admiſſa minori, diſtinguo conſequens, imago non diſtinguitur adæquatè à ſimilitudine, concedo: non diſtinguitur inadæquatè, vt includens ab incluſo, nego conſequentiam. Et retorqueo argumentum de rationalitate, quæ licèt ſit de eſſentia hominis, non tamen eſt tota eius eſſentia; & ideo ab illo diſtinguitur, vt pars à toto. Vnde patet reſponſio

ſio ad 2. Siquidem genus, vt pars ſpeciei, diſtinguitur ab illa. Ergo etiam ſimilitudo, vt pars imaginis, ab illa diſtinguitur.

ARTICVLVS II.

An in Angelis detur imago Trinitatis?

Videtur non dari, 1. Imago Trinitàtis debet exprimere proceſſionem Perſonarum vnius ab alia. Sed hoc non poſſunt exprimere Angeli, qui omnes fuerunt ſimul concreati, neque vnus procedit ab alio. Ergo Angeli non poſſunt habere imaginem Trinitatis.

2. Imago debet eſſe expreſſa ab imaginato actiuè, vel exemplariter, vt dictum eſt. Sed Angeli non ſunt ita expreſſi à Trinitate, non actiuè, quia non procedunt ab illa per modum naturæ, ſed per modum voluntatis; neque exemplariter, quia Deitas, & non Trinitas eſt exemplar creaturarum. Ergo non ſunt imago Trinitatis.

3. Dicitur Iſaiæ 49. *Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Sed hoc oſtendit, extra Deum non dari eius imaginem. Ergo in Angelis non datur imago Trinitatis.

Concluſio, *Datur in Angelis imago Trinitatis, immò perfectiùs, quàm in homine.*

Probatur, quia (vt obſeruat Egid.

in 1.d.3.p.2. princ.1. q. vnica, ex Aug. 1. de Trin.c.15. & 6. ſuper Geneſ. ad litt.) *imago eſt in eo, in quo homo excellit pecus.* Sed homo non excellit pecus, niſi in eo, quo attingit Angelos, nempe in eſſe intellectuali. Ergo à fortiori magis in Angelis inuenitur hæc imago, in quibus inuenitur perfectior vis intellectiua. Et ideo dicitur Angelus à Gregorio, *ſignaculum ſimilitudinis*, quia (vt gloſſat diuus Tho.1.p.q.93.ar.3.) *in eo ſimilitudo diuinæ imaginis inſinuatur expreſſa.*

Neque obſtat, quòd in homine inueniatur quædam Dei peculiaris imitatio, quatenus homo eſt de homine, ſicut Deus de Deo. Nam hoc non ſpectat ad primariam rationem imaginis, ſed ſolùm ad ſecundariam; & ideo non tollit ab Angelo rationem imaginis, quæ in eo perfectiùs reperitur, ſecundùm primariam eius rationem.

Ad 1. Nego maiorem cum Egid. hic ad 3. Et dico, ſufficere ad rationem imaginis, quòd repræſentet numerum ternarium Perſonarum, cùm vnitate eſſentiæ. Proceſſionis autem expreſſio non requiritur, niſi per accidens, quatenus eſt talis imago. Præterquamquòd hoc etiam aliquo modo exprimitur ab Angelo, in genere proceſſionis nobilioris, inter mentem, notitiam, & amorem, quorum trinitatem in ſe continet; ſiquidem notitia procedit à mente, & amor à mente, & notitia, vt videbimus.

Er-

Ergo nobiliùs exprimitur ab Angelo ratio proceſſionis.

Ad 2. Nego minorem. Quamuis enim Angeli non ſint à Deo actiuè, in ſimilitudinem naturæ, quòd eſt proprium ſolius Verbi æterni, tamen ſunt ab illo exemplariter, per participationem, & per hoc quòd fuerint facti iuxta diuinam ideam, quam Deus de illis habuit ab æterno in ſuo intellectu, quod ſufficit ad rationem imaginis imperfectæ, quam ſolam habent Angeli, quæ proinde potiùs dicuntur facti ad imaginem, & ſimilitudinem, quàm imago, & ſimilitudo Dei.

Ad 3. Reſpondeo cum diuo Tho: hic ar. 1. ad 1. Iſaiam loqui de imaginibus corporeis, & materialibus, quæ verè Deum exprimere non poſsunt; & ideo non ſunt imagines, vt videbimus. Ergo hinc non eliminantur imagines incorporeæ, quæ ſunt in Angelis.

ARTICVLVS III.

An detur in homine imago Trinitatis?

Videtur non dari, 1. Quia vel datur in omnibus hominibus, vel ſolùm in aliquibus? Non primum, quia Apoſtolus contradicit ad Rom. 8. *Quos Deus præſciuit conformes fieri imagini filij ſui, hos & prædeſtinauit.* Cùm ergo non omnes homines ſint prædeſtinati,

ti, neque omnes habent imaginem filij Dei. Neque ſecundum, quia quod conuenit homini, vt homo eſt, conuenit naturæ ſpecificæ, quæ reperitur in omnibus indiuiduis. Ergo vel ratio imaginis non conuenit homini, vt homo eſt, vel contradicitur Apoſtolo.

2. Idem Apoſtolus 1. ad Cor. 11. ait, *vir eſt imago Dei, mulier autem viri.* Ergo in fœmina non datur imago Trinitatis. Probatur conſequentia, imago viri non eſt imago Trinitatis. Sed fœmina eſt imago viri per Apoſtolum. Ergo non eſt imago Trinitatis. Ergo vel hæc imago non conuenit ſpeciei hominis, vel fœmina non reducitur ad ſpeciem hominis. Sed hoc repugnat Philoſophiæ. Ergo ſpeciei hominis non conuenit hæc imago.

3. Aug. in lib de fide ad Petrum ait, *vna eſt Sancta Trinitatis eſſentialiter diuinitas, & imago, ad quam factus eſt homo.* Et Hilarius 5. de Trin. *homo fit ad communem Trinitatis imaginem.* Ergo vna tantùm datur imago Trinitatis, nempe Verbum æternum, quod eſt imago perfectiſſima Patris, ad cuius ſimilitudinem factus eſt homo. Sed ſi daretur etiam in homine, darentur plures imagines Trinitatis. Ergo non datur in homine.

Concluſio, *Datur in omnibus hominibus vtriuſque ſexus imago Trinitatis.* Eſt Aug. 14. de Trin. Egidij in 1. d. 3. p. 2. princ. 1. q. vn. vbi aſſignat in homine mul-

multas Trinitates, diui Thomæ hìc, & eſt communis.

Probatur 1. Ex 1. Geneſ. *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; vbi aduertatur, dici *faciamus*, & *noſtram*, vt exprimatur, hominem factum eſſe, non ſolùm ad imaginem deitatis, ſed etiam Trinitatis, quæ exprimitur per numerum pluralem. Sed non eſſet factus ad imaginem Trinitatis, niſi poſſet illam exprimere. Ergo homo poteſt exprimere Trinitatem, adeòque eſt eius imago. Nomine autem hominis intelligitur natura humana, quæ amplectitur vtrumque ſexum, vt docet Aug. 12. de Trin. c. 12. Ergo vterque ſexus eſt imago Trinitatis.

2. In omnibus hominibus vtriuſque ſexus datur ternarius ex intellectu, memoria, & voluntate, quæ quamuis ſint tres potentiæ, *non tamen ſunt tres vitæ, ſed vna vita, nec tres mentes, ſed vna mens* (intelligendo nomine mentis ſubſtantiam animæ) *nec tres eſſentiæ, ſed vna eſſentia*, vt loquitur Auguſtinus lib. 10. de Trin. Ergo datur ſimilitudo ſecundùm differentiam quaſi ſpecificam Trinitatis. Sicut enim in illa ſunt tres Perſonæ inter ſe diſtinctæ, habentes eamdem eſſentiam, & diuinitatem, ita & hæ potentiæ diſtinguuntur ab inuicem, & tamen habent eamdem eſſentiam, & entitatem, per identitatem realem cum eadem anima. Sed quia in multis diſcrepant, ideo conſtituunt ſo-

lùm

lùm imaginem, & ſimilitudinem imperfectam Trinitatis. Quòd autem diſcrepent, probatur cum Magiſtro in 1.d.3. litt.G primò quia homo per hæc tria operatur, non tamen eſt hæc tria, neque enim homo eſt intellectus, vel voluntas in abſtracto; at diuinæ Perſonæ ſunt vnus Deus, & Deus eſt diuinæ Perſonæ; adeòque Deus eſt Pater, Deus eſt Filius, &c. Deinde homo habens hæc tria eſt vna tantùm perſona; Trinitas verò eſt triplex Perſona. Et ideo in homine illa tria non ſunt tres perſonæ, & vnus homo, ſed vna perſona vnius hominis; Perſonæ verò diuinæ ſunt tres Perſonæ, & vnus Deus. Demùm diuinæ Perſonæ cum identitate reali cum eadem eſſentia, admittunt ab inuicem oppoſitionem, fundantem in actu diſtinctionem realem vnius ab alia; at hæ potentiæ in homine cum identitate reali cum eadem ſubſtantia animæ, admittunt ſolùm ab inuicem diſtinctionem rationis, in noſtra ſententia, vel ſi admittunt iuxta alios diſtinctionem realem ab inuicem, non habent cum ſubſtantia animæ identitatem, ſed illi accidunt.

Ad 1. Nego minorem, & dico, dari in omnibus hominibus. Ad authoritatem Apoſtoli diuus Tho: triplicem in homine aſſignat imaginem, nempe creationis, per quam habet naturalem aptitudinem ad intelligendum, & amandum Deum; & hanc ait eſſe omnibus

com-

communem; recreationis, per quam homo actu, vel habitu Deum cognoſcit, & amat, licèt imperfectè, per conformitatem gratiæ; & hæc eſt communis ſolis iuſtis; & ſimilitudinis, per quam homo actu cognoſcit, & amat perfectè Deum, per ſimilitudinem gloriæ, & hęc conuenit ſolis beatis. Apoſtolus ergo loquitur ſolùm de ſecunda, & non de alijs.

Ad 2. Nego conſequentiam. Ad cuius probationem dico, Apoſtolum hìc loqui ſolùm de imagine accidentali, prouenien:e ex figura, colore, habitu, &c. quæ licèt ſit in fœmina reſpectu viri, non tamen tollit ab ea imaginem ſubſtantialem, prouenientem ab eſſe intellectiuo, de qua ſola hìc loquimur.

Ad 3. Diſtinguo conſequens, vna tantùm datur imago perfecta Trinitatis, quæ procedit per identitatem naturæ, concedo: vna tantum datur imago imperfecta, quæ habetur per participationem, & aſſimilationem, nego conſequentiam. Quia ergo Auguſtinus loquitur de prima, & non de ſecunda, de qua habetur quæſtio, ideo non facit contra nos.

AR-

ARTICVLVS IV.

An in omni creatura intellectuali detur imago Trinitatis?

VIdetur non dari, 1. quia Hylarius lib. de ſynodis ait, *imago eſt ſpecies indifferens* (ideſt non differens) *imaginati, indiſcreta, & vnita ſimilitudo ad coæquandam rem rei*. Sed inter Deum, & creaturam nulla poteſt eſſe, vel æqualitas, vel ſpecies indifferens. Ergo neque imago.

2. Imago, vt expreſſiua imaginati, manuducit ad illius cognitionem. Ergo ſi in omnibus creaturis intellectualibus detur imago Trinitatis, omnes hæ creaturæ cognoſcendo ſe, & alias ſibi ſimiles, cognoſcerent clarè Trinitatem, etiam naturaliter, ſicut naturaliter ſe cognoſcunt, quod repugnat dictis in diſp. 2.

3. Imago præcipuè attenditur ſecundùm figuræ ſimilitudinem. Sed in Deo nulla eſt figura, Ergo neque poteſt vlla imagine creata repræſentari.

4. Imago debet exprimere id, cuius eſt imago. Nulla autem creatura poteſt exprimere Trinitatem, alioquin daretur de facto eius ſpecies expreſſa. Ergo non datur eius imago.

Concluſio, *In omni creatura intelle-*

ctuali

ctuali datur imperfecta imago Trinitatis. Ita Ægid. in 1. d. 3. p. 2. prin. 1. q. vnic., diuus Thom. 1. p. q. 93. art. 2. alijque.

Probatur, in omni creatura intellectuali dantur mens, eius notitia, & amor. Sed hæc ſunt tria (vt aſſerit Aug. 9. de Trin.) Nam mens ſe amat; Non poteſt autem ſe amare, niſi ſe nouerit. Ergo ſe cognoſcit; adeòque dantur hæc tria, nempe mens, notitia, & amor. Sed hæc ſunt diſtincta ab inuicem, quamuis eſſentialiter, & ſubſtantialiter ſint vnum, & idem, ſaltem radicaliter. Ergo cùm mens ſit quaſi parens fœcunda, repræſentat Patrem æternum, & cum notitia ſit veluti eius proles, repræſentat filium æternum, & cùm amor reſultet ex vtraque, cuius eſt complexus, repræſentat Spiritum Sanctum, procedentem ex Patre, & Filio; atque adeo hæc tria conſtituunt imaginem Trinitatis, vt optimè infert Aug. lib. 14. de Trin.

Ad 1. Dico, argumentum concludere de imagine perfecta, de qua ſola loquitur Hilarius in tali loco, quæ cùm procedat per identitatem naturæ, ita conuenit filio Dei, vt non poſſit conuenire creaturis; non autem de imperfecta, quæ cùm procedat per aſſimilationem, & participationem, poteſt etiam inueniri in creaturis. Sicut ergo imago Regis videtur in nummo, cum quo non habet communem naturam, ita imago Trinitatis, videtur in creatura intellectuali, licèt

licèt hæc habeat diuerſam naturam à Deo.

Ad 2. Nego conſequentiam; ſiquidem imago manuducit ad cognitionẽ imaginati, eo modo, quo eſt illius imago. Cùm ergo imago, quæ eſt in creaturis, ſit imperfecta, manuducit ſolùm ad cognitionem imperfectam Trinitatis. Et rationem affert Auguſt. 15. de Trin. *quia maxima eſt differentia huius Trinitatis, quæ eſt in nobis, ad Trinitatem diuinam.* Vnde infert, & *ideo Trinitatem, quæ in nobis eſt, videmus potiùs, quàm creaimus; Deum verò eſſe Trinitatem, credimus potiùs, quàm videmus.*

Ad 3. Nego maiorem cum diuo Tho. hic ar. 6. ad 3. Et dico, quòd ſicut figura non eſt neceſſaria ad rationem veſtigij, ita neque ad rationem imaginis. Cùm ergo detur veſtigium Dei, quamuis careat omni figura, poterit dari eius imago, nulla in illo figura conſiderata.

Ad 4. Diſtinguo maiorem, debet exprimere imaginatum ſimpliciter, ideſt quantum illud eſt expreſſibile, & ſub conceptu proprio, nego: debet exprimere imaginatum ſecundùm quid, ideſt ſub aliquo conceptu communi, & confuſo, concedo maiorem; nam imago Cæſaris adhùc eſt imago, ſi illum repræſentet vt hominem, licèt non repræſentet vt tale indiuiduum. Non nego tamen, illam fore perfectiorem, ſi illum re-

repræſentaret etiam ſub proprio conceptu. Deinde diſtinguo minorem, nulla creatura poteſt exprimere Trinitatem, ſecundum quid, ideſt ſub conceptu communi Trinitatis vt ſic, nego: ſub conceptu proprio trinitatis diuinæ vt diuinæ, concedo minorem, & nego conſequentiam. Ergo quando negauimus, dari naturaliter ſpeciem expreſſam Trinitatis, locuti ſumus de ſpecie, quæ clarè repræſentet Deum vt trinum, non autem de ea, quæ illum repræſentet confusè, & abſtractiuè, quæ ab omnibus admittitur.

Dices, in hoc imago diſtinguitur à veſtigio, quòd hoc repræſentet obiectum, quantum ad communia, imago verò etiam quantum ad perſonalia, vt vidimus ex Egidio diſput. 3. art. 2. ad 3. Ergo imago debet clarè, & ſecundùm propria repræſentare imaginatum.

Diſtinguo antecedens, ſi ſermo ſit de imagine perfecta, cuiuſmodi eſt Verbum reſpectu Patris æterni, concedo: ſi de imperfecta, nego antecedens, & conſequentiam. Deinde diſtinguo conſequens, debet clarè repræſentare imaginatum, aliquo genere claritatis, concedo: omni genere claritatis, nego conſequentiam. Explico diſtinctionem, cognitio eò eſt clarior, quò à pluribus diſtinguit, vt vidimus in logicis; atque adeo cognitio hominis ſuo conceptu animalis, cõparata cum cognitione eiuſdem ſub conceptu viuentis, dicitur clarior, quamuis

ſim-

ſimpliciter ſit obſcura, quia licèt confundat hominem cum leone, & equo, tamen illum diſtinguit à planta, & oleribus, à quibus alia non diſtinguit. Hoc poſito, quia veſtigium Trinitatis illam repræſentat ſecundùm prædicata magis vniuerſalia, videlicèt cauſæ, finis, &c. imago verò etiam ſecundùm perſonalia, videlicèt trinitatis vt ſic, ideo imago illam clariùs repræſentat, quàm veſtigiũ, non tamen clariſſimè, quia non illam repræſentat ſub conceptu trinitatis diuinæ, vt diuinæ. Et hoc modo eſt exponendus Egidius.

ARTICVLVS V.

An detur imago Trinitatis etiam in irrationalibus?

Videtur dari, 1. Omnis effectus eſt imago ſuæ cauſæ. Sed etiam inrationalia ſunt effectus Trinitatis. Ergo & illius imago. Et ideo ait Dyoniſ. in lib. de diu. nom. *habent cauſata cauſarum ſuarum contingentes imagines,*

2. Idem Dyoniſ. ibid. ait, radium ſolarem habere maximam ſimilitudinem diuinæ bonitatis. Ergo habet etiam rationem imaginis; immò quò magis eſt perfecta ſimilitudo, eò eſt perfectior imago, vt dictum eſt.

3. Totum vniuerſum eſt melius, & perfectius, quàm ſolus homo. Ergo eſt

perfectior imago Trinitatis, quàm ſolus homo. Et ideo in lib. de conſol. cecinit Boetius, *Mundum mente gerens, ſimilique in imagine formans*. Sed illud non eſt intellectiuum. Ergo etiam in ratione carentibus datur imago Trinitatis.

Concluſio, *Non datur imago Trinitatis in creaturis irrationalibus*. Eſt Egidij loco cit. diui Thomæ, & aliorum.

Probatur 1. Illud ſolum eſt imago Trinitatis, quod habet operationem ſupra ſe conuerſiuam. Sed ſola natura intellectiua habet operationem ſupra ſe conuerſiuam, quæ proinde à Platone aſſimilatur circulo. Ergo illa ſola eſt imago Trinitatis. Probatur maior, non poſſumus repræſentare Trinitatem, niſi exprimendo actus rationales. Sed hi ſunt actus ad ſe conuerſiui, nam Pater ſe intelligendo generat Verbum, in quo ſe intelligit; & Pater, & filius ſpirant Spiritum Sanctum, quo ſe diligunt. Ergo non poſſunt exprimi, niſi ex natura habente actus ad ſe conuerſiuos. Probatur minor, ſola natura intellectualis producit intellectionem, qua ſe intelligit, & ſe intelligendo intelligit obiecta à ſe diſtincta, & illa ſola producit amorem rerum, quo ſe amat. Res autem materialis eſt quanta, adeòque non poteſt ad ſe conuerti, neque quoad eſſe, neque quoad operari, quia dimenſio reſiſtit dimenſioni. Vnde obiter infer, omnes

actus

actus intellectus, & voluntatis reflectere ſupra ſe, vt probauimus in log. lib. 1. diſp. 4. ar. 4.

2. Ad rationem imaginis non ſufficit quælibet ſimilitudo, ſed requiritur ſimilitudo ſecundùm ſpeciem, adeòque ſecundùm quaſi vltimam differentiam, vt docet diuus Thom. 1. p. q. 93. ar. 2. Sed creaturæ materiales irrationales aſſimilantur Deo solùm quaſi genericè, in quantum ſunt, & adſummum inquantū viuunt, ſi ſint viuentia. Ergo non aſſimilantur quaſi ſpecificè, inquantum intelligunt, & volunt. Sicut ergo vermis, quamuis ortus ex homine, & gerat cum illo ſimilitudinem ſecundùm genus viuentis, non tamen eſt illius imago; ita nec huiuſmodi creaturæ ſunt imago Dei, quamuis propter aliqualem cum illo ſimilitudinem, poſſint dici eius veſtigium.

Ad 1. Diſtinguo maiorem, omnis effectus eſt imago remota, & imperfectiſſima ſuæ cauſæ, concedo: eſt imago proxima, & immediata ſuæ cauſæ, nego maiorem. Et admiſſa minori, ſub eadem diſtinctione nego conſequentiam. Et ratio affertur à diuo Thom. q. cit. ar. 2. ad 1. *Omne imperfectum eſt quadam participatio perfecti; adeòque etiam ea, quæ deficiunt à ratione imaginis, inquantum tamen aliqualem Dei ſimilitudinem habent, participant aliquid de ratione imaginis. Et ideo dicitur, quòd cauſata habent cauſarum contingentes imagines,*

ideſt quantum contingit ea habere, & nō ſimpliciter. Quia ergo in omni creatura inuenitur participatio, & aſſimilatio illius imaginis, quæ propriè inuenitur increaturis intellectualibus, ideo etiam in irrationalibus eſt quædam remota, & participata imago Trinitatis, quæ congruentiùs diceretur imago mediata, per participationem veræ imaginis.

Ad 2. Nego conſequentiam, propter rationem, quam affert Angelicus quæſt. cit. ar. 2. ad 2. quia nempe aſſimilatio facta à Dionyſ. inter ſolarem radium, & diuinam bonitatem, procedit *quantum ad cauſalitatem*, eò quia ſicut Deus eſt cauſa omnium, ita & ſolaris radius concurrit ad omnes effectus ſublunares, *non verò ſecundùm dignitatem naturæ, quæ requiritur ad rationem imaginis*.

Ad 3. Diſtinguo antecedens, vniuerſum eſt perfectius homine diffuſiuè, & extenſiuè, concedo: intenſiuè, & collectiuè, nego antecedens, & conſequentiam. Nam ratio imaginis non attenditur penès perfectionem extenſiuam, ſed penès intenſiuam, niſi loquamur de imagine remota, & mediata, de qua dictum eſt in reſponſione primi. Præterquamquòd totum numquam diuiditur contra partem, vt docèt hic Angelicus in reſponſ. tertij, ſed vna pars contra aliam. Cùm ergo dicitur, quòd homo eſt imago Dei, non negatur, quòd etiam yniuerſum, cuius homo eſt pars, ſecundùm

dùm talem partem ſit imago Dei. Eo modo, quo cùm dicitur homo intellectiuus, non negatur, quòd animal vt ſic ſecundùm aliquid ſui ſit intellectiuum.

ARTICVLVS VI.

An imago Trinitatis conueniat homini ſolùm ſecundùm mentem?

Videtur quod non, 1. Quia Auguſt. lib. 12. ſuper Geneſ. ad lit. ait, *triplex viſio inuenitur in nobis; ſcilicèt corporalis, ſpiritualis, ſiue imaginaria, & intellectualis*. Sed ſingulis viſionibus debent correſpondere ſingulæ trinitates, & imagines. Ergo non ſolùm in homine datur imago Trinitatis ſecundùm mentem, ſed etiam ſecundùm corpus.

2. Idem Auguſt. 11. de ciu. ait, *homo eſt factus ad imaginem Dei ſecundùm quod eſt, & eſſe nouit, & ſuum eſſe ad noſſe dirigit*. Sed eſt non ſolùm intellectualis, ſed etiam corporeus. Ergo debet habere imaginem, non ſolùm ſpiritualem correſpondentem animæ, ſed etiam materialem correſpondentem corpori.

3. Vir non diſtinguitur à fæmina, niſi per materiam. Sed vir per diſtinctionem a fæmina habet imaginem Dei. Ergo habet illam etiam per materiam. Et ideo 1. Geneſ. dicitur, *creauit Deus hominem*

minem ad imaginem ſuam, &c. maſculum, & fœminam creauit eos.

Concluſio, *Imago Trinitatis conuenit homini ſolùm ſecundùm mentem*. Ita diuus Tho. hic ar. 6.

Probatur, homo non habet rationem imaginis, niſi ſecundùm id, quo excedit alias creaturas inferiores. Sed hoc eſt ſola mens, intelligendo nomine mentis animam rationalem. Ergo ſolùm ſecundùm mentem habet rationem imaginis. Et ſecundùm alias partes habet ſolùm rationem veſtigij, quia per illas conuenit cum inferioribus. Minor, & conſequentia ſunt euidentes. Maior probatur, ratio imaginis deſumitur ex eo, quod repræſentet ſecundùm ſimilitudinem ſpeciei, veſtigium autem per modum effectus, per ſimilitudinem quaſi genericam. Homo autem non aſſimilatur Deo quaſi ſpecificè per corpus, ſed per animam. Ergo per animam ſolam habet imaginem Dei.

Neq; obſtat, quòd nulla creatura (vt opponit Scotus) repræſentet Deũ, ſecundũ conceptũ ſpeciei ſpecialiſſimæ, ſed ſolũ ſecundùm cõceptus communes. Nam cũ hìc non loquamur de ſpecie ipſius hominis repræſentantis, ſed Dei repræſentati, qui propriè neque eſt ſub genere, neque ſub ſpecie, neque ſub differentia, ideò (vt optimè hìc probat Caietanus) nomine ſpeciei ſpecialiſſimæ intelligimus illum gradum in Deo, per quem fœcundatur ad intra, hoc eſt eſſe intelle-

ctiuum,

ctiuum, & volitiuum. Atque adeo cùm perfectio hominis ſecundùm mentem repræſentet hunc gradum, quem nulla alia creatura inferior, nec ipſe homo ſecundùm alias partes repræſentat, benè ſequitur, quòd ſolus homo, & ſolùm ſecundùm mentem gerat imaginem Dei trini. Dixi *gerat*, quia non totus homo eſt eſſentialiter, & adæquatè imago, ſed illam includit ſecundùm aliquid ſui.

Vnde patet reſponſio ad 1. Siquidem viſio corporea, ſeu imaginaria, poteſt quidem per aliquam trinitatem creatam repræſentare increatam per modum veſtigij, non autem per modum imaginis, propter dicta.

Ad 2. Nego conſequentiam. Et ratio apparet ex ipſo textu; ſiquidem homo non eſt factus ad imaginem Dei adæquatè, ideſt, quòd totus ſit imago, ſed inadæquatè, ita vt illam habeat in aliqua ſui parte, nempe in illa, *per quam nouit eſſe*, quæ eſt intellectus, *& ſuum eſſe ad noſſe dirigit*, quæ eſt voluntas. Et ideo idem Aug. ſe explicat lib. 9. de Trin. vbi aſſignat imaginem Dei ſecundùm mentem, notitiam, & amorem, quæ ſpectant ad ſolam animam.

Ad 3. Nego minorem. Et ad locum ſcripturæ reſpondet Angelicus hic ad 2. *Poſtquam ſcriptura dixerat, ad imaginem Dei creauit illum, addidit maſculum, & fœminam creauit eos, non vt imago Dei ſecundùm diſcretionem ſexuum attendatur, ſed quia imago Dei vtriuſque*

ſexui eſt communis, cùm ſit ſecundùm mentem, in qua non eſt diſtinctio ſexuum.

ARTICVLVS VII.

An partes imaginis ſint intellectus, memoria, & voluntas?

VIdentur non eſſe, Primò, memoria habet organum determinatum ad occiput. Ergo non ſpectat ad naturam intellectualem, in qua ſola datur imago. Præterea reſpicit tranſitoria, & præterita. Ergo non poteſt eſſe imago, quæ eſt reſpectu Dei, & ſui.

2. Voluntas appropriatur Spiritui Sancto. Sed Spiritus Sanctus non eſt imago. Ergo neque voluntas eſt pars imaginis, quia non debet difformari appropriato. Præterea actus voluntatis eſt liber. Ergo non poteſt exprimere proceſſionem Spiritus Sancti, quæ eſt per modum naturæ. Atque adeo voluntas neque ſecundum ſe, neque ſecundum actum eſt pars imaginis.

Concluſio, *Partes imaginis ſunt ſolùm tres, nempe intellectus, memoria, & voluntas*. Eſt noſtri Argentinatis in 1. d.3.q.2.

Probatur cum eodem, imago requirenda eſt in potiore parte hominis, vt deducit ex Aug. Sed hæc eſt anima rationalis, per quam ſolam homo tranſcendit inferiora. Ergo in hac ſola eſt re-

qui-

quirenda imago. Sed anima non poteſt habere imaginem Trinitatis, niſi in ſuis potentijs, earumque actibus. Ergo debet illas habere, earumque actus, vt partes conſtitutiuas imaginis. Probatur minor ſubſumpta, imago principaliùs attenditur ſecundùm actum, quàm ſecundùm habitum, vt videbimus. Non poteſt autem anima actu intelligere alia à ſe, niſi habeat ſpecies intelligibiles illorum. Ergo debet habere virtutem conſeruatricem talium ſpecierum, quæ eſt memoria. Huiuſmodi autem ſpecies in memoria ſunt inutiles, nec proſunt niſi excitentur ab anima, vt per illas actu intelligat. Ergo debet cum illis dari potentia intellectiua, ad quam dirigantur. Non poteſt autem intellectus diù ſe conſeruare in tali actu, niſi per intentionem, qua iungatur verbum cum ſpecie, tamquam proles cum patre. Ergo cùm intentio ſit voluntatis, requiritur etiam voluntas. Sed quia hæ potentiæ nudè ſumptæ conſtituunt imaginem ſolùm imperfectè, ideo vt partes imaginis, debent accipi in concreto, vt operantes. Et ſic imago conſtituitur in eſſe magis perfecto per has ſolas potentias cum ſuis actibus, extra quas non datur imago, vt dictum eſt.

Ad 1. Nego conſequentiam; nam etiam intellectus habet organum determinatum ad ſinciput, & tamen ſpectat ad naturam intellectualem. Et ratio eſt, quia organum materiale eſt purum in-

ſtrumentum animæ ad operandum per talem potentiam. Ergo neque conſtituit animam, neque potentiam, quæ poſſunt retinere rationem imaginis, excluſo organo. Ad confirmationem dico cum Aug. 14. de Trin. c. 7. memoriam non ſolùm eſſe præteritorum, ſed etiam præſentium; adeòque vt præſentium eſſe partem imaginis, dicente Aug. ibid. *memoria pertinet ad imaginem*. Neque obſtat quòd in lib. paru. natur. diſp. 1. ar. 4. dictum fuerit, memoriam non eſſe præſentium; nam ibi locuti ſumus de obiecto vt formaliter cognito, quod ſemper eſt præteritum reſpectu recordationis, ſeu actus memoratiui, non autem de obiecto vt eſt in ſe materialiter, & ſpecificatiuè, ſicut accipitur in præſentia.

Ad 2. Nego conſequentiam. Et dico, non poſſe in anima dari imaginem Trinitatis, niſi per amorem (qui *eſt* actus voluntatis) connectatur verbum, ſeu ſpecies expreſſa cum ſpecie impreſſa, tamquàm geniti cum generante. Ergo voluntas eſt pars imaginis. Ad 1. probationem dico, hìc non comparari ſingulas potentias cum alijs potentijs, neque ſingulas potentias cum ſingulis Perſonis Trinitatis, ſed omnes ſimul cum tota Trinitate, ita vt memoria exprimat Patrem, intellectus Filium, & voluntas Spiritum Sanctum, vt probat Aug. 14. Trin. c. penult. & vlt. Ergo nihil obſtat quòd voluntas, vt formaliter talis, ap-

pro-

proprietur Spiritui Sancto, cui non debet conformari, vt formaliter imagini, ſed vt imaginato. Ad 2. Nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia ratio imaginis non deſumitur in amore, ex modo procedendi à voluntate, ſiue libero, ſiue neceſſario, ſed ex modo connectendi ſpeciem expreſſam cum impreſſa, tamquàm prolem cum parente, ſicut Spiritus Sanctus connectit Patrem cum Filio. Ergo ſiue procedat liberè, ſiue per modum naturæ, ſemper poteſt hoc exprimere, adeòque retinere rationem imaginis.

ARTICVLVS VIII.

An imago Trinitatis ſit in anima ſecundum actum?

Videtur non eſſe, Primò quia imago debet eſſe ſecundum ea, quæ ſunt ſemper in anima, vt patet ex Aug. 14. de Trin. c. 6. Sed actus non ſemper ſunt in anima. Ergo ſecundùm illos non poteſt haberi imago Trinitatis.

2. Vel hi actus ferrentur in ſolum Deum, vel etiam in alia? Si primum, ergo anima non haberet imaginem Dei, niſi actu de illo cogitaret; & ſic deberet eſſe ſemper in actu cogitãdi de Deo, quod in uia eſt impoſſibile. Si ſecundum, Ergo retineret etiam imaginem Dei, per actum cogitantem de malo,

quod

quod eſt inconueniens. Ergo dicere, imaginem haberi per actus, ducit ad abſurda.

Concluſio, *Ratio imaginis primò, & principaliter eſt in anima ſecundùm actum, & ſolùm ſecundariò ſecundùm potentias, & habitus.*

Probatur, cum diuo Tho: hîc ar. 7. Ad rationem imaginis non ſufficit repræſentatio quaſi generica imaginati, ſed requiritur quaſi ſpecifica repræſentatio, vt dictum eſt. Sed hæc magis, & principaliùs habetur per actus, quàm per potentias, & habitus. Ergo potiùs per actus habetur ratio imaginis. Probatur minor, diuinæ Perſonæ non diſtinguuntur ab inuicem per potentias, ſed per actus notionales, vt infra patebit. Ergo principaliùs exprimũtur per actus, quàm per potentias, quatenùs videlicèt per notitiam, quam habemus in mente, interiùs cogitando, formamus verbum, & ex hoc erumpimus in amorem, quo illud vnimus cum ſpecie impreſſa, tamquam prolem cum genitrice, vt dictum eſt. Sed quia actus virtualiter exiſtunt in potentijs, ideo etiam ſecundùm ipſas potentias attenditur ratio imaginis, ſed ſolùm ſecundariò, quatenùs videlicèt continent verbum, notitiam, & amorem, qui ſunt ſui actus. Vnde ſequitur, quòd cùm potentiæ ſint actus primi actuum, per quos anima diſponitur ad intelligendum, volendum, & memorandum, imago Trinitatis reperiatur in ani-

anima ſecundùm tales potentias, quaſi radicaliter, & incompletè. Quando autem exit in actum ſecundùm intelligendi, volendi, & memorandi, tunc ſecundùm tales actus, completur, & perficitur in anima talis imago, quantum in via, ſecundùm auxilia ordinaria, haberi poteſt. Vnde poſſumus concludere, perfectiorem imaginem, quam poſſumus habere in via, non haberi ſecundùm potentias in actu primo, neque ſecundùm actus in abſtracto, præciſis potẽtijs, ſed per ipſas potentias in actu ſecundo, ſeu vt actu operantes, vel per actus in concreto, quod ſonat potentias actuatas, vt formaliter tales.

Ad 1. Diſtinguo minorem, actus non ſemper ſunt formaliter in anima, & ſecundum ſe, concedo: non ſemper ſunt vel formaliter, vel virtualiter in illa, nego minorem, & conſequentiam. Cùm enim ſemper ſint in illa, vel ſecundùm ſe, vel ſecundùm eius virtutem, ideo ſemper conſtituunt imaginem Trinitatis, modò perfectiorem, & modò imperfectiorem, vt dictum eſt. Et hoc modo eſt exponendus Aug. cum dicit 14. de Trin. *mens ſemper meminit, ſemper ſe intelligit, & amat*, ideſt ſemper eſt in actu, vel formaliter, vel habitualiter.

Dices, ex eodem ibidem, *anima non ſemper ſe cogitat*. Ergo neque intelligentia eſt ſemper in ſuo actu; atque adeo ratio imaginis non poteſt haberi per

actum

actum in concreto, ſeu per potentiam actuatam.

Diſtinguo conſequens, intelligentia non eſt ſemper in ſuo actu primo, nego: in ſuo actu ſecundo, concedo conſequentiam, quæ nihil probat contra rationem imaginis. Sicut enim hęc ſaluatur in anima per ſolum actum primum trinitatis creatæ, ita ſaluatur in potentijs animæ. Et ratio eſt, quia ſicut anima ſemper eſt cum aliquo actu, videlicèt vel cum ſua potentia intellectiua, quæ eſt eius actus primus ad intellectionem ſui, quæ eſt eius actus ſecundus; ita potentia intellectiua ſemper eſt cum aliquo actu, videlicèt vel cum ſui notitia, per quam diſponitur ad ſe intelligendam, vel cum actuali conuerſione ad ſe ipſam. Verùm de hoc fuſiùs in ar. ſequenti.

Ad 2. Nego conſequentiam. Et dico cum diuo Thom. quæſt. cit. ar. 8. per hos actus fieri directè, & immediatè imaginem Trinitatis, quando feruntur in Deũ, ita vt notitia, & amor ſint de ipſo Deo; fieri autem indirectè, & mediatè, quando feruntur, vel per conuerſionem in ipſam animam, vel in alia obiecta, tamquàm in imagines Dei, nempe tamquam in medium, per quod ferantur in Deum. Hoc autem probat ex Auguſt. 14. de Trin. dicente, *mens meminit ſui, intelligit ſe, & dirigit ſe. Hoc ſi cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, ſed imaginem Dei*. Ad primam illationem dico, non eſſe abſurdum,

quòd

quòd debeat anima actu cogitare de Deo, vt habeat completam illius imaginem, cùm illam ſine actuali cogitatione, in eſſe completo, non poſſit habere. Non tamen eſt neceſſe, quòd ſemper ſimpliciter de Deo cogitet, cùm poſſit habere imaginem ipſius imperfectam, & incompletam, etiam dùm actu de eo non cogitat. Ad 2. Nego ſequelam, quia cùm in malo non ſit imago Dei, non poteſt cognoſci vt medium, ad hoc vt manuducat ad Deum.

Quia tamen clariſſimè omnium tangit difficultatem Egid. in 1. d. 3. p. 2. prin. 3. q. 1. ar. 3. ideo placet eius doctrinam enucleare. Ait ergo, animam tunc habere ſimpliciter, completè, & formaliter imaginem Dei trini, quando illum directè intelligit, & amat. Quando verò non Deum, ſed ſe ipſam intelligit, & amat, tunc habet illam ſolùm incompletè, ſeu ſecundùm quid, & mediatè. Quãdo verò neque intelligit, & amat Deum, neque ſe, ſed alia obiecta, in quibus inſit imago Trinitatis, tunc habet imaginem Dei ſolùm materialiter. Quare reſpectu Dei eſt in anima imago formaliter, & completè, hoc eſt prout poteſt haberi in via. Reſpectu ſui eſt imago formaliter, ſed incompletè. Et reſpectu aliorum obiectorum eſt imago ſolùm materialiter, quatenus videlicèt eſt in anima trinitas illa creata mentis, notitiæ, & amoris, non tamen formaliter, quia per illam actu non repræſentatur

Deus,

Deus, licèt poſſit repræſentari. Ad rationem autem imaginis formaliter ſumptæ requiritur, quòd vel immediatè repræſentet Deum de facto, vel ſaltem mediante ſeipſa, quam cognoſcat vt ſymbolum Dei. Vnde patet quid ſit dicendum de Auguſtino, qui modò aſſerit, animam pròut habet prò obiecto ſe ipſam, eſſe imaginem Dei, & modò negat. Nam in primo caſu loquitur de imagine incompleta, & in ſecundo de completa; in ſenſu explicato.

ARTICVLVS IX.

An anima rationalis ſemper ſe intelligat?

Videtur quòd non, Primò quia vel ſe intelligeret per actum diſtinctum, vel per indiſtinctum? Non primum, quia ſemper eſt cum ſuo actu ſecundo. Neque ſecundùm, quia intelligeret per ſuum eſſe, quod eſt proprium ſolius Dei. Ergo non ſemper ſe intelligit.

2. Vel ſe intelligeret liberè, vel neceſſariò? Non primum, quia liberè poſſet ceſſare à tali actu, & ſic non ſemper ſe intelligeret. Neque ſecundum, quia hæc neceſſitas vel proueniret ab extra, & ſic anima violenter, & coactè ſe intelligeret; adeòque cùm violentum non ſit durabile, non poſſet continuare in tali actu; vel ab intra, & non poſſet aſſignari vnde proueniret. Nam vel eſſet ſua

ſub-

ſubſtantia, & redimus in abſurdum; quòd per illam ſe intelligeret; vel ſpecies ſui, & nulla ratione probari poteſt, illam dari; ſicut enim non datur in Angelo ad ſe cognoſcendum, ita nec datur in anima. Vel aliud accidens, & cùm omne accidens ſit ſeparabile à ſubiecto, poſſet anima ab illo ſeparari, adeoque non ſe intelligere. Ergo non ſemper ſe intelligit.

Egid. tamen in 1.p.2. princ.3. q.2. ar. 4. reſpondet affirmatiuè. Et ad hoc probandum ſupponit ex 2.de an. non eſſe idem ſcire, & conſiderare, ſed illud eſſe actum primum, hoc autem actum ſecundum. Probat autem tali pacto, ad hoc vt aliquid ſciatur, ſatis eſt quòd habeatur præſentia illius, quamuis nulla fiat conuerſio ſuper illud. Sed præſentia obiecti ſcibilis poteſt haberi per ſe ipſum formaliter, vel per ſpeciem eius. Ergo quoties habetur vel obiectum præſens immediatè, vel ſpecies illius, dicitur illud ſciri, quamuis potentia intellectiua non exeat in vllum actum ſecundum, ſed ſiſtat in mero actu primo. Contrà verò non dicitur aliquid conſiderari, niſi fiat ad illud actualis conuerſio, quæ eſt actus ſecundus potentiæ intellectiuæ. Hoc poſito, cùm anima ſemper ſit ſibi immediatè præſens, nec poſſit à ſe remoueri, ſemper ſe ſcit, ſeu nouit; eo modo quo aliquod obiectum extra ſe ſemper ſciret, ſi haberet illius ſpecies concreatas.

Hoc

Hoc autem confirmat ex Auguſt. 14. de Trin. c. 6. vbi ait, *mens ita ſibi nota eſt, quemadmodum nota ſunt res, quæ memoria continentur*. Sed quia etiam poſita notitia ſui in anima, adhùc dubitatur, an hæc notitia poſſit verè dici intellectio? Ideò ait, intelligere eſſe aliquid ſuperius ad ſcire, & conſiderare. Nam aliquando ponitur prò ſola conſideratione, vt cum dicitur 2. top. *ſcire poſſumus multa ſimul; intelligere autem non*. Aliquando ponitur prò habituali cognitione, ſeu prò ſola notitia, vt formaliter diſtincta à conſideratione, ſeu cogitatione, vt accipitur ab Aug. loc. cit. *Mens ſemper ſe intelligit, ſed non ſemper ſe cogitat*. Præterea intelligere accipitur aliquando prò cognitione habituali principiorum, vt patet ex 6. ethic. & ex fine ſecundi poſt. Cùm ergo tàm intellectus agens, quàm poſsibilis ſint principia omnis ſcientiæ in nobis, & ipſa anima ſit principium talium principiorum, ideo cognitio, qua ſe habitualiter cognoſcit, eſt vera intellectio, quia eſt cognitio primi principij, vnde emanant alia principia ſcientiæ. Immò comparando talem cognitionem cum aliis, quibus anima cognoſcit alia obiecta, concludit Egid. illam magis mereri nomen intellectionis.

Hoc autem ita probat, quò actus eſt proximior potentiæ, vel naturæ, eò magis meretur nomen illius. Sed cognitio, qua anima ſe cognoſcit, magis accedit

ad

ad potentiam intellectiuam, quia terminatur ad illam. Ergo magis meretur nomen intellectionis. Minor, & conſequentia ſunt euidentes. Maiorem probat, ideo proſecutio finis dicitur volitio, & proſecutio mediorum dicitur electio, quia per primam immediatiùs voluntas tendit ad finem, vt patet ex Philoſ. 3. eth. & Damaſceno lib. 2. c. 22. adeoque cùm voluntas ſpecificetur à fine, magis dicitur voluntas prima proſecutio, per quam immediatè attingit finem, quàm ſecunda, per quam illum attingit ſolùm mediatè.

Neque obſtat quòd intelligere dicat aliquem actum, quam non habet anima per ſolam præſentiam ſui, vel ſpeciem obiecti. Nam hoc, ait, verificari de illo ſolo intelligere, quod ſignificat conſiderare, vel cogitare, vt dictum eſt, non autem de eo, quod ſignificat ſcire. Niſi velimus dicere, quòd præſentia animæ ſibi ipſi ſit aliquo modo actus, vt ſupponit ab omnibus concedi.

Multò minùs obſtat, quòd noſtrum intelligere videatur eſſe vel phantaſia, vel cum phantaſia. Nam hoc, ait, verificari de vno intelligere, non autem de omni.

Demum neque obſtat, quòd potentiæ ſint ad oppoſita, adeòque videatur intellectus poſſe intelligere, vel non intelligere. Hoc enim, ait, verificari ſolùm de actu ſecundo, & tranſeunte ad externum obiectum, non autem de actu primo,

mo, vel immanente.

Dices, anima ſe ſcit, & intelligit. Ergo habet ſcientiam de ſe ſemper, & neceſſariò.

Negat conſequentiam. Ratio eſt, quia ſcientia, per hoc differt ab intellectu, quod illa ſit cognitio concluſionum, hic autem principiorum, vt habetur 6. eth. Sed notitia, quam habet anima ſui, eſt cognitio principiorum, & non concluſionum. Ergo eſt potiùs intellectus, quàm ſcientia.

Inſtabis, ſcire refertur ad ſcientiam, ſicut intelligere ad intellectum. Ergo ſicut ex eo quòd habeat intelligere, habet intellectum, ita ex eo quòd habeat ſcire, habet ſcientiam.

Reſpondet, quòd ſicut intelligere eſt commune ad actum primum, & ſecundum, (vt dictum eſt) ita & ſcire eſt quædam notitia communis ſcientiæ, & non ſcientiæ. Quando ergo dicitur, animã ſemper ſcire, ly *ſcire* non accipitur rigoroſè, vt relatum ad ſcientiam, ſed lato modo vt relatum ad notitiam. Quòd ſi nomine ſcientiæ intelligatur notitia, vtique concedit Egidius, etiam illam eſſe in anima ad ſe ipſam, vt conceſſit de ipſo ſcire.

Ex quibus patet reſponſio ad obiecta; ſiquidem anima ſe intelligit per notitiam; prouenientem ex neceſſaria præſentia, & applicatione ſui ad ſe ipſam; quæ notitia eſt quidem diſtincta à ſubſtantia animæ, & ideo non intelligit per

ſuum

ſuum eſſe: & prouenit ab intrinſeco, & ideo non eſt violenta: & ex neceſſitate naturæ ipſius animæ, & ideo non eſt illi libera, ſed neceſſaria. Hactenus Egidius.

Hæc doctrina, quamuis ingenioſa, poſſet multiplici capite impugnari; tamen relictis omnibus in obſequium noſtri Doctoris, vnum aduerto cum diuo Thom. 1.p.q.99. ar.2. quòd *quamdiu anima corpori eſt vnita, intelligit conuertendo ſe ad phantaſmata. Et ideo nec ſe ipſam poteſt intelligere, niſi inquantum fit actu intelligens per ſpeciem à phantaſmatibus abſtractam, ſic enim per actum ſuum intelligit ſeipſam.* Ergo niſi ſit ſermo de anima ſeparata, non video quomodo poſſit ſuſtineri hic proceſſus. Neque valet, quod dependentia à phantaſmatibus videatur ſolùm neceſſaria in ordine ad cognoſcenda obiecta extra ſe, non autem ad cognoſcendam ſeipſam. Nam cùm anima, vt corpori vnita habeat eſſe in materia, non habet alium modum cognoſcendi, niſi per materiam. Ergo neque ſeipſam poteſt cognoſcere ſine ſpecie acquiſita per phantaſmata, vt patet ex libris de anima. Concludendum igitur eſt, vt ſaluetur Egidij doctrina, animam ſeparatam ſemper ſe intelligere, non autem coniunctam, & de hac non loqui Egidium, ſed de illa.

Multa alia agitantur hic ab authoribus de emanatione potentiarum e ſub-

ſtan-

ſtantia animæ, de earum diſtinctione, æqualitate, proceſsione vnius ab alia, & alijs; quæ in noſtra ſententia non habent locum, poſito quòd ſtatuerimus in 3. de anim. diſput. 3. art. 1. illas non realiter diſtingui ab anima, nec inter ſe, niſi ratione. Et ideo vt inutilia miſſa facimus.

DISPVTATIO V.

De Proceſſionibus ad intra.

MAteria hæc difficillima, potiùs reuelationibus, quàm rationibus nixa, multas, eaſque maximè ſubtiles continet quæſtiones. Nos igitur vt clariùs procedamus, agemus hìc de ijs, quæ ſpectant ad proceſsiones diuinas in genere, acturi de aliis ſpeciatim in diſputationibus ſequentibus. Quæremus ergo primò an ſint admittendæ in Deo proceſsiones ad intra? 2. An dicant veras actiones? 3. An ſint actus intellectus, & voluntatis? 4. An ſint veræ paſsiones? 5. An importent mutationem?

ARTICVLVS PRIMVS.

An ſint admittendæ in Deo proceſſiones ad intra?

VIdentur non dari, Primò quia vel eſſent per actiones immanentes, vel per tranſeuntes? Non primum, quia

actio immanens non habet terminum productum, vt probat, Philoſ. 9. met. Neque ſecundum, quia actio tranſiens habet quidem terminum productum, ſed extra principium productiuum, quod per illam tranſit extra ſe. Ergo per illam non poteſt ſaluari proceſſio ad intra.

2. Quod eſt à ſe, non procedit ab alio. Sed omnes diuinæ Perſonæ ſunt à ſe, aliter non eſſent Deus, cuius conſtitutiuum formale eſt aſeitas. Ergo nulla eſt ab alio. Probatur maior, quod eſt ab alio, non eſt à ſe. Ergo à commutata ratione, quod eſt à ſe, non eſt ab alio.

3. Quod procedit ab alio recipit eſſe ab illo. Ergo habet potentiam receptiuam. Sed hæc dicit imperfectionem. Ergo non poteſt admitti in Deo. Sed ſine hac non poteſt dari proceſſio. Ergo proceſſio non poteſt eſſe in diuinis.

4. Proceſſio ab alio dicit poſterioritatem naturæ. Sed hæc repugnat Deo. Ergo etiam proceſsio.

Concluſio, *Dantur in Deo veræ, & reales proceſſiones, per quas vna Perſona accipit eſſe ab alia*. Eſt de fide.

Probatur 1. Ex ſymbolo Niceni Concilij, quod recitatur in miſſa, *Credo in Deum Patrem, &c. & in Ieſum Chriſtum filium eius vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, &c. & in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, filioque procedit, qui cum Patre, & filio ſimul*

ſimul adoratur, &c. Et ex ſymbolo S. Athanaſij, *filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus; Spiritus Sanctus à Patre, & filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.*

2. Ex multiplici teſtimonio ſacræ Scripturæ, vt Ioan. 7. de ſe dixit Chriſtus, *ego ſcio eum* (nempe Patrem) *quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.* Et Ioan. 8. *Si Deus Pater veſter eſſet, diligeretis me, ego enim ex Deo proceſſi, & veni; neque enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit.* Et Ioan. 15. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, &c.*

Demum authoritate omnium theologorum, & Patrum vnanimiter aſſerentium, dari in Deo proceſſiones ad intra, quibus vna Perſona eſt ab alia. Neque ſine ratione theologica, ſiquidem cùm ſit de fide, dari in Deo tres Perſonas, & has eſſe vnum Deum, non admiſsis proceſsionibus, alterutrũ neceſſariò ſequeretur, vel non dari Perſonarum diſtinctionem, vel dari in illis diſtinctionem naturarum, quæ ſunt abſurda. Probo ſequelam, omnis diſtinctio dicit pluralitatem, vt probauimus lib. 1. diſput. met. Sed hæc pluralitas non poteſt haberi, niſi per oppoſitionem relatiuam, reſultantem ex proceſsionibus, cùm ſit commune proloquium, omnia eſſe communia Perſonis, niſi obuiet oppoſito relatiua.

Ergo vel debent admitti proceſsiones, vel admitti pluralitas entitatum, vel negari diſtinctio Perſonarum. Atqui hæc poſtrema repugnant fidei. Ergo eſt verum primum, videlicèt dari duas proceſſiones, alteram propriam filij, & aliam Spiritus Sancti.

Ad 1. Dico, diuinas proceſsiones eſſe per actionem immanẽtem. Ad authoritatem Philoſophi dico, illum non cognouiſſe actiones immanentes notionales in Deo, ſed ſolùm abſolutas, adeoque ſumpta menſura ab actionibus creatis, de quibus potiſsimum loquebatur, *vniuerſaliter* docuiſſe, nullum eſſe terminum actionum immanentium, loquendo de termino realiter diſtincto, quem nos negauimus in tract. de viſ. diſp. 10. ar. 3. Quia ergo quæſtio procedit de actionibus immanentibus notionalibus, ideo authoritas Philoſophi ſeruiat fidei, quæ docet, multa principia philoſophica circumſcribi rebus creatis, & pati exceptionem in myſterijs fidei.

Ad 2. Diſtinguo maiorem, quod eſt à ſe non procedit ab alio, tamquàm à cauſa, cum dependentia, & contingentia in eſſe, concedo: non procedit ab alio, tamquam à principio originis, abſque vlla imperfectione dependentiæ, ſeu contingentiæ in eſſe, nego maiorem. Et admiſſa minori, diſtinguo conſequens, nulla diuina Perſona eſt ab alio, vtà cauſa, concedo: vt à principio originis, nego conſequentiam. Dico ergo, diui-

nas Perſonas eſſe à ſe, per excluſionem principii habentis diuerſitatem in natura, non autem per excluſionem principij habentis identitatem cum eadem natura.

Ad 3. Nego conſequentiam, quæ ſolùm valet quando recipere ſubſequitur ad eſſe; ſiquidem cùm ſit illius perfectiuum, debet illud ſupponere; non autem quando recipere eſt ipſum eſſe recipientis, vt accidit Verbo æterno, quod non accipit à Patre aliquid, per quod perficiatur in eſſe, ſed accipit eſſe Verbum, quod non poteſt in ſe præſupponere potentiam ad ſeipſum.

Ad 4. Nego maiorem, quæ ſolùm valeret, quando proceſsio fieret cum diſtinctione naturæ. Quia ergo filius procedit à Patre in vnitate, & identitate eiuſdem naturæ, quam accipit à Patre, ideo eſt quidem illo poſterior origine, non tamen tempore, vel natura, ſed eſt illi coæternus, & conſubſtantialis.

ARTICVLVS II.

An diuinæ Proceſſiones ſint veræ actiones?

Videntur non eſſe, vt acriter propugnant inter alios Molina in 1. p. ad q. 27. diſp. 1. & Suarius lib. 1. de Trin. c. 8. qui docent, filium procedere à Patre per quamdam reſultantiam, ſeu emanationem, eo modo quo proprietates

 fluunt

Ergo vel debent admitti proceſsiones, vel admitti pluralitas entitatum, vel negari diſtinctio Perſonarum. Atqui hæc poſtrema repugnant fidei. Ergo eſt verum primum, videlicèt dari duas proceſſiones, alteram propriam filij, & aliam Spiritus Sancti.

Ad 1. Dico, diuinas proceſsiones eſſe per actionem immanētem. Ad authoritatem Philoſophi dico, illum non cognouiſſe actiones immanentes notionales in Deo, ſed ſolùm abſolutas, adeoque ſumpta menſura ab actionibus creatis, de quibus potiſsimum loquebatur, vniuerſaliter docuiſſe, nullum eſſe terminum actionum immanentium, loquendo de termino realiter diſtincto, quem nos negauimus in tract. de viſ. diſp. 10. ar. 3. Quia ergo quæſtio procedit de actionibus immanentibus notionalibus, ideo authoritas Philoſophi ſeruiat fidei, quæ docet, multa principia philoſophica circumſcribi rebus creatis, & pati excæptionem in myſterijs fidei.

Ad 2. Diſtinguo maiorem, quod eſt à ſe non procedit ab alio, tamquàm à cauſa, cum dependentia, & contingentia in eſſe, concedo: non procedit ab alio, tamquam à principio originis, abſque vlla imperfectione dependentiæ, ſeu contingentiæ in eſſe, nego maiorem. Et admiſſa minori, diſtinguo conſequens, nulla diuina Perſona eſt ab alio, vt à cauſa, concedo: vt à principio originis, nego conſequentiam. Dico ergo, diui-

nas

nas Perſonas eſſe à ſe, per excluſionem principii habentis diuerſitatem in natura, non autem per excluſionem principij habentis identitatem cum eadem natura.

Ad 3. Nego conſequentiam, quæ ſolùm valet quando recipere ſubſequitur ad eſſe; ſiquidem cùm ſit illius perfectiuum, debet illud ſupponere; non autem quando recipere eſt ipſum eſſe recipientis, vt accidit Verbo æterno, quod non accipit à Patre aliquid, per quod perficiatur in eſſe, ſed accipit eſſe Verbum, quod non poteſt in ſe præſupponere potentiam ad ſeipſum.

Ad 4. Nego maiorem, quæ ſolùm valeret, quando proceſsio fieret cum diuiſione naturæ. Quia ergo filius procedit à Patre in vnitate, & identitate eiuſdem naturæ, quam accipit à Patre, ideo eſt quidem illo poſterior origine, non tamen tempore, vel natura, ſed eſt illi coæternus, & conſubſtantialis.

ARTICVLVS II.

An diuinæ Proceſſiones ſint veræ actiones?

VIdentur non eſſe, vt acriter propugnant inter alios Molina in 1. p. ad q. 27. diſp. 1. & Suarius lib. 1. de Trin. c. 8. qui docent, filium procedere à Patre per quamdam reſultantiam, ſeu emanationem, eo modo quo proprietates

 fluunt

fluunt ab eſſentia. Et idem aſſerunt de Amore.

Fundamenta ſunt, 1. Actio vt actio de ſua ratione formali dicit motum, & egreſſum ab agente, vt agens eſt, ad terminum vt effectum, ſeu actum paſſiuè. Sed hæc repugnant diuinis proceſſionibus, aliter diuinæ Perſonæ eſſent creaturæ. Ergo non ſunt veræ actiones.

2. Poſito termino, neceſſariò *reſultat* relatio in fundamento, abſque vlla actione, vt habetur in prædicam. c. de *ad aliquid*, & nos docuimus in log. lib. 4. diſp. 4. ar. 4. Ergo etiam in diuinis, poſito filio, neceſſariò reſultat relatio ad Patrem, abſque vlla illius productione.

3. Diuus Tho. q. 2. de poten. 1. ad [illegible] *potentia, qua in Deo ponitur, nec propriè actiua, nec paſſiua eſt, cùm in ipſo non ſit nec prædicamentum actionis, nec paſſionis*. Sed omnis actio reducitur ad eius prædicamentum. Ergo in diuinis non datur vera actio.

4. Omnis actio eſt vnus, & idem motus cum paſſione, vt probauimus in log. lib. 4. diſp. 2. ar. 1. Ergo ſi in diuinis ſit actio, erit etiam paſſio. Conſequens eſt abſurdum. Ergo falſum antecedens.

Concluſio, *Proceſſiones ad intra actiuè conſiderata, ſunt vera, & reales actiones immanentes, prout diſtincta à reſultantia, & emanatione*. Eſt diui Tho: 1. p. q. 27. ar. 2. & communis inter

Tho-

Thomiſtas. Et Egidij in 1.d.10.p.1.q.1. ante med. Henrici in ſumma ar.54.q.3.ad 10.& aliorum.

Probatur cum eodem 1. Datur in Deo generatio Verbi, vt infra probabitur. Sed hæc eſt vera actio, & non pura emanatio. Ergo datur in Deo vera actio ad intra. Probatur minor, *proceſſio Verbi in diuinis habet rationem generationis; procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ eſt operatio vitæ*, vt loquitur Angelicus. Ergo eſt vera actio. Et ar.3. *In diuinis non eſt proceſſio, niſi ſecundum actionem, quæ non tendit in aliquod extrinſecum, ſed manet in ipſo agente*. Et nè videatur hoc verbum *actio* calamo imprudenter exciſſe, pergit. *Huiuſmodi autem actio in intellectuali natura eſt actio intellectus, & actio voluntatis, &c.* Et ar.5. *proceſſiones in diuinis accipi non poſſunt, niſi ſecundum actiones, quæ in agente manent*. Ergo hanc fuiſſe apertiſſimam doctrinam diui Thomæ non eſt dubitandum. Ex quibus patet, etiam proceſſionem per voluntatem eſſe actionem. Et ideo pergit, *huiuſmodi autem actiones in natura intellectuali, & diuina non ſunt, niſi duæ, ſcilicet intelligere, & velle*, quarum prima generatur Filius, & ſecunda producitur Spiritus Sanctus.

2. Deus per veram actionem producit terminum extra ſe. Ergo etiam per veram actionem producit terminum intra ſe. Antecedens probauimus in 7.

fluunt ab eſſentia. Et idem aſſerunt de Amore.

Fundamenta ſunt, 1. Actio vt actio de ſua ratione formali dicit motum, & egreſſum ab agente, vt agens eſt, ad terminum vt effectum, ſeu actum paſſiuè. Sed hæc repugnant diuinis proceſſionibus, aliter diuinæ Perſonæ eſſent creaturæ. Ergo non ſunt veræ actiones.

2. Poſito termino, neceſſariò reſultat relatio in fundamento, abſque vlla actione, vt habetur in prædicam. c. de *ad aliquid*, & nos docuimus in log. lib. 4. diſp. 4. ar. 4. Ergo etiam in diuinis, poſito filio, neceſſariò reſultat relatio ad Patrem, abſque vlla illius productione.

3. Diuus Tho. q. 2. de poten. ar. 1. ad [illegible] *potentia, quæ in Deo ponitur, nec propriè actiua, nec paſſiua eſt, cùm in ipſo non ſit nec prædicamentum actionis, nec paſſionis*. Sed omnis actio reducitur ad eius prædicamentum. Ergo in diuinis non datur vera actio.

4. Omnis actio eſt vnus, & idem motus cum paſſione, vt probauimus in log. lib. 4. diſp. 2. ar. 1. Ergo ſi in diuinis ſit actio, erit etiam paſſio. Conſequens eſt abſurdum. Ergo falſum antecedens.

Concluſio, *Proceſſiones ad intra actiuè conſideratæ, ſunt veræ, & reales actiones immanentes, prout diſtinctæ à reſultantia, & emanatione*. Eſt diui Tho: 1. p. q. 27. ar. 2. & communis inter

Tho-

Thomiſtas. Et Egidij in 1.d.10.p.1.q.1. ante med. Henrici in ſumma ar.54.q.3.ad 10.& aliorum.

Probatur cum eodem 1. Datur in Deo generatio Verbi, vt infra probabitur. Sed hæc eſt vera actio, & non pura emanatio. Ergo datur in Deo vera actio ad intra. Probatur minor, *proceſſio Verbi in diuinis habet rationem generationis; procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ eſt operatio vitæ*, vt loquitur Angelicus. Ergo eſt vera actio. Et ar.3. *In diuinis non eſt proceſſio, niſi ſecundùm actionem, quæ non tendit in aliquod extrinſecum, ſed manet in ipſo agente*. Et nè videatur hoc verbum *actio* calamo imprudenter excidiſſe, pergit. *Huiuſmodi autem actio in intellectuali natura eſt actio intellectus, & actio voluntatis, &c.* Et ar.5. *proceſſiones in diuinis accipi non poſſunt, niſi ſecundùm actiones, quæ in agente manent*. Ergo hanc fuiſſe apertiſſimam doctrinam diui Thomæ non eſt dubitandum. Ex quibus patet, etiam proceſſionem per voluntatem eſſe actionem. Et ideo pergit, *huiuſmodi autem actiones in natura intellectuali, & diuina non ſunt, niſi duæ, ſcilicet intelligere, & velle*, quarum prima generatur Filius, & ſecunda producitur Spiritus Sanctus.

2. Deus per veram actionem producit terminum extra ſe. Ergo etiam per veram actionem producit terminum intra ſe. Antecedens probauimus in 7. phyſ.

phyſ. Conſequentia probatur, ideo Deus producit creaturas per veras actiones, quia dat verum eſſe creaturis, in diuerſitate naturæ, ratione cuius creatura eſt terminus illi extrinſecus. Sed etiam Pater dat verum eſſe Filio, in identitate ſuæ naturæ. Ergo illum producit per veram actionem, tamquam terminum intrinſecum ſuæ naturæ.

3. Actio eſt id, per quod vnum accipit eſſe ab alio. Sed proceſſiones diuinæ ſunt id, per quod vna Perſona accipit eſſe ab alia. Ergo ſunt veræ actiones, demptis tamen imperfectionibus, vt patebit.

Ad 1. Nego maiorem. Et dico, huiuſmodi imperfectiones cõuenire actionibus creatis, non ſecundùm rationem genericam actionis vt ſic, quæ conſiſtit in hoc, quòd ſit ratio formalis agendi, ſed ſecundùm rationes ſpecificas, ſeu differentiales, quòd patet ex eò quòd creatio eſt vera actio, vt probauimus in 7.phyſ.diſp.2.ar.4. & tamen nullum dicit motum, vt probauimus in 3.phyſ. diſp.1.ar.6. Ergo motus conuenit actioni, non vt eſt actio, ſed vt eſt talis actio; & idem dico de ratione dependentiæ, contingentiæ, &c. Ergo poteſt dari actio in diuinis ab his omnibus depurata, ſicut poteſt dari verum principium influens ſine cauſalitate. Et ideo diuus Tho: 1.p.q.41.ar.1.ad 2. ait, remoto igitur motu, actio nihil aliud importat, quàm ordinem originis, ſecundùm quòd

à cau-

à cauſa aliqua, vel principio procedit in id, quòd eſt à principio. Vnde cùm in diuinis non ſit motus, actio perſonalis producentis Perſonam nihil aliud eſt quàm habitudo principij ad Perſonam, quæ eſt à principio.

Ad 2. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt quia relatio prædicamentalis accidit extremis, quæ non conſtituit in eſſe, ſed ſupponit conſtituta, vt patet in relatione ſimilitudinis. At relationes diuinæ non accidunt Perſonis, ſed illa conſtituunt, vt videbimus. Ergo non poſſunt eſſe per reſultantiam. Ergo debent eſſe per illud idem, per quod ſunt ipſæ Perſonæ, hoc eſt per proceſſiones, & actiones.

Ad 3. Diſtinguo minorem, omnis actio tranſiens reducitur ad prædicamentum, concedo, loquendo de actionibus productiuis: omnis actio immanens, & ſubdiſtinguo, omnis actio immanens, quæ accidat agenti, concedo: quæ ſit ſubſtantialis agenti, nego minorem. Et diſtinguo conſequens, in diuinis non datur vera actio accidentalis, concedo: ſubſtantialis, nego conſequentiam. Quòd autem ita ſit exponendus Angelicus, patet 1. ex eodem textu, in quo ait, *ſed ſua actio eſt ſua ſubſtantia*. Ergo excludit à Deo ſolam actionem accidentalem. Deinde quia in corpore eiuſdem articuli admittit in Deo veram potentiam generandi. Ergo Debet admittere veram actionem, quæ illi correſpondeat.

Ad 4. Diſtinguo antecedens, omnis actio facta per motum, concedo: ſine motu, nego antecedens, & conſequentiam, cùm actio immanens Dei non ſit cum motu, & de illa non locuti fuerimus in loco citato. Et ideo bene ibi concludit Angelicus, *nec tamen oportet quòd Filius ſit actus, vel factus, ſicut nec oportet, quòd propriè ſit ibi actio, vel paſſio*, loquendo de actione, quæ ſit motus, cui ſoli correſpondet paſſio.

ARTICVLVS III.

An diuinæ proceſſiones ſint actus intellectus, & voluntatis?

VIdentur non eſſe, vt acriter propugnant Durandus, Gregor. Arim. & alij infra referendi, cùm agemus de generatione Verbi. Fundamenta ſunt. 1. Proceſſiones diuinæ habentur ex fæcunditate naturæ diuinæ, quam fæcunditatem habet ex ſua infinitate eſſentiali, & non quia eſt intelligens, ſeu volens. Ergo non habentur per actus intellectus, & voluntatis.

2. Communicabilitas eſt radix fæcunditatis. Sed hæc habetur per bonitatem, de cuius propria ratione eſt, quòd ſe diffundat. Ergo non habetur per potentias intellectus, & voluntatis, quæ conſequuntur, ſeu emanant ex bonitate.

3. Fe-

3. Fæcunditas creata habetur per participationem à fæcunditate increata; Ergo debent aliqualiter proportionari. Sed creata habetur per potentiam diſtinctam ab intellectu, & voluntate. Ergo & increata.

4. Diuina attributa manant immediatè ab eſſentia, abſque vllo reſpectu ad potentias rationales. Ergo etiam proprietates Perſonales poſſunt immediatè fluere ab eadem eſſentia, abſque tali reſpectu ad potentias actiuas.

Concluſio, *Omnes diuinæ proceſſiones ſunt per actus intellectus, & voluntatis.* Eſt expreſsè diui Tho: hic q.27. ar. 1. & ſeqq. Egidij, & aliorum.

Probatur, Diuinæ proceſſiones ſunt veræ actiones immanentes, vt probatum eſt ar. 2. Sed hæ non poſſunt eſſe, niſi intelligere, & velle. Ergo diuinæ proceſſiones ſunt per intelligere, & velle. Probatur minor, omnis actus immanens vel eſt intellectio, vel volitio, vel ſenſatio. Sed ſenſatio non poteſt conuenire ſubſtantiæ purè ſpirituali intellectiuæ, cuiuſmodi eſt Deus. Ergo Deo non poteſt conuenire alia actio immanens, per quam communicetur ad intra, quàm intellectus, & voluntatis. Et ideo benè cõcludit Angelicus hic ar. 5. *proceſſiones in diuinis accipi non poſſunt, niſi ſecundum actiones, quæ in agente manent.*

Ad 1. Nego antecedens cum Caiet. hic, ar. 5. Primò quia natura vt natura,

non habet eſſe fæcundam intra ſe, quoad actus ſubſtantiales, vt patet in omnibus creaturis, neque extra ſe quoad productionem vniuocam ſubſtantiæ ſibi ſimilis, vt patet in Angelis, quos probat hic diuus Tho: q.45.ar.5. non poſſe ſibi ſimiles generare. Ergo ſi qua natura habet producere ſibi ſimilem, vel ad intra, vel ad extra, habet ex alio capite, videlicèt vel quia eſt materialis, vt homo, equus, vel quia eſt intelligens, & volens, vt Deus. Deinde fæcunditas naturæ debet explicari in ordine ad actum ſibi congruum, & poſſibilem. Sed nullus actus eſt poſſibilis vlli naturæ, qui non ſit vel immanens, vel tranſiens. Ergo debet explicari in ordine ad alterutrum, quorum primus terminet fæcunditatem ad intra, & ſecundus ad extra Atqui naturæ purè intellectuali nullus eſt poſſibilis actus immanens, quàm intelligere, & velle, vt dictum eſt. Ergo huiuſmodi ſubſtantiæ non poſſunt eſſe fæcundæ, niſi vt intellectiuæ, & volitiuæ; aliòquin numquam poſſent reducere ad actum ſecundum ſuam fæcunditatem. Demum natura ex ſe eſt quidem principium radicale, & remotum fæcunditatis, iuxta definitionem naturæ ex 2. phyſ. non autem proximum, & formale, quod completur per potentiam. Cùm Ergo in ſubſtantijs immaterialibus non ſit alia potentia, quàm intellectus, & voluntas, ſequitur per has compleri formaliter, & proximè in eſſe fœcundas.

Ad 2. Primò Diſtinguo minorem, communicabilitas habetur per bonitatem remotè, & radicaliter, concedo: proximè, & formaliter, nego minorem. Et diſtinguo conſequens, non habetur radicaliter per potentias intellectus, & voluntatis, concedo: non habetur proximè, & formaliter, nego conſequentiam. Deinde nego minorem. Et dico fœcunditatem radicalem poſitiuam, & phyſicam non haberi per naturam ſecundum ſe, quæ vt talis nullum habet principium communicatiuum, ſed ſolam non repugnantiam ad communicari, quæ conſtituit communicabilitatem radicalem purè logicam, ſed per naturam vt conceptam cum reſpectu paternitatis, ſub quo concipitur vt conſtitutiua ſuppoſiti, à quo poſſit communicari. Ergo natura ex ſe nullo modo eſt communicabilis, vt dicetur infra diſput. 19. artic. 4. ad 2.

Ad 3. Nego poſtremam conſequentiam, quæ facit tranſitum ex aliquali proportione, ad omnimodam proportionem; & ideo eſt falſa. Proportio autem conſiſtit in hoc, quòd ſicut natura increata communicatur alteri ſibi ſimili intra ſe, ita & natura creata communicatur alteri ſibi ſimili extra ſe, & ſicut illa communicatur per potentiam, ita & hæc. Cæterùm quia natura creata communicatur alteri extra ſe, ideo debet communicari per actum tranſeuntem, cuiuſmodi non poſſunt eſſe intellectio,

&

& volitio. At natura increata quia communicatur ad intra, ideo debet communicari per actus immanentes, quorum alios habere non poteſt, quàm intelligere, & velle. Et in hoc non proportionantur.

Ad 4. Primò nego antecedens, ex falſo præſuppoſito, quòd attributa fluant ab eſſentia, cùm oppoſitum ſtatuerimus in diſp.met.lib.1.diſp.2.ar.2. Deinde nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia attributa ſunt perfectiones abſolutæ, & communes omnibus perſonis. Ergo non debent ab vllo produci. At proprietates Perſonales quia ſunt propriæ, & incommunicabiles, ideo debent inter ſe diſtingui per oppoſitionem relatiuam, in via originis, ratione cuius vna ſit ab alia, quod non eſſet, ſi omnes ſimul fluerent ab eſſentia. Ergo debet vna producere aliam, per actiuam communicabilitatem ad intra, quæ non poteſt reduci ad actum, ſine intelligere, & velle.

ARTICVLVS IV.

An diuinæ proceſſiones paſſiuè conſideratæ ſint veræ paſſiones?

Videntur eſſe, Primò quia omnis actio eſſentialiter connectitur cum paſſione; neque enim poteſt intelligi aliquod agere in aliud, niſi intelligatur hoc ab illo pati, vt patet in ſecare, & ſe-

ſecari: percutere, & percuti: calefacere, & calefieri. Sed in diuinis proceſſionibus eſt vera actio, vt probatum eſt art. 2. Ergo debet eſſe vera paſſio.

2. Actio ſi conſideretur vt eſt huius in hoc, dicitur actio, quatenus eſt id, per quod agens fertur in paſſum, & in illo terminatur; ſi verò conſideretur vt eſt huius ab hoc, dicitur paſſio, quatenus eſt id, per quod paſſum recipit ab agente, vt dicitur 3. phyſ. t.22. & nos explicuimus in 1. de gener. diſp. 4. in proemio. Sed proceſſio, per quam filius procedit à Patre, eſt actus in hoc pròut ab hoc, & quatenus eſt à Patre in filium, eſt actus ab hoc pròut in hoc. Ergo ſicut ſub hoc reſpectu eſt vera actio, ita ſub alio eſt vera paſſio, cùm ſit impoſſibile, dari vnũ ſine alio.

3. Terminus productus, vt formaliter terminans actionem producentis, patitur ab illo. Ergo actio vt formaliter terminata ab illo, eſt vera paſsio. Conſequentia patet, quia nomine paſsionis non intelligimus aliud, quàm rationem formalem patiendi. Antecedens probatur, quicumque aliquid ab alio recipit, patitur impulſum dantis. Sed qui terminat actionem producentis, recipit eſſe ab illo, aliter non diceretur produci. Ergo patitur.

Concluſio, *Quamuis diuinæ proceſſiones poſſint aliquo modo dici paſſiones, tamen in proprietate ſermonis nullam dicunt paſſionem.*

Pro-

Probatur prima pars, recipitur in ſcholis, dari in Deo generationem paſsiuam, & ſpirationem paſsiuam. Sed hæ dicunt paſsionem. Ergo poteſt etiam paſsio admitti in diuinis, demptis tamen imperfectionibus; & ideò ſicut generatio paſsiua datur in filio purè terminatiuè, & non ſubiectiuè, ita & paſsio purè terminatiua poteſt in illo admitti. Et ideo docet diuus Thomas q. 10. de pot. ar. 1. ad 3. *In proceſſione, quæ importat ordinem originis, procedens ſe habet ad proceſſionem vt terminus, non vt ſubiectum*, cui conſonat Scotus in 1. d. 2. q. 7. §. *tenendo*, vbi ait, *Filius eſt terminus potentiæ productiuæ, quæ abſtrahit à ratione potentiæ effectiuæ*. Non poſſet autem eſſe terminus, niſi paſiuè produceretur, & ad illum terminaretur productio, & potentia principij productiui. Ergo aliquo modo habet paſsionem. Non tamen debet vocari ſimpliciter paſsio, *ſed* ſolùm cum addito, hoc eſt ſecundùm quid, ſeu terminatiuè, vt aduertit hìc Faſolus quæſt. 27. art. 1. dub. 4. num. 177.

Dices, ergo etiam poſſet dici factio, ſeu creatio terminatiuè. Nego conſequentiam. Nam cùm omnia per Verbum facta ſint, vt dicitur Io. 1. ſi ipſum eſſet factum, vel eſſet factum per aliud Verbum, & ſic darentur duo Verba, quod repugnat, vt videbimus; vel non omnia per ipſum eſſent facta, vt intulit Aug. lib. 1. aduerſùs Maximinum. Et

idem

idem valet de creatione, quæ inuoluit formaliter factionem. Et ideo dicitur de Filio in ſymbolo S. Athan. *Filius à Patre eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus*, & de Spiritu S. *à Patre, & filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*. & in ſymbolo Nicæno dicitur de Filio, *genitum non factum*, &c. Præterea non poteſt generatio dici factio, quia filius non gignitur ex materia præexiſtente, cũ ſit Patri conſubſtantialis excludenti omnem compoſitionem; neque creatio, quia non fit ex nihilo, ſed de ſubſtantia Patris, modo infra explicando.

Probatur ſecunda pars, Primò quia paſſio vt formaliter talis, non fit ſine motu, & ideo creatio, quæ fit ſine motu non dicit ordinem ad paſſionem. Cùm ergo diuinæ proceſſiones ſint ſine motu, nullam dicunt paſſionem. 2. Omnis paſſio accidit ſubiecto, in quo eſt. Proceſſiones autem neque accidunt Perſonis, quas non præſupponunt in eſſe; neque inſunt in illis, quas non perficiunt, ſed conſtituunt. 3. Paſsio vt talis præſupponit paſsibilitatem, ſeu potentialitatem, quæ repugnant diuinæ actualitati, & ſimplicitati. Ergo neque generatio paſſiua, neque proceſsio poſſunt vocari paſsiones.

Neque obſtat, quod vocentur generatio, & proceſsio paſsiuæ; Nam ly *paſſiuè* adiectiuè, ſolùm ſonat paſsionem grammaticaliter, quatenus ſignificat terminos

minos productos, non autem philoſophicè, quatenus ſignificat affectionem, ſeu actum patientis, vt optimè docet diuus Thomas hic q. 41. ar. 1. ad 3. dicens, *Secundùm quod actio importat originem motus, infert ex ſe paſſionem. Sic autem non ponitur actio in diuinis Perſonis. Vnde non ponuntur ibi paſſiones, niſi grammaticè loquendo, quantum ad modum ſignificandi, ſicut Patri attribuimus generare, & filio generari.*

Vnde patet reſponſio ad primum.

Ad 2. Nego minorem. Cùm enim generatio terminetur ad filium, & non ſit in illo vt in ſubiecto, non poteſt eſſe actio in hoc prout ab hoc, quæ ſolùm eſt actio cum motu, vt dictum eſt, & de hac ſola locuti ſumus, cùm Philoſopho in loco citato.

Ad 3. Nego antecedens. Ad cuius probationem dico, receptionem dicere paſsionem, quando recipiens præexiſtit ad receptionem, quæ illi aduenit per modum accidentis, non autem quando recipiens exiſtit formaliter per ipſam receptionem ſui eſſe, vt accidit in creatione. Cùm ergo receptio diuini eſſe à Patre, non conſequatur ad exiſtentiam filij, ſed ſit illi conſubſtantialis, & coæterna, nullam in eo parit paſſionem. Et ideo potiùs dicitur filius recepiſſe, quàm recipere eſſe à Patre, cùm totum eius recipere ſit ſemper, & ab æterno receperiſſe, & numquam ex indigentia, ſed ex ſumma neceſsitate, quam habet Pater ad dan-

dandum, & eſſentiali exigentia, quam habet filius ad illud recipiendum à Patre, vt acutè obſeruat diuus Thom. q. 10. de pot. ar. 1. ad 13. dicens, *recipiens antequàm recipiat, indiget. Ad hoc enim accipit, vt indigentiam repleat, ſed poſtquã iam acceperit, non indiget; habet enim quo indigebat. Si ergo aliquid eſt, quod receptioni non praexiſtit ſed ſemper eſt in recepiſſe, hoc nullo modo eſt indigens. Filius autem non ſic accipit à Patre, quaſi priùs non habens, & poſtea accipiens; ſed quia hoc ipſum quod eſt, habet à Patre; vnde non ſequitur quod ſit indigens*; & per conſequens neque ſequitur, quòd patiatur.

ARTICVLVS V.

An diuinæ proceſſiones importent aliquam mutationem?

VIdentur importare, vt opinabantur Arriani, Primò quia quod eſt eſſentialiter tale, non relinquit eſſe tale, ſiue ſit in tempore, ſiue in æternitate; nam Petrus factus in tempore, etiamſi fuiſſet ab æterno, fuiſſet Petrus, hoc eſt talis homo. Sed proceſsio ab alio eſt eſſentialiter mutatio, ex parte vtriuſque extremi. Ergo licèt fuerit ab æterno, retinet eſſe mutationem. Probatur minor, ſi Pater incæpiſſet in tempore generare filium, feciſſet tranſitum de non eſſe generantem ad eſſe generantem, & filius tran-

tranſiiſſet de non eſſe genitum ad eſſe genitum. Ergo per proceſsionem filii à Patre, vterque fuiſſet mutatus. Sed hoc non accideret, niſi proceſsio diceret eſſentialiter mutationem in extremis. Ergo illam dicit eſſentialiter, etiam ab æterno.

2. Omne generabile eſt mutabile. Sed filius eſt generabilis. Ergo eſt mutabilis. Probatur minor, generatur, ergo poteſt generari, ſicut quia Pater generat, poteſt generare. Ergo ſicut Pater habet potentiam actiuam, per quam dicitur generatiuus, ita filius habet potentiam paſſiuam ad generari, per quam dicitur generabilis.

3. Per proceſsionem ad extra creaturæ à Deo, Deus mutatur ad extra, de non creatore in creatorem. Ergo per proceſsionem ad intra filij à Patre, Pater mutatur de non eſſe Patrem, ad eſſe Patrem.

4. In diuinis eſt generatio, vt videbimus. Sed generatio eſt vna e ſpeciebus motus. Ergo in diuinis eſt motus, adeòque mutatio.

Concluſio, *Proceſſiones ad intra nullam in Deo dicunt mutationem*. Eſt de fide, vt dicitur Malachiæ 3. *Ego Deus, & non mutor*.

Probatur, omnis mutatio neceſſariò inuoluit in ſuo conceptu formali ſubiectum aliter ſe habens, ac ſe habuerit antea. Ergo neceſſariò inuoluit vnum terminum, à quo tranſeat, & alium, ad

quem

quem tranſeat, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum, vt fusè explicuimus in 1. phyſ. Ergo neceſſariò dicit motum, & potentialitatem; vnde ibi intulimus cum Philoſopho, tria eſſe principia generationis ſubſtantialis, nempe materiam, formam, & priuationem. Sed in Deo non eſt poſsibilis motus, vt probatum eſt ſupra, neque potentialitas, vt eſt commune proloquium. Ergo neque eſt poſsibilis mutatio. Probatur conſequentia, quia mutatio non diſtinguitur à motu, vt probauimus in 3. phyſ. diſput 1. ar.4. Bene ergo concludit Ambroſius lib.1.de fide c.5. *Si Pater eſſe cœpit, Deus ergo primò erat, poſtea Pater factus eſt. Quomodo ergo immutabilis Deus? Si enim antea Deus, poſtea Pater, vtique generationis acceſſione mutatus eſt. Sed auertat Deus hanc amentiam.* Nec immeritò opinio oppoſita vocatur amentia, cùm deſtruat radicitùs diuinitatem. Qui enim fieri poteſt, vt Deus ſit ens eſſentialiter primum, & neceſſarium, ſi mutationibus ſit ſubiectum? Verùm quia de hoc fuſiùs egimus in 7.phyſ. diſput. 1. art. 4. ideo non eſt opus ea repetere.

Ad 1. Primò diſtinguo maiorem, ſi ſermo ſit de rebus, quæ non inuoluant eſſentialiter ſuum durare, concedo: ſi ſecùs, nego. Nam motus hodiernus primi mobilis e.g. ſi fingatur fieri cras, non erit ampliùs motus hodiernus, ſed craſtinus, propter ſolam variationem durationis, quam in 3.phyſ. diſp.1. ar.8. diximus

mus eſſe illi eſſentialem. Cùm ergo Deus ſit eſſentialiter ſua æternitas, ſi fingatur eſſe in tempore, non eſt amplius Deus, propter defectum prædicati eſſentialis. Contra verò Angelus, quia durat per durationem ſuperadditam, ſiue fuerit ab æterno, ſiue in tempore, ſemper eſt idem Angelus, & ſolùm variatur accidentaliter. Deinde nego minorem. Ad cuius probationem diſtinguo *minorem* ſubſumptam, hoc accideret quia talis ficta proceſſio temporanea diceret mutationem, concedo: quia vera proceſſio æterna Verbi dicit mutationem, nego. Cùm enim proceſsio variaretur eſſentialiter, ex diuina in creatam, quid mirum ſi faceret mutationem? Non ergo hoc haberet præcisè, vt proceſsio eſt, ſed vt talis proceſsio eſt, nempe vt creata, & temporanea, cuiuſmodi non eſt proceſsio Verbi, cui eſſentialiter conuenit eſſe æternam, & diuinam. Vnde apparet falſitas poſtremæ conſequentiæ.

Ad 2. Nego minorem. Ad cuius probationem. Primò diſtinguo primum conſequens, poteſt generari, hoc eſt, eſt in potentia ad generari, nego: hoc eſt habet potentiam terminatiuam generationis, & ſubdiſtinguo, habet potentiam ſubiectiuam, nego; habet potentiam purè obiectiuam, vt vocatur à Scoto in 1. d. 5. q. 2. §. *ſed obijcitur*. ſeu terminatiuam, concedo conſequentiam. Deinde retorqueo argumentum,

Pa-

Pater per hoc quòd habeat potentiam generatiuam, numquam eſt in potentia ad generandum, ſed ſemper eſt in actu generandi, & ideo non dicitur generatiuus, ſed generans. Ergo etiam filius per hoc quòd habeat potentiam terminandi paſsiuè generationem, numquam eſt in potentia ad generari, ſed ſemper eſt in actu generandi paſsiuè, & ideò non debet dici generabilis, ſed genitus, per puram actualitatem accipiendi eſse à Patre, excludentem omnem admixtionem cum quacumque potentialitate.

Ad 3. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia cùm creatio temporanea ſit ad terminum extrinſecum, qui tranſit de non eſſe ad eſse, neceſsariò inuoluit mutationem ipſius termini, per quam dicitur Deus extrinſecè mutatus, per puram denominationem deſumptam ex ipſo termino, cum puro reſpectu rationis ad illum. At generatio Verbi cùm ſit æterna, & per identitatem naturæ cum generante, nullam inuoluit mutationem in termino, qui ſemper, & neceſsariò fuit. Ergo ſi aliquam inuolueret mutationem, illam inuolueret ex parte ſubſtantiæ Patris generantis, vt bene infert Alenſis p. 1. q. 4. membro 1. ad 5. quod eſt abſurdum; ſiquidem faceret Deum intrinſecè variabilem.

Ad 4. Diſtinguo minorem, generatio temporanea termini contingentis, concedo: generatio æterna termini neceſsarij, nego minorem, & conſequentiam.

Et

Et ratio eſt, quia generatio temporanea termini contingentis duas trahit imperfectiones. Vnam quòd ſit tranſitus de non eſse termini ad eſse termini; & alteram quòd ſi tranſitus de non eſse ipſius generationis ad eſse, omiſsis alijs, quæ conſequuntur, nempe quòd ſit ex præexiſtente materia: quòd ſit connexa cum corruptione alterius: quod ſit in ſubiecto &c. At generatio æterna termini necesſarij neutram dicit. Ergo nullam dicit mutationem, non ex parte generantis, quia ſemper generat: non ex parte termini, quia ſemper gignitur: neque ex parte ſui, quia ſemper, & neceſsariò eſt. Et ideo non eſt generatio, quatenus eſt mutatio ſubiecti, ſed quatenus eſt productio termini; & per conſequens non eſt ſpecies motus, vt fuſiùs infra explicabitur in proprio loco.

DI-

DISPVTATIO VI.

De Principio actiuo diuinarum proceſsionum.

ADmiſſis in Deo proceſſionibus ad intra, quæ ſint veræ actiones immanentes intellectus, & voluntatis, nullam inuoluentes veram paſſionem, & mutationem, inquirendum eſt earum principium. Quia verò duplex eſt principium actiuum *quod*, & *quo*, ideo agentes hic de vtroque, quæremus 1. An proceſſiones ſint actiones ſuppoſitorum? 2. An in diuinis ſuppoſitis ſit potentia actiua ad intra? 3. An hæc potentia importet formaliter ſolam eſſentiam, vel ſolam relationem, vel vtramque ſimul, & quomodo?

ARTICVLVS PRIMVS.

An proceſsiones ſint actiones ſuppoſitorum?

VIdentur non eſſe, Primò quia vel accipiuntur actiuè, vt ſunt in principio producente, vel paſſiuè, vt ſunt in termino producto? Si primum, non poſſunt eſſe ab eo, quod conſtituunt. Ergo cùm generatio actiua, vt formaliter talis, conſtituat Patrem in eſſe Patrem, non poteſt ab eo procedere; aliter procederet à ſe ipſa, quod repugnat. Si ſecundùm, cùm proceſſio vt eſt formaliter paſſiuè in filio, ſit generatio paſſiua conſtituens filium in eſſe filium, identificatur realiter cum diuina eſſentia; aliter filius vt filius non eſſet Deus. Sed diuina eſſentia non eſt à ſuppoſito Patris, aliter generaretur, quod eſt abſurdum. Ergo proceſſio non eſt à ſuppoſito.

2. Actiones creatæ non ſunt à ſuppoſitis, vt propugnat Argentinas in 1.d.11. ar.3. Ergo neque diuinæ, cùm vtrobique militet eadem ratio. Quod ſi opponas Philoſophum 1. met. & 2. ethic. & 1. de an. expreſsè oppoſitum aſſerentem, ait Argentinas in reſp. ad 1 *cum dicitur quod actus ſunt ſuppoſitorum, dico, quòd textus Ariſtotelis non habet ſuppoſitorum, ſed ſingularium. Et ſi in aliqua translatione (quam ego tamen numquam re-*

recordor me vidiſſe) inueniretur, quòd actiones ſunt ſuppoſitorum, dicerem quod Ariſtoteles prò tanto ſic ſcriberet, quia loquebatur ibi de rebus, quarum naturæ per ſe non habent eſſe, ſed acquirunt eſſe in ſuppoſitis; & ideo per ſe non poterunt agere. Vnde infert, *quòd licèt eſſentia diuina non ſit ſuppoſitum abſolutum, poteſt tamen ſine omni inconuenientia dici hoc ſingulare abſolutum, eò quòd per ſe habet hoc eſſe, puta diuinum.* Ergo diuinæ proceſsiones procedunt ab eſsentia, vt à principio *quod*.

1. Concluſio, *Proceſſiones actiuæ, vt ſunt in producente, non habent principium à quo ſint, ſed ſolùm principium, in quo ſint.*

Probatur, proceſsio actiuè ſumpta, cùm ſit actio immanens, eſt in ipſo principio actiuo producente. Ergo ſi deriuaret ab illo, haberet cum illo oppoſitionem relatiuam, ex prioritate, & poſterioritate originis, & per conſequens diſtingueretur ab illo realiter, ſicut proceſsio actiua diſtinguitur à paſsiua. Et ſic generatio actiua Verbi ita eſſet in Patre, vt realiter ab illo diſtingueretur, ex vi illius principij, quòd cùm nihil ſe ipſum producat, omne producens diſtinguitur à producto; aliter tolleretur diſtinctio Perſonarum. Sed hoc eſset maximum abſurdum, quia daretur proceſſus infinitus in ipſis proceſsionibus. Nã generatio actiua vel produceretur à Patre per aliam generationem, ita vt prima

reſpectu ſecundæ ſe haberet vt terminũ paſsiuum, & de ſecunda rediret argumentum, & ſic in infinitum; vel produceretur à Patre immediatè, abſque vlla alia actione generatiua, & multiplicaret in Patre relationes, nempe præter relationem ad filium, & Spiritum Sanctum, etiam ad ipſam generationem. Et quia hæc relatio eſset incommunicabilis, multiplicaret quartam Perſonam, quod eſt peius abſurdum. Sed de hoc fuſiùs infra, cum agemus de relationibus.

2. Concluſio, *Diuinæ proceſsiones, vt ſunt paſsiuè in terminis productis, ſunt actiones ſuppoſitorum, ſeu Perſonarum.*

Probatur, eſsentia vt præciſa formaliter à Perſonis, non generat, vt videbimus infra. Ergo non poteſt eſse principium *quod* generationis Verbi. Probatur conſequentia, quia principium *quod* generationis Verbi eſt principium dicens, & producens Verbum; aliter generatio non eſset actio immanẽs intellectus fecundi Dei Patris, quod repugnaret fidei, & ſupradictis. Sed eſsentia, vt formaliter præciſa à Perſonis, non eſt principium dicens, & producens Verbum. Ergo non eſt principium *quod* generationis ipſius. Et ideo dicitur in ſymbolo Nicæno, filius ex Patre natus, & Spiritus Sanctus procedens ex Patre, & filio. Ergo generatio, & proceſsio ſunt actiones Patris, & Filij, qui ſunt diuina ſuppoſita, ſeu Perſonæ. Et hæc eſt

ra-

ratio, cur communiter vt abſona reijciatur opinio Durandi dicentis, proceſſiones emanare immediatè ab eſſentia, ſecundum eius naturalem fæcunditatem, ſeclusis intellectu, & voluntate, quia videlicèt omnes ſupponunt vt certum ex fide, filium dici Verbum, quia procedit ab intellectu fæcundo Patris, & Spiritum Sanctum dici Amorem ſpiratum, quia procedit ex voluntate fæcunda Patris, & Filij, vt ſuis locis prò dignitate probabimus. Ergo eſſentia habet quidem rationem principij *quo* radicalis, non tamen principij *quod* proceſſionum, ſeu principij *quo* proximi.

Ad 1. Dico, generationem paſsiuè ſumptam identificari realiter cum eſſentia, à qua diſtinguitur virtualiter intrinſecè. Ergo poteſt filius ſecundùm relationem originis produci à Patre, & ſecundùm eſſentiam accipere communicationem illius ab eodem Patre. Ergo ſicut producitur Perſona, & non eſſentia, ita productio paſsiuè ſumpta eſt à Perſona, & non ab eſſentia.

Ad 2. Nego antecedens; neque enim humanitas, ſed homo generat hominem. Ad authoritatem Argentinatis. Dico primò, nihil eſſe tritius penès Philoſoſos, quàm actiones eſſe ſuppoſitorum. Ergo quamuis illi textus loco ſuppoſitorum dicerent ſingularium, mille aliis locis explicarentur prò ſuppoſitis. Deinde arguo ad hominem contra ipſum, eſſentia diuina, quatenus eſt hoc ſingu-

lare, vel dicit incommunicabilitatem, vel non? Si primum, ergo eſt ſuppoſitum abſolutum, quod negat, & eſt erroneum, vt probaui in diſput.met. lib.2. diſp. 3. ar. 1. Si ſecundum, ergo quia eſt ratio formalis producendi, ſe habet *vt quo*, & non *vt quod*, vt patebit infra, cum diſp. 26. art. 6. quæremus, an eſſentia diuina ex ſe creet?

Demum dico, eſſe iam definitum in Eccleſia quid ſit principium *quod* diuinarum proceſſionum. Siquidem in Concil. Later. quod refertur in cap. *damnamus* de ſumma Trin. dicitur, *vna quadam ſumma res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura diuina veraciter eſt Pater, & filius, & Spiritus Sanctus; & id quod eſt Pater, eſt filius, & Spiritus Sanctus idem omnino*. Et deinde ad caſum noſtrum; *illa res non eſt generans, neque genita, nec procedens; ſed eſt Pater qui generat, & filius qui gignitur, & Spiritus Sanctus qui procedit, vt diſtinctiones ſint in Perſonis, vnitas in natura*. Et in Conc. Floren. ſeſſ. 18. poſt med. dicitur, *Pater generatiuum principium eſt, & ſuppoſitum quoddam ſignificat; diuina verò ſubſtantia, quæ cum Patre realiter idem ſunt, non quidem generat, ſed eſt principium quo generatio fit*. Quare ſi opinio Argentinatis transferatur ad diuina, non ſolùm eſt falſa, ſed erronea.

AR-

ARTICVLVS II.

An in diuinis ſuppoſitis ſit potentia actiua ad intra?

VIdetur non eſſe, vt propugnat Aureolus in 1.d.7.q.1.artic.2. Primò quia per illud idem poteſt Pater generare, per quod poteſt eſſe Pater. Sed id per quod poteſt eſſe Pater, non eſt potentia actiua; aliter poſſet ſeipſum producere. Ergo neque id, per quod poteſt generare. Et idem valet in Patre, & Filio de poſſe ſpirare.

2. Omnis potentia actiua eſt ad actus elicitos, ſiue productos. Sed generare, & ſpirare non ſunt actus eliciti, ſeu producti. Ergo ad illos non datur potentia actiua; & per conſequens in Patre non datur potentia actiua.

3. Sicut generare conſtituit Patrem, ita generari conſtituit Filium. Sed in filio non datur potentia actiua ad generari, aliter daretur potentia actiua ad ſe ipſum. Ergo neque in Patre ad generare.

4. Omnis potentia eſt de genere qualitatis, vt habetur ex Philoſ. c. de quali. Sed qualitas non poteſt Deo conuenire. Ergo neque potentia.

5. Potentia actiua dicit principium transmutationis, vt habetur ex 5.met.t. 17. Sed in Deo nulla eſt tranſmutatio. Ergo neque potentia.

6. Vel Potentia in Deo eſſet cum a-ctu, vel ſine actu? Si primum, daretur in Deo diſtinctio ſecundum rem, vnde illi reſultaret compoſitio. Si ſecundum, Ergo daretur aliquod in Deo abſque vllo actu. Sed hoc repugnat ex 1. Phyſ. comment. 60. & diuinæ perfectioni contradicit, eò quòd eſſet aliquod medium inter ens, & nihil. Ergo in Deo non eſt potentia.

7. Materia ex eo quòd ſit pura potentia, omnem excludit actum. Ergo ex eo quòd Deus ſit purus actus, debet excludere omnem potentiam.

8. Omnis potentia actiua dicit correlationem ad potentiam paſſiuam. Sed in Deo non datur potentia paſſiua. Ergo neque actiua.

9. Vel omnis potentia, quæ eſt in vno ſuppoſito, daretur etiam in alijs, vel non? Si primum, ergo etiam Filius, & Spiritus Sanctus poſſent generare. Si ſecundum, Ergo vna Perſona eſſet potentior alijs. Sed hæc ſunt abſurda. Ergo in Deo nulla datur potentia actiua.

10. Ambroſ. lib. 4. de fide c. 4. ait, *Generatio non eſt potentiæ, ſed paternæ proprietatis*. Cui conſonat Cyrillus in dial. de Trin. lib. 2. dicens, *Pater numquam fuit potentia Pater, neque potentia ad generandum Filium*. Ergo admittere potentiam in illo, repugnat vtrique.

Concluſio, *Datur in ſuppoſito Patris* po-

potentia actiua ad generandum, & in Patre, & Filio potentia actiua ad ſpirandum. Ita Egid. in 1.d.7.p.1.q.1. Ex Mag. in 1.d.7. diuus Tho: 1.p.q.41.ar.4. & alij communiter.

Probatur 1. Aug.7. de Trin. c.1. ait, *ſic ſe habet potentia ad poſſe, vt eſſentia ad eſſe, & ſapientia ad ſapere*. Sed nihil eſt, niſi habeat eſſentiam, & nullus ſapit ſine ſapientia. Ergo nullus poteſt ſine potentia. Sed Pater poteſt generare, & Pater, & Filius poſſunt ſpirare. Ergo Pater habet potentiam generandi, & Pater, & Filius potentiam ſpirandi.

2. Omne agens poteſt agere. Sed non poſſet agere, niſi haberet potentiam actiuam. Ergo omne agens habet potentiam actiuam. Sed Pater generando agit, quia producit Filium. Ergo habet potentiam generatiuam, vt egregiè concludit Angelicus q.41. ar.4. dicens, *potentia generandi ſignificat id, quo generans generat. Omne autem generans generat aliquo. Vnde in omni generante oportet ponere potentiam generandi, & in ſpirante potentiam ſpirandi*.

Ad 1. Faſolus hìc negat maiorem, retorquendo argumentum in potentia creatiua. Ait enim, Deum per ſe ipſum eſſe creatorem, non tamen creare per ſe ipſum, ſed per omnipotentiam, vnde infert, Patrem per ſe ipſum eſſe Patrem, & generare per potentiam. Sed

hæc reſponſio nullam habet veritatem; & ex ipſa retorſione conuincitur falſitatis. Siquidem Deus non eſſet creator, niſi eſſet omnipotens. Ergò conſtituitur in eſſe creatorem formaliter, per ipſam potentiam, qua ſola circumſcripta, tolleretur ab eo ratio creatoris. Ergò etiam Pater quia conſtituitur formaliter in eſſe Patrem, per potentiam actu generantem, per illud idem poteſt generare, per quod poteſt eſſe Pater.

Nego igitur minorem cum ſua illatione. Cùm enim potentia non ſit actiua reſpectu ſui principij, in quo eſt, ſed reſpectu termini, ad quem eſt, ideo potentia generatiua in Patre, non poteſt generare Patrem, ſed Filium. Et idem dico de potentia ſpiratiua. Hoc eſt adeo euidens, vt etiam appareat in creatis. Siquidem Petrus vt homo, habet potentiam actiuam generandi hominem, non tamen per illam poteſt ſe generare, ſed filium; & ignis habet potentiam actiuam calefaciendi, non tamen per illam poteſt ſe calefacere, ſed aliud, & ſic de alijs, cùm hoc vno diſcrimine, quòd in creatis potentia non conſtituat principium in quo, in diuinis verò conſtituit, vt videbimus; & ideo valet in diuinis, Patrem per illud idem poſſe generare, per quod poteſt eſſe Pater, non autem in creatis, in quibus potentia cùm dicat purum actum primum, eſt ſeparabilis à ſecundo, cuiuſmodi non eſt in diuinis potentia ad intra, quæ ſemper, & neceſ-

ſa-

ſariò eſt cum ſuo actu ſecundo.

Ad 2. Nego poſtremam conſequentiam. Cùm enim ſtatuerimus in 1. ar. proceſſiones actiuè conſideratas in producentibus non habere principium à quo, ſed ſolùm in quo, non eſt mirum quòd generare, & ſpirare non producantur. Quia ergo admittimus potentiam actiuam, in ordine ad proceſſiones paſſiuè conſideratas, vt ſunt in terminis productis, non video quomodo impugnetur ex hoc, quòd illa non ſit ad generare, & ſpirare actiuè conſiderata. Neque in hoc valet conſequentia ex creatis ad diuina, quia Deus non operatur per actus diſtinctos, ſicut creatura.

Ad 3. Nego conſequentiam, quæ non bene deducitur ex illis præmiſſis, ex quibus potiùs deduceretur in Filio potentia paſſiua, & non actiua. Cùm enim conſtituatur in eſse Filium per generari à Patre, fruſtra eſt in illo quærere potentiam actiuam ad generari; aliter quæreretur actio in paſſione, ſeu in ratione formali terminandi paſſiuè generationem, quod eſt obſurdum.

Ad 4. Diſtinguo maiorem, potentia realiter diſtincta à principio productiuo, concedo: realiter identificata, nego maiorem. Quia ergo Philoſophus loquebatur de prima, & non de ſecunda, ideo cùm in Deo potentia ſit ſubſtantia, falſa eſt conſequentia.

Ad 5. Dico, philoſophum in tali loco loqui de potentijs accidentalibus,

non autem de ſubſtantialibus, cuiuſmodi ſunt in Deo.

Ad 6. Dico, hanc potentiam non ſolùm eſſe in Deo cum ſuo actu, ſed eſſe realiter cum illo identificatam, & ſolùm formaliter ab illo diſtingui. Quare nullam dicit phyſicam compoſitionem diuinæ repugnantem ſimplicitati.

Ad 7. Nego conſequentiam. *Sicut* enim materia dicitur pura potentia, non quia includat omnem potentiam, etiam actiuam; ita & Deus eſt purus actus, non per excluſionem cuiuſcumque potentiæ, ſed ſolius potentialitatis, ſeu potentiæ paſſiuæ. Quòd ſi vrgeas, materia eſt pura potentia per hoc, quòd excludat à ſe omnem actum, etiam entitatiuum. Ergo Deus eſt purus actus per excluſionem cuiuſcumque potentiæ, etiam actiuæ. Nego antecedens. Cùm enim nomine actus entitatiui, nihil aliud intelligatur, quàm entitas, & *hæc* in materia ſit eſſentialiter potentia, quamuis admittatur in illa entitas actualis, hæc nullus eſt actus, ſed potentia actualis; ideſt actu exiſtens extra cauſas, vt probauimus in 1. phyſ. Eodem modo cùm entitas Dei ſit eſſentialiter omnipotentia, eo ipſo quòd Deus includat entitatem ſui, includit eſſentialiter potentiam actiuam. Et idem dico de potentia generatiua, reſpectu Perſonæ Patris; cùm enim paternitas, ſeu proprietas Patris ſit realiter potentia generatiua, eò ipſo quòd eſſentialiter includat pa-

ternitatem, eſsentialiter dicit potentiam generatiuam. An autem hæc potentia ſit idem realiter cum Perſona, vel cum relatione, patebit infra.

Ad 8. Diſtinguo maiorem, potentia, quæ in ſe includat originem motus, concedo: quæ non includat, nego maiorem. Sicut enim in Deo datur actio ſine paſsione, vt dictum eſt diſp. 5. ar. 5. ita datur potentia actiua ſine paſsiua. Si tamen nomine potentiæ paſsiuæ, caſtigatiùs loquendo, nihil intelligatur, niſi potentia terminandi paſsiuè generationem, poſset etiam admitti in Deo, ſicut admittitur paſsio terminatiuè, ſeu ſecundùm quid, vt probat Faſolus hìc ad q. 27. ar. 1. dub. 3. n. 177. Potentia tamen paſsiua ſimpliciter, & abſolutè loquendo, nullatenùs in Deo admittitur à theologis, propter imperfectiones, quas includit, alibi explicatas, & præcipuè diſp. 5. ar. 4.

Ad 9. Primò retorqueo argumentum, Pater habet voluntatem, qua vult eſse Pater, & non Filius: & Filius habet voluntatem, qua vult eſse Filius, & non Pater. Ergo Pater habet aliquam voluntatem, quam non habet Filius, & viceuerſa. Sicut ergo eadem eſt voluntas abſoluta, qua Pater vult eſse Pater, & non Filius, & Filius vult eſse Filius, & non Pater; ita eadem potentia denominat Patrem generantem, & Filium genitum. Deinde dico, eamdem potentiam generatiuam ſecundùm rectum eſse in Patre,

&

& in filio, non autem cum eodem reſpe-ctu. Cùm enim potentia generandi ſecundùm rectum ſit eſſentia, vtique eſt in omnibus Perſonis. Sicut ergo in Patre eſt cum relatione paternitatis, & in filio cum relatione filiationis, ita in Patre dicitur potentia generatiua, & in filio dicitur proceſſio.

Dices proceſſio non poteſt eſſe potentia actiua, quia alioquin filius haberet potentiam actiuam generandi alium filium. Ergo ſi eſt potentia in filio, eſt paſſiua, per quam videlicèt poſſit generari. Sed hæc non datur in Deo. Ergo vel neque datur potentia actiua, vel illa datur in ſolo Patre.

Priuſquàm reſpondeam aduertendum eſt, quòd potentia generandi, quamuis dicat in Deo in recto, ſeu quantum ad ſuum principale, diuinam eſſentiam, tamen dicit in obliquo, ſeu tamquam conſignificatum, relationem paternitatis, ſine qua non exit in actum ſecundum generationis, vt obſeruat Argentinas in 1. d.7.q.1.ar.1.concl.3. Quare eſſentia non eſt potentia actiua generandi, niſi vt ſubſtat paternitati, ideſt vt eſt ſuppoſitata per paternitatem. Hoc poſito, dico, potentiam generandi ſecundùm abſolutum eſſe in filio; quia tamen in illo non eſt ſecundùm reſpectiuum, ideo in illo non denominatur potentia actiua, ſed proceſſio; eo modo quo eadem albedo in manu eſt pulchritudo, & in oculo deformitas, propter diuerſum reſpectum.

Re-

Reſpondeo igitur in forma diſtinguendo antecedens, proceſſio vt formaliter talis, non eſt potentia actiua vt formaliter talis, concedo: non eſt potentia actiua materialiter, & entitatiuè, nego antecedens. Et diſtinguo conſequens, eſt potentia paſſiua cum potentialitate, nego: abſque potentialitate, nempe demptis imperfectionibus, concedo conſequentiam. Sicut enim admittuntur in Deo generatio, & ſpiratio paſsiuæ, ita quoad hoc admittitur potentia paſsiua; non tamen denominatur formaliter paſſiua, quia nullam dicit potentialitatem, per quam poſsit ab alio perfici, tamquam ab actu, ſeu forma inhærente. Dicitur ergo paſsiua ſolùm per hoc, quòd dicat in filio eſſentialiter terminum potentiæ actiuæ Patris. Atque adeo ſicut in creatis actio tranſiens eſt in paſſo, non vt formaliter actio, ſed vt paſsio; ita in diuinis generatio eſt in filio, vt formaliter proceſsio, per quam accipit à ſolo Patre, non quidem actum inhærentem, & perfectiuum, ſed ſubſtantiam, & entitatem Patris. Quòd autem vt formaliter actiua ſit in Patre, & non in filio, hoc non arguit, niſi paternitatem non eſſe in filio, quod omnes concedunt. Non poteſt ergo filius generare, quia non habet principium *quod*, ſed ſolùm principium *quo*, quia non habet eſſentiam ſub paternitate, ſed ſub oppoſita proprietate. Verùm huius radicem difficultatis tolle-

mus

mus, cum agemus de Perſonarum æqualitate.

Ad 10. Nego conſequentiam. Et dico, Ambroſium ſolùm negare generationem prouenire à potentia abſoluta, non autem à notionali quæ cùm dicat etiam paternitatem, ideo bene dicitur generatio eſſe paternæ proprietatis, qua præciſa, non daretur formaliter potentia generatiua, vt actu generans. Ad Cyrillum dico, verìſsimum eſſe, Patrem numquam fuiſſe Patrem in potentia, quia ſemper, & neceſſariò fuit in actu; ſicut numquam fuit in potentia ad generandum, quia ſemper in actu ſecundo genuit, & gignit. Neque ergo negat in Patre potentiam ad eſſe Patrem, & ad generandum, ſed ait, illam ſemper fuiſſe cum ſuo actu, & numquam illo priuatam, ſiue potentem priuari.

ARTICVLVS III.

An potentia actiua importet formaliter ſolam eſſentiam?

Videtur importare, Primò, quia Egid. in 1. d. 7. princ. 1. q. 2. ait, *potentia generatiua in diuinis ſimpliciter dicit quid*, ideſt aliquid ſubſtantiale, & abſolutum. Ergo non dicit relationem, ſeu aliquod reſpectiuum.

2. Idem ibid. ad 4. ait, *potentia generandi non eſt id, per quod ſuppoſitum habet*

bet eſſe incommunicabile, ſed per quod habet eſſe communicabile, unde potentia generandi in Sorte non eſt Sorteitas, ſed natura humana in ipſo. Sed Pater eſt incommunicabilis per relationem, & communicabilis per naturam. Ergo ſola natura eſt potentia generandi in Patre.

3. Si hæc potentia includeret relationem, non poſſet eſſe in filio. Sed hoc repugnat Auguſtino dicenti in lib. con. Maximinum c.12. *abſit vt ideo potentior ſit Pater filio, quia Pater genuit Creatorem, filius autem non genuit Creatorem. Neque enim non potuit, ſed non oportuit.* Ergo non includit relationem.

4. Potentia generatiua comprehenditur ſub omnipotentia, vt docet Angelicus q.2.de pot.ar.5. Sed omnipotentia eſt perfectio abſoluta, nullum inuoluens reſpectiuum, aliter non poſſet eſſe communis. Ergo potentia generatiua nullam inuoluit relationem.

Concluſio, *Potentia generandi, & ſpirandi non important formaliter ſolam eſſentiam.*

Probatur, esſentia eſt communis omnibus Perſonis. Ergo ſi in ea ſola conſiſteret potentia generatiua, duo ſequerentur abſurda. Primum eſt, quòd potentia generandi adæquatè ſumpta esſet in omnibus Perſonis, & ſic omnes poſſent generare, adeòque de facto generarent, cùm in diuinis ad intra non diſtinguatur esſe à poſse. Alterum eſt, quòd

po-

potentia actiua generatiua non diſtingueretur à termino producto, cum quo licèt haberet oppoſitionem originis, non tamen haberet oppoſitionem relatiuam, quæ ſola diſtinguit in diuinis. Sed hæc abſuda euitantur includendo relationem. Ergo includitur.

Ad 1. Nego conſequentiam. Et dico, Egidium poſt illa verba dicere, *habet tamen quemdam modum relatiuum*. Et ibid. in reſp. ad 3. ait, *non remanet potentia generandi, remota diſtinctione Perſonarum, propter modum quemdam relatiuum, qui importatur ab illa potentia*. Ergo per Egidium non conſiſtit in ſola eſsentia.

Ad 2. Diſtinguo maiorem, potentia generandi ſecundùm id, quod principaliùs importat, non eſt id, per quod ſuppoſitum habet eſse incommunicabile, concedo: ſecundùm id, quòd minùs principaliter importat, nego maiorem. Et admiſsa minori, diſtinguo conſequens, ſola natura eſt potentia generandi adæquatè ſumpta, nego: inadæquatè, hoc eſt ſecundùm id, quod importatur vt principalius, concedo conſequentiam; & in hoc ſenſu loquitur Egidius.

Ad 3. Diſtinguo maiorem, hæc potentia adæquatè ſumpta non poſset eſse in filio, concedo: inadæquatè ſumpta, nego maiorem. Et diſtinguo minorem, repugnat Auguſtino quòd hæc potentia nullo modo ſit in filio, concedo: quòd non ſit in illo adæquatè, nego minorem,

&

& conſequentiam. Et dico cum Mag. in 1. d. 7. litt. B. illa verba Auguſtini, *non quia non potuit, ſed quia non oportuit*, eſſe ita intelligēda, quòd filius nō gignat, nō prouenit ex impotētia, ſeu defectu, ſed ex eius sūma perfectione relatiua, ratione cuius neceſſariò eſt filius oppoſitus Patri: Sicut Pater non ex impotentia non eſt filius, & non generatur, ſed ex ſumma eius perfectione relatiua, ratione cuius neceſſariò eſt generans, oppoſitus relatiuè genito. Et ſicut tota Trinitas non poteſt facere chimæram, non ex impotentia, ſed ex infinita eius perfectione abſoluta, vt probauimus in 1. phyſ. & alibi; ita neque filius poteſt generare, quia ſi generaret, faceret chimæram, vel producendo ſe ipſum, adeòque eſſet Pater ſui, generans, & genitus; vel producendo filium filij, quod infra videbimus repugnare.

Ad 4. Diſtinguo maiorem, potentia generatiua comprehenditur ſub omnipotentia, prout hęc eſt in Patre, ſeu pròut contracta, & modificata relatione paternitatis, concedo: abſolutè conſiderata, hoc eſt pròut eſt communis omnibus Perſonis, nego. Et diſtinguo minorem, omnipotentia abſolutè accepta, vt communis nullum inuoluit reſpectiuum, concedo: vt contracta ad Patrem, nego minorem, & conſequentiam. Et ideo diuus Thomas in loco cit. concludit, *ſimiliter dicendum eſt de actione, & potentia; nam generatio ſignificat actionē cum*

cum aliquo reſpectu, & potentia generandi ſignificat potentiam cum reſpectu. Vnde ipſa generatio eſt Dei actio, ſed prout eſt Patris tantum; & ſimiliter potentia generatiua eſt Dei omnipotentia, prout eſt Patris tantum.

ARTICVLVS IV.

An potentia generatiua ſit ſola relatio?

VIdetur eſſe, Primò quia valet hæc conſequentia per Philoſ. 1. ethic. *beatitudo ineſt homini, & non bruto, ergo ineſt homini ſecundum id, per quod differt à bruto,* videlicet per intellectum. Ergo etiam valet hæc, *generare conuenit Patri, & non filio, ergo conuenit illi ſecundùm id, per quod differt à filio,* videlicèt per relationem paternitatis.

2. Omnis forma perfecta dans actum primum, dat etiam ſecundum. Sed Paternitas eſt forma perfectiſſima, dans Patri actum primum ad generandum, videlicèt eſſe perſonale potens generare. Ergo dat etiam actum ſecundum generationis actualis. Sed quod dat actum primum, & ſecundum eſt potentia. Ergo ſola relatio eſt potentia generatiua, de qua loquimur.

3. Ita ſe habet actus proprius ad principium proprium, ſicut actus communis ad principium commune. Sed generare eſt actus proprius ſuppoſiti Patris. Er-

principium proprium, videli-
paternitatem.
Pater creat deitate; & non
e, quia creat vt Deus. Ergo
rat vt Pater, generat ſola pater-

entia eſſet potentia generandi,
n potentia ſpirandi. Sed eſt
le, quòd eadem potentia ſit ad
erminos. Ergo eadem eſſen-
oteſt eſſe potentia ad vtrum-

ſio, *Potentia generatiua non*
atio Paternitatis. Probatur 1.
t formaliter relatio, non eſt
ua, ſed eſt pura referentia di-
, & ſuppoſitans, præbendo in-
cabilitatem illi, in quo eſt.
eſt virtus productiua, quæ po-
communicabilitatem oppoſi-
potentia generatiua eſt virtus
a, per quam Pater agit. Ergo
eſſe ſola relatio.
tio paternitatis eſt proprietas
eluti conditio indiuidualis il-
conditio indiuidualis non po-
tio agendi, ſeu principium
agit, vt docet diuus Thomas
r. 5. dicens, *forma indiuidua-*
s creatis quamuis conſtituat
generantem, non tamen eſt id,
generat, alioquin Sortes ge-
rtem. *Ergo neque paternitas*
ligi vt id, quo Pater generat,
telligatur vt conſtituens per-
ſonam

ſonam Patris generantis, *alioquin Pater generaret Patrem*, quod eſt abſurdum. Ergo ſola relatio non eſt hæc potentia.

Ad 1. Diſtinguo antecedens, valet illa conſequentia, ſi ly *ſecundum id per quod differt*, dicat rationem formalem adæquatam, nego: ſi dicat rationem formalem inadæquatam, concedo. Et diſtinguo conſequens, generare conuenit Patri ſecundum id, per quod differt à filio, tamquàm per rationem formalem adæquatam, nego: tamquàm per rationem formalem inadæquatam, non excludentem à conſtitutione talis potentiæ ipſam eſſentiam, concedo conſequentiam.

Ad 2. Diſtinguo maiorem, ſi ſermo ſit de forma dante eſſe hypoſtaticum, & incommunicabile, nego; alioquin Pater non generaret, niſi Patrem, quod eſt abſurdum: ſi de forma dante eſſe ſubſiſtẽs, & naturale, concedo maiorem. Et diſtincta minori, videlicèt paternitatem dare quidem Patri eſſe ſuppoſitale hypoſtaticum, non autem naturale, & deificum, quod ſolùm Pater habet à natura, nego conſequentiam. Sicut enim Sortes non habet adæquatè per ſorteitatem generare, alioquin non poſſet gignere, niſi Sortem, ſed per naturam Sortis, ſubſtantem Sorteitati; ita neque Pater habet per ſolam paternitatem generare filium, ſed per eſſentiam ſubſtantem paternitati.

Ad

go conſequentiam; Et dico,
niſſis aliud non inferri, niſi
actus communis prouenit à
ommuni, ita actus proprius
principio proprio, quod eſt
on tamen eſt neceſſe, quòd
ium habeatur adæquatè per
im poſſit inadæquatè haberi
commune appropriatum,
ſſentia, vt ſubſtans paternita-
tur Patri, poteſt per illam
are Filium, ſicut filius per
entiam, vt contractam ad fi-
oteſt generari, & per eam-
ractam, ſeu modificatam per
, & filiationem, poteſt cum
n actum ſecundum ſpiratio-
n quam non poteſt exire
tus, licèt habeat eamdem
ſola proceſſione modifica-

go conſequentiam. Diſpa-
a Deitas eſt forma abſoluta;
gnat eſſe immediatum prin-
nis tranſeuntis, ſicut repu-
uo, ratione incommunica-
einde retorqueo argumen-
is Pater creet vt Deus, ta-
e habet ſolùm vt principiū
nitas vt principium *quod*.
is generet vt Pater, non ſe-
quod Paternitas ſit princi-
generationis, non autem
quo, de quo loquimur.
tinguo minorem, eſt im-
poſſi-

poſſibile quòd eadem forma eodem modo affecta ſit ad diuerſos terminos, concedo: diuerſimodè affecta, nego minorem, & conſequentiam. Eadem ergo eſſentia, vt contracta ad Paternitatem, refertur ad filiationem, & vt contracta ad Paternitatem, & filiationem, refertur ad Spiritum Sanctum. Atque adeo eadem eſſentia conſtituitur in eſſe diuerſum principium *vt quod*, ratione annexæ relationis,& ſemper per ſe ſumpta eſt ſolùm principium *quo*, reſpectu omnium operationum diuinarum.

ARTICVLVS V.

An Potentia generatiua dicat eſſentiam,& relationem?

Videtur non dicere, Primò quia ſi diceret vtramque, iam inadæquatè ſecundùm eſſentiam eſſet in omnibus Perſonis, & adæquatè ſecundùm vtramque rationem eſſet in ſolo Patre. Ergo ſolus Pater haberet potentiam adæquatè ſumptam, & per conſequens eſſet potentior aliis Perſonis, inter quas non daretur æqualitas, quod eſt abſurdum. Probo ſequelam, Pater haberet potentiam ad totum illud, ad quod extenditur potentia aliarum Perſonarum, & præterea, haberet potentiam ad ipſum filium generandum, quam non haberent aliæ. Ergo aliæ Perſonæ eſſent imperfectæ, adeòque non eſſent Deus.

2. Vel

nportaret vtramque formam
lo, vel diuerſo? Non primū,
ium *quo* non diſtingueretur
quod. Neque ſecundum,
tio Verbi non eſſet omninò
quia terminus eſſet illi ſimi-
n eſſentiam, & diſſimilis ſe-
ationem, adeòque eſſet vni-
ndum vnum conſtitutiuum
o, & diſſimilis ſecundùm
d eſt abſurdum. Ergo non
ormaliter vtramque ratio-
æquo, ſiue diuerſo modo.
aque ratio conſtitueret prin-
proximum, vel remotum?
m, quia hoc adæquatè con-
intellectum, & voluntatem.
ndum, quia hoc eſt ſola eſ-
o hæ rationes ſimul ſumptæ
dem conſtituere principium
tamen potentiam generati-
t principium *quo*.
Thomas in 1.d.11.q.1.ar.3.
io non egreditur ab eſſentia,
eſſentia, ſed inquantum pa-
Ergo eſſentia, & relatio ex
ituunt potentiam generati-
eſt abſurdum.
o, *Potentia generandi dicit*
ram diuinam, & in obliquo
paternitatis. Eſt in terminis
e q.41.ar.5.& Egid.in 1.d.7.

Pater non generat, niſi eo,
imilatur. Sed aſſimilatur ſi-

lio in natura, & non in relatione. Ergo generat per naturam, quæ ſe habet vt *quo*, adeòque eſt potentia generandi in recto. Probatur conſequentia, nam potentia generandi in recto nil eſt aliud, quàm id quo Pater generat. Et ideo Damaſcenus lib. 1. de fide ortod. c. 8. ait, *generatio eſt natura, non ſicut generantis, ſed ſicut eius quo generat*. Sed quia non generat Pater per naturam, vt omninò abſolutam, aliòquin omnes Perſonæ generarent, ſed per naturam vt exiſtentem in ipſo Patre, adeòque vt contractam ad relationem Patris, ideo potentia generatiua includit etiam in obliquo relationem Paternitatis.

Ad 1. Nego conſequentiam quoad poſtremam partem. Ad cuius probationem dico, vel eſſe ſermonem de potentia, vt relata ad creaturas, & dicitur omnipotentia; vel de potentia, vt relata ad terminum intrinſecum, & dicitur generatio actiua? Si primum, cùm reſpiciat ſolùm obiecta contingentia, & ſit perfectio abſoluta, eodem modo eſt in omnibus Perſonis, quæ ſimul concurrunt ad productionem ad extra omnium creaturarum. Si verò dicatur ſecundum, ex eo quòd Filij potentia non poſſit terminari ad ſe ipſum, non ſequitur, eam eſſe imperfectiorem potentia Patris, quæ poteſt ad Filium terminari. Primò quia neque potentia Patris poteſt paſſiuè terminari ad Patrem, ſicut poteſt potentia Filij. Cùm ergo poſſe termi-

ſſiuè ad intra, ſit æqualis perſe-
, ac poſſe terminari actiuè, ſi per
òd Filio non conueniat primum,
ur imperfectus, eſſet etiam im-
us Pater, cui non conuenit ſecun-
Deinde ſicut non poſſe Patrem
ari paſſiuè ad Filium, prouenit ra-
roprietatis, & non ex impotentia,
poſſe Filium ad ſe, vel ad Pa-
rminari actiuè, prouenit ex eius
tate, & non ex impotentia.
s, Perfectius eſt dare eſſe, quàm
e. Ergo quamuis Pater non poſ-
io accipere eſſe, non eſt proin-
otens, & imperfectus, ſicut eſt
qui non poteſt dare ſibi eſſe, cui
Pater.
nguo antecedens, perfectius eſt
ſe liberè, & contingenter, quàm
e, concedo: perfectius eſt dare
ceſsariò, & naturaliter, ſubdi-
, perfectius eſt dare eſse per enti-
iſtinctam, concedo: per entita-
eſsentiam communem, & iden-
n, nego antecedens, & conſe-
m. Pater ergo quia non liberè,
ingenter producit Filium, nec
iò dando diuerſum eſse, vt ignis
it ignem, ſed per communica-
ad intra eiuſdem eſsentiæ, & en-
ideo Pater non eſt magis perfe-
erando actiuè, quàm ſit Filius
do paſſiuè, eò quia ſicut ille eſt
rincipium talis generationis in-
ta hic eſt aptus terminus eiuſdē.

lio in natura, & non in relatione. Ergo generat per naturam, quæ ſe habet vt *quo*, adeòque eſt potentia generandi in recto. Probatur conſequentia, nam potentia generandi in recto nil eſt aliud, quàm id quo Pater generat. Et ideo Damaſcenus lib.1.de fide ortod.c.8.ait, *generatio eſt natura, non ſicut generantis, ſed ſicut eius quo generat*. Sed quia non generat Pater per naturam, vt omninò abſolutam, aliòquin omnes Perſonæ generarent, ſed per naturam vt exiſtentem in ipſo Patre, adeòque vt contractam ad relationem Patris, ideo potentia generatiua includit etiam in obliquo relationem Paternitatis.

Ad 1. Nego conſequentiam quoad poſtremam partem. Ad cuius probationem dico, vel eſſe ſermonem de potentia, vt relata ad creaturas, & dicitur omnipotentia; vel de potentia, vt relata ad terminum intrinſecum, & dicitur generatio actiua? Si primum, cùm reſpiciat ſolùm obiecta contingentia, & ſit perfectio abſoluta, eodem modo eſt in omnibus Perſonis, quæ ſimul concurrunt ad productionem ad extra omnium creaturarum. Si verò dicatur ſecundum, ex eo quòd Filij potentia non poſſit terminari ad ſe ipſum, non ſequitur, eam eſſe imperfectiorem potentia Patris, quæ poteſt ad Filium terminari. Primò quia neque potentia Patris poteſt paſſiuè terminari ad Patrem, ſicut poteſt potentia Filij. Cùm ergo poſſe termi-

nari

nari paſſiuè ad intra, ſit æqualis perfectionis, ac poſſe terminari actiuè, ſi per hoc quòd Filio non conueniat primum, diceretur imperfectus, eſſet etiam imperfectus Pater, cui non conuenit ſecundum. Deinde ſicut non poſſe Patrem terminari paſſiuè ad Filium, prouenit ratione proprietatis, & non ex impotentia, ita non poſſe Filium ad ſe, vel ad Patrem terminari actiuè, prouenit ex eius proprietate, & non ex impotentia.

Dices, Perfectius eſt dare eſſe, quàm accipere. Ergo quamuis Pater non poſſit à Filio accipere eſſe, non eſt proinde impotens, & imperfectus, ſicut eſt Filius, qui non poteſt dare ſibi eſſe, cui poteſt Pater.

Diſtinguo antecedens, perfectius eſt dare eſſe liberè, & contingenter, quàm accipere, concedo: perfectius eſt dare eſse neceſsariò, & naturaliter, ſubdiſtinguo, perfectius eſt dare eſse per entitatem diſtinctam, concedo: per entitatem, ſeu eſsentiam communem, & identificatam, nego antecedens, & conſequentiam. Pater ergo quia non liberè, & contingenter producit Filium, nec neceſsariò dando diuerſum eſse, vt ignis producit ignem, ſed per communicationem ad intra eiuſdem eſsentiæ, & entitatis, ideo Pater non eſt magis perfectus generando actiuè, quàm ſit Filius generando paſſiuè, eò quia ſicut ille eſt aptum principium talis generationis infinitæ, ita hic eſt aptus terminus eiuſdē.

Inſtabis, eſſe principium actiuum eſt ſemper de ſua ratione formali intrinſeca aliquid perfectius, quàm eſſe terminum eiuſdem. Ergo non currit paritas.

Diſtinguo antecedens, ſi loquamur de generatione contingenti, per quam producitur noua entitas, ſeu ſubſtantia, concedo: ſi de neceſſaria, per quam nulla ſubſtantia multiplicatur, ſed ſolùm eadem ad intra fæcundatur, nego antecedens, & conſequentiam.

Dices 3. Quantitas potentiæ attenditur penès quantitatem obiecti. Sed obiectum potentiæ Patris eſt latius, quàm obiectum potentiæ Filij, quia illud non ſolùm includit omnes creaturas, ſicut hoc, ſed etiam ipſum Filium. Ergo potentia Patris eſt maior.

Nego minorem. Ad cuius probationem dico, committi fallaciam ab eſſe *ſecundùm quid*, ad *eſſe ſimpliciter*. Vel enim loquimur de potentia Patris, vt eſt ſimpliciter omnipotentia; vel vt eſt in Patre? Si primum, non includit in obiecto Filium, cùm eius obiectum adæquatum ſit complexum omnium creaturarum poſſibilium. Si ſecundum, tunc verè daretur in Patre aliqua potentia, quæ non datur in Filio, quando potentia terminandi paſſiuè ad Patrem, quam habet Filius, non compenſaret ex æquo potentiam terminandi actiuè ad Filium, quam habet Pater, vt dictum eſt. Quamuis ergo hæ potentiæ notionaliter ſum-

ptæ ſint diuerſæ, quia tamen ſunt omninò æquales, & eiuſdem æſtimationis, & dignitatis, ideo ex nulla parte dicunt præponderantiam, ſeu defectum, vt fuſiùs patebit, cum agemus de Perſonarum æqualitate.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur alia argumenta contraria.

AD 2. Nego conſequentiam. Et dico, eſſentiam, & relationem non importari ex æquo, ſed eſſentiam magis principaliter, & in recto, relationem autem vt minùs principalem, & in obliquo. Et ratio eſt, quia prima intentio agentis non eſt ad diſtinctionem à termino, ſed ad ſimilitudinem cum illo. Ergo illud, per quod aſſimilatur, importatur principaliùs, cuiuſmodi eſt eſſentia, & relatio, per quam diſtinguitur, importatur vt minùs principale. Quia Ergo vniuocatio generationis attenditur penès naturam, quæ eſt principium ſimilitudinis, & non penès diſtinctionem, quæ prouenit ex relatione, ideo nulla ſequitur generationis æquiuocatio, vt inculcatur ab arguente. Quòd autem vtraque ratio ſit neceſſaria, probatur euidenter. Potentia generandi debet ex vna parte habere aliquid, per quod generans aſſimiletur genito, alióquin generans non terminaretur ad ſui

ſimile in natura. Et præterea debet includere aliquid, per quod in actuali generatione, ſeu communicatione ſui, generans diſtinguatur à genito; aliòquin generaret ſe ipſum, quod repugnat. Cùm ergo in Patre nihil ſit, quod poſſit Filio communicari, præter naturam, & nihil per quod ab illo diſtinguatur in tali generatione, præter relationem, ſequitur, à tali potentia, vt formaliter tali, ſecundùm ſuum eſſe completum, & vltimatum, neceſſariò includendam eſſe, non ſolùm naturam, ſed etiam relationem, illam vt ſaluetur ſimilitudo, & hanc vt retineatur diſtinctio actualis, inter genitum, & generantem.

Ad 3. Nego maiorem. Et dico, principium *quod* actiuum in generatione Verbi eſſe Perſonam Patris, ſicut principium *quod* paſſiuum terminatiuè eſt Perſona Filij. Principium *quo* remotum eſt diuina eſſentia: & principium *quo* proximum eſt diuinus intellectus, vt modificatus relatione Paternitatis, ſicut voluntas vt modificata Paternitate, & filiatione, eſt principium proximum *quo* ſpirationis. Quod autem intellectus, & voluntas ſint principium proximum *quo* generationis, & ſpirationis, probatur, quia diuinæ proceſſiones ſunt actus intellectus, & voluntatis, vt probauimus diſp. 5. ar. 3. Ergo procedunt ab illis vt à principio actiuo. Sed non poſſunt ab illis procedere, vt à principio remoto, &

ra-

radicali, eò quia cùm hoc ſit radix principij proximi, eſſent radix relationum, quod eſt abſurdum. Ergo debent ab illis procedere vt à principio proximo, & immediato. Quare eſſentia eſt principium *quo* radicale: intellectus, & voluntas ſunt principium proximum *quo*: & relationes ſunt veluti complementa talis principij; & ideo diximus importari minùs principaliter, & in obliquo, quatenus importantur vt puri modi ſubſtantiales modificantes intellectum, & voluntatem eſſentiales, illoſque conſtituentes in eſſe notionales, & principium proximum proceſſionum.

Dices, dantur in Deo non ſolùm intellectus, & voluntas abſoluti, ſed etiam notionales, vt docuimus in diſp. met. lib. 1. diſp. 2. ar. 4. in fine. Ergo vel vterque intellectus ſimul conſtituit principium proximum *quo* generationis, vel alteruter, vt virtualiter diſtinctus ab alio? Non primum, quia hoc principium conſtitueretur ex pluribus ex æquo conſtituentibus, quod ſupra vt falſum impugnauimus. Neque ſecundum, quia multiplicaretur principium *quo* radicale, nam intellectus notionalis eſſet proximum, & abſolutus eſſet principium radicale, vel viceuerſa hic eſſet principium proximum, & ille radicale. Sed hoc dici non poteſt, quia neuter fluit ex alio, tamquam ex radice. Ergo intellectus, & voluntas non ſunt principium proximum.

Nego primam conſequentiam quoad primam partem. Et dico, intellectum notionalem, vt formaliter talem, non includere ſupra abſolutum, niſi puram relationem Paternitatis. Ergo non diſtinguuntur ſecundùm rectum, quod ſemper eſt perfectio abſoluta, ſed ſolùm ſecundùm obliquum, quod eſt relatio. Quia ergo idem intellectus per ſe ſumptus dicitur abſolutus, & modificatus paternitate, dicitur notionalis, ideo non ſunt duo intellectus adæquatè diſtincti, ſed ſolùm inadæquatè, quatenùs vt notionalis includit aliquid, quod non includit vt abſolutus; atque adeo eſt vnus intellectus, vnum tantùm conſtituens principium proximum. Et ratio eſt, quia perfectiones abſolutæ non multiplicantur per identitatem cum relatiuis, aliter multiplicaretur deitas, quod eſt abſurdum. Ergo ſicut complexum ex eſſentia, & paternitate conſtituit Perſonam Patris, realiter diſtinctam à Perſona Filij, quæ eſt complexum ex eadem eſſentia, & Filiatione; neutrum tamen diſtinguitur realiter ab eſſentia, cum qua ſunt realiter identificata omnia, & ſingula eorum conſtitutiua; ita intellectus notionalis, vt conſtitutus ex intellectu abſoluto, & Paternitate, diſtinguitur realiter ab intellectu notionali Filij, vt formaliter conſtituto ex eodem intellectu abſoluto, & Filiatione. Neuter tamen diſtinguitur realiter ab eſſentia, ſed ſolùm virtualiter intrinſecè ratione

an-

annexarum relationum. Et in hoc ſenſu locuti ſumus in metaphyſicis.

Ad 4. Nego conſequentiam. Quamuis enim verè Sanctus Thomas ita opinatus fuerit in loco citato, quidquid in contrarium dixerit Faſolus hìc diſp.41. ar.5.n.1. qui conuincitur à Capreolo in 1.d.7.q.1.ar.1., Caietano in q.41.ar.5., & Gonèt diſp.2.ar.3.§.5. Quia tamen ſuam opinionem retractauit, & confutauit hìc q.41.ar.5. vbi apertè ait, *potentia generandi ſignificat in recto naturam diuinam, & in obliquo relationem*; ideo eius authoritas confirmat potiùs, quàm impugnet concluſionem. Cœtera dicemus in proprijs locis.

DISPVTATIO VII.

De Notionibus Perſonarum.

VT propiùs accedamus ad notitiam diuinarum Perſonarum, agendum eſt primò de earum notionibus, & deinde de earum relationibus. Agentes ergo hîc de notionibus, quæremus 1. An illæ ſint admittendæ in diuinis? Deinde quid, & quot ſint? Demùm an liceat aliter de illis opinari?

ARTICVLVS PRIMVS.

An verè dentur notiones in diuinis?

VIdentur non dari, Primò quia facerent compoſitionem in Deo, ex ſe, & relationibus. Conſequens eſt abſurdum, quia tolleret eius ſummam ſimplicitatem. Ergo non dantur in Deo notiones.

2. Notio eſt ratio cognoſcendi Per-

ſonas. Ergo vel multiplicatur ad numerum Perſonarum, vel Perſonæ multiplicantur ad numerum notionum. Primum faceret ternarium notionum, quod excluderet innaſcibilitatem, & ſpirationem. Et ſecundum faceret quinarium Perſonarum, prò quincuplici notione. Cùm ergo vtrumque ſit abſurdum, non ſunt ponendæ in Deo notiones.

3. Per notiones diſtinguimus Perſonas. Sed illas poſſumus diſtinguere per concreta; ſiquidem genitor diſtinguitur à genito. Ergo non eſt neceſſe admittere notiones in abſtracto.

4. De illis nulla fit mentio in ſacris paginis. Ergo non poſſumus illas admittere, vt præcipit Dyoniſ. lib. de diu. nom. c. 1. dicens, *non eſt audendum dicere aliquid de Deo, præter ea, quæ nobis ex ſacris eloquijs ſunt expreſſa*.

Prò reſolutione notandum eſt, notionis vocabulum deſumi ex Aug. lib. 5. de Trin. c. 6. vbi ait, *alia eſt notio, qua intelligitur ingenitus, & alia qua genitor*. Definitur autem notio à Diuo Thom. hic q. 32. ar. 2. *Eſt propria ratio cognoſcendi diuinas Perſonas*. In qua definitione ly *ratio cognoſcendi*, quod habet rationem generis, ſignificat principium formale cognoſcendi, vnde habeatur manifeſtatio, ſeu notificatio obiecti; & ideo debet eſſe *ratio propria*, quod habet rationem differentiæ, quia debet manifeſtare rationem propriam intrinſecam ipſius Perſonæ. Sicut ergo formale,

principium eſſendi eſt forma intrinſeca, explicata in abſtracto; ita ratio propria cognoſcendi paſſiuè, ſeu formaliter, ſicuti eſt notio, eſt forma abſtracta, vt paternitas, quæ forma ſit quidem intrinſeca Perſonæ, quoad originem, & dignitatem perſonalem, non autem quoad eſſentiam, & entitatem, quia debet eſſe id, in quo ab inuicem diſtinguuntur; Et ideo debet accipi vt forma vnius pròut vnius, quamuis concipiatur in pluribus, vt eſt ſpiratio actiua, quæ non eſt notio Patris, & filij, niſi inquantum conſtituunt vnum principium actiuum Spiritus Sancti.

Concluſio, *Debent omninò poni in Deo notiones*. Eſt diui Thomæ 1. p. q. 32. ar. 2. aliorumque ſatis communiter, contra Præpoſitiuum illas negantem, cui videntur ſubſcribere Greg. Anim. in 1. d. 26. & 27. q. vn. ar. 2. concl. 2. Io. Maior in 1. d. 26. quæſt. vn. cum aliquo ex recentioribus.

Probatur 1. Non admiſſis notionibus, non poſſemus ita facilè reſpondere, cur Perſonæ ſint tres, ſicut poſſumus per notiones dicendo, eas eſſe tres, paternitate, filiatione, & proceſſione, quas ideo diuus Baſilius lib. 2. con. Eunom. vocat *proprias formas Perſonarum, notas, & caracteres*, quia videlicèt per illas diſtinguuntur ab inuicem. Ergo dantur notiones.

2. Pater refertur ad filium, & Spiritum Sanctum. Vel ergo per vnam rela-

tionem, vel per duas? Non primum, quia cùm ſola relatio diſtinguat in diuinis, filius non diſtingueretur à Spiritu Sancto. Probo conſequentiam, ſicut Pater per vnam relationem referretur ad ſecundam, & tertiam Perſonam, ita hæ Perſonæ per vnam relationem referrentur ad Patrem. Ergo non eſſet in illis vlla diſtinctio. Ergo eſt verum ſecundum, quòd Pater referatur ad filium, & Spiritum Sanctum per duplicem relationem realem, videlicèt paternitatis ad filium, & ſpirationis actiuæ ad Spiritum Sanctum, quæ quia Patrem manifeſtant, vt Spiratorem, & Patrem, ſunt notiones.

Aduertendum tamen eſt, quòd hæc ratio non concludit, niſi afferatur, paternitatem, & ſpirationem actiuam eſſe duas relationes realiter diſtinctas in ipſo Patre, ſaltem inadæquatè; aliter ſi ſupponamus cum diuo Thoma, illas diſtingui ſola ratione, ſeu virtualiter intrinſecè, poſſet argumentum retorqueri tali pacto, Pater per vnam relationem ratione, vel virtualiter duplicem refertur ad duas Perſonas. Ergo etiam hæ Perſonæ referuntur ad Patrem per vnam relationem virtualiter duplicem; & ſic filius diſtingueretur à Spiritu Sancto ſolùm ratione, & virtualiter, quod eſt hæreticum. Vnde obiter infer, illas relationes diſtingui realiter in Patre, ſicut in filio diſtinguuntur filiatio, & ſpiratio actiua, vt probabimus infra.

Ne-

Neque obſtat, quòd Deus vna relatione reſpiciat omnes creaturas. Nam Deus non diſtinguitur à creaturis per ſolàm relationem, ſed per diuerſitatem naturæ. Ergo poteſt in vnitate relationis retinere diſtinctionem ab illis. At diuinæ Perſonæ diſtinguuntur ab inuicem per ſolam oppoſitionem relatiuam: Ergo debent habere relationes oppoſitas, cùm vnica in vna perſona non ſufficiat, ad illam diſtinguendam ab alijs, vt videbimus.

Ad 1. Nego maiorem, quæ ſolùm valeret, quando notiones realiter à relationibus diſtinguerentur, quod nos non dicimus. Quia ergo notiones nihil ſunt aliud, quàm relationes acceptæ in abſtracto, ſi hæ non componunt Deum, neque illæ, loquentes de compoſitione phyſica. Sin autem loquamur de compoſitione metaphyca, quæ nihil ſit aliud, quàm pluralitas formalitatum metaphyſicarũ ſola ratione diſtinctarum, hanc vtique admittimus in Deo, vt nullatenus eius phyſicæ ſimplicitati repugnantem, vt probauimus in diſp. met. lib. 1. diſp. 2. ar. 4. vbi ſtatuimus, dari de facto in Deo ſimilem compoſitionem rationis, ex multiplicitate perfectionum abſolutarum, ſeu attributorum. Vel ergo vtraque repugnat diuinæ ſimplicitati, vel neutra.

Ad 2. Nego conſequentiam, Primò quia notiones non ſunt res quædam in diuinis, ſicut ſunt eſſentia, & Perſonæ, ſed

ſed puræ rationes ſignificantes. Ergo ex numero notionum non arguitur numerus Perſonarum. Quod idem dico de relationibus, quæ vt rationes modificantes, non arguunt multiplicitatem modificatorum, eò quia eidem poſſit competere multiplex modificatio, quod non valet de ſubſiſtentibus; ex quorum proinde numero non arguitur numerus relationum, ſeu notionum. Deinde quia cùm Perſonæ realiter ab inuicem diſtinguantur, non poſſunt diſtingui, niſi per ea, quæ realiter diſtinguuntur, cùm diſtinctiuum debeat eſſe in eodem genere cum termino diſtincto. Sed notiones non omnes realiter diſtinguuntur, vt videbimus. Ergo non omnes poſſunt diſtinguere Perſonas, neque coaptari ad numerum Perſonarum.

Ad 3. Nego conſequentiam. Quia licèt poſſimus diſtinguere Perſonas per concreta, meliùs tamen diſtinguimus per abſtracta, quibus clariùs innoteſcunt. Quia ergo notiones non admittuntur, vt diſtinguantur Perſonæ ſecundùm ſe, ſed quoad nos, ideo non ſunt inutiles. Bene ergo Baſil. lib. 2. con. Eunom. ait, *proprietates declaratione notionum, tamquàm lucem animis noſtris imponentes, ad comprehenſibilem mentibus intelligentiam ducunt.* Et epiſtola 43. *Neceſſarium eſt, vt per proprias quaſdam notiones inconfuſa habeatur in Triade comparatio.*

Ad 4. Nego conſequentiam. Ad auctio-

thoritatem Dyoniſij reſpondet Angelicus hic ar. 2. ad 1. *quod licet de notionibus non fiat mentio in ſacra ſcriptura, tamen fit mentio de Perſonis, in quibus intelliguntur notiones, ſicut abſtractum in concreto.*

ARTICVLVS II.

An notiones ſint ſolùm quattuor?

VIdentur non eſſe, Primò quia communiter à theologis cum diuo Thom. 1. p. q. 32. ar. 3. admittuntur quinque, nempe innaſcibilitas, paternitas, filiatio, communis ſpiratio, & proceſſio. Ergo dicere, quòd ſint ſolùm quattuor, eſt recedere à communi, & vnanimi cõſenſu theologorum, quod non eſt tutum in rebus fidei, præcipuè in ijs, quæ ſpectant ad myſterium Trinitatis, de quo Auguſtinus lib. 1. de Trin. c. 3. initio ait, *nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid inuenitur.* Ergo ſunt quinque, videlicèt aſſignatæ. Ex quibus ſicut innaſcibilitas excluditur à ratione relationis, quia non refertur, niſi reductiuè, ita ſpiratio communis excluditur à ratione proprietatis, quia conuenit duabus Perſonis. Vnde ſequitur, eſſe quattuor relationes, nempe paternitatem, filiationem, ſpirationem, & proceſſionem, & quattuor proprietates, nempe innaſcibilitatem, paternitatem, filiationem, &

pro-

proceſſionem. Diſtinguit autem hîc diuus Thom. inter notiones perſonales, & perſonarum, quòd videlicèt illæ conſtituant formaliter perſonas, vt ſunt paternitas, filiatio, & proceſſio, ſine quibus non intelligerentur tales. Aliæ autem non conſtituunt formaliter, ſed manifeſtant, vt ſunt innaſcibilitas, & communis ſpiratio.

2. Tot debent eſſe notiones in Deo, quot ſunt rationes cognoſcendi diuinas Perſonas. Sed hæ ſunt quinque. Ergo totidem notiones. Maior patet ex definitione. Minor probatur, ratio cognoſcendi Perſonas debet deſcerni ex ratione multiplicitatis earum, quę fit per originem. Sed hæc eſt quincuplex. Ergo quinque notiones. Probatur minor, omnis ratio multiplicandi originem reducitur ad hoc, *qui ab alio, à quo alius*. Cùm ergo Pater non ſit ab alio, & ab illo ſint aliæ Perſonæ, innoteſcit per hoc quòd à nullo eſt, quod in abſtracto dicitur *innaſcibilitas*, & reducitur ad ly *à quo alius* negatiuè. Poſitiuè autem ad ly *à quo alius* reducuntur paternitas, & ſpiratio. Et ad ly *qui ab alio*, filiatio, & proceſſio, ſeu ſpiratio paſſiua. Quod ſic probat diuus Thomas, *inquantum filius eſt a Patre, innoteſcit notione paternitatis: inquantum autem Spiritus Sanctus eſt ab eò, innoteſcit notione ſpirationis communis, Filius autem poteſt innoteſcere per hoc, quod eſt ab alio naſcendo; & ſic innoteſcit per filiationem, & per hoc*

hoc quod eſt alius ab eo, ſcilicèt Spiritus Sanctus; & per hoc innoteſcit eodem modo, ſicut & Pater, ſcilicèt communi ſpiratione. Spiritus Sanctus autem innoteſcere poteſt per hoc quod eſt ab alio, vel ab alijs, & ſic innoteſcit proceſſione, non autem per hoc quòd alius ſit ab eo, quia nulla diuina Perſona eſt ab eo.

Concluſio, *Notiones in diuinis ſunt ſolùm quattuor, videlicèt Paternitas, filiatio, Spiratio communis, & Proceſſio.* Hanc concluſionem nullus quem ego viderim, explicitè poſuit. Nihilominus tamen ad illam inclinauit Scotus in 1. d. 28. q. 1. argum. 3. vbi impugnat diuum Thomam, quòd quinque poſuerit notiones, excluſa inſpirabilitate. Vnde conabatur inferre, vel illas eſſe quattuor, vel ſex.

Probatur 1. Notio eſt ratio propria cognoſcendi Perſonas, ſecundùm viam originis, vt dictum eſt ar. 1. Ergo eſt forma intrinſeca conſtitutiua Perſonæ, in eſſe formaliter talem, cum oppoſitione ad alias. Sed innaſcibilitas cùm ſit negatio, non eſt conſtitutiua Patris, vt eſt formaliter Pater, neque vt eſt formaliter prima Perſona, quæ vt talis non conſtituitur formaliter per non ens. Ergo non eſt notio. Sed illa excluſa, remanent quattuor rationes conſtitutiuæ Perſonarum, quas in concluſione enumerauimus. Ergo quattuor tantùm ſunt notiones.

2. Tot ſunt notiones, quot rationes di-

diſtinctiuæ Perſonarum. Sed hæ ſunt ſolùm quattuor. Ergo quattuor ſolùm ſont notiones. Conſequentia eſt euidens. Maior patet ex definitione, aliter per notiones non poſſent manifeſtari Perſonæ, cùm non diſtinguens non manifeſtet. Probatur minor, nihil negatiuum poteſt eſſe ratio diſtinctiua, vt fusè probatum eſt in diſp. met. lib. 1. diſp. 2. ar. 5. Sed inaſcibilitas eſt aliquid negatiuum, vt communiter fatentur. Ergo non poteſt eſſe ratio diſtinctiua. Ex alia parte aliæ quattuor ſunt rationes diſtinctiuæ. Ergo illæ ſolæ ſunt notiones.

3. Ratio propria cognoſcendi eſt proprietas cogniti. Tot ergo ſunt notiones in Deo, quot proprietates Perſonarum. Sed hæ ſunt ſolùm quattuor enumeratæ. Ergo hæ ſolæ ſunt notiones. Conſequentia eſt euidens. Antecedens probatur, Petrus non poteſt cognoſci, niſi per Petreitatem, album per ſuſtentationem albedinis, quantum per quantificationē, &c. Ergo neque Pater in diuinis poteſt innoteſcere, niſi per illud, quod eſt proprietas Patris, videlicèt generare: & filius per ſui proprium, quod eſt generari, &c. Et ideo bene dicuntur notiones cùm diuo Baſilio notæ, formæ, & caracteres proprij Perſonarum, quia ſignificant in abſtracto earum proprietates.

Dices, communis ſpiratio neque eſt proprietas Patris, neque filij, quia eſt communis vtrique, & tamen eſt notio

vtriuſ-

vtriuſque. Ergo poteſt eſſe notio, quæ non ſit proprietas.

Diſtinguo antecedens quoad primam partem non eſt proprietas Patris, & filij, ſi ſumantur ſeorſim, & ſub terminis proprijs Patris, & filij, concedo: ſi ſumantur ſimul, per modum vnius ſpiratoris, nego. Et eodem modo diſtinguo ſecundam partem, eſt notio vtriuſque ſimul, in ratione communi ſpiratoris, concedo: eſt notio vtriuſque ſeorſim, & ſub proprijs rationibus Patris, & filij, nego ſecundam partem antecedentis, & cum illa conſequentiam, cùm ſemper ſit eius notio, cuius eſt proprietas. Et ideo quia non eſt proprietas Patris, & filij, niſi vt ſunt vnus ſpirator, neque eſt eorum notio, niſi vt ſunt ſpirator.

Vrgebis, quòd eſt pluribus commune, nullius eſt proprium. Ergo ſpiratio non poteſt eſſe proprietas Patris, & filij ſimul ſumptorum.

Nego antecedens. Sicut enim riſibilitas, quæ conuenit ſpeciei hominis, eſt proprietas Petri, & Pauli, ſub ratione hominis, ita ſpiratio communis, quæ conuenit Patri, & filio in ratione vnius ſpiratoris, eſt vtriuſque proprietas ſub tali ratione, vt docet diuus Thomas 1. p. q. 36. ar 4. ad 1. *Spiritus Sanctus procedit à Patre, & filio, inquantum ſunt vnum in virtute ſpiratiua, quæ quodammodo ſignificat naturam cum proprietate.* *Neque eſt inconueniens, vnam proprietatem* *eſſe*

eſſe in duobus. Ergo non repugnat proprietati quod conueniat pluribus.

Dices 3. ergo etiam eſſentia poterit dici proprietas omnium Perſonarum. Nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia proprietas debet eſſe ratione ſui formaliter diſtinctiua, appropriati ab omni alio. Eſſentia autem non eſt diſtinctiua, quia à nullo diſtinguit; at ſpiratio communis diſtinguit Patrem,& filium à Spiritu Sancto. Ergo hæc poteſt eſſe proprietas, & non illa.

Ad 1. Nego conſequentiam quoad ſecundam partem. Et dico in materia de notionibus poſſe quemquam abſque vllo periculo errandi, prò libito opinari, vt expreſsè docet diuus Thomas hìc q. 32.ar.4. in corpore, vbi ex profeſſio agit de hoc. Et probatur cum eodem, quia doctrina de notionibus non ſpectat ad fidem, niſi indirectè, quatenùs videlicèt error in illa poteſt in ucere in alium errorem, circa fidem. Ergo cùm in numero notionum nihil adſit contrarium fidei, poſſumus de illo aliter opinari, ac omnes alij. Conſequentia eſt euidens. Antecedens probatur, cùm de numero notionum nulla habeatur explicita reuelatio in ſacris paginis, & nulla exiſtet in Eccleſia definitio, eſt materia purè diſputabilis. Ergo ſiue admittantur quattuor notiones, ſiue quinque, dummodo retineatur numerus Perſonarum, cum earum diſtinctione, & vnitate diuinitatis, nullus incurritur error, præſertim

cùm

cùm quæſtio non procedat quoad rem, cùm omnes admittamus innaſcibilitatem in Patre, ſed ſolùm quoad nomen, an videlicèt illa ſit notio, nec nè, retenta ſumma dignitate primæ Perſonæ.

Ad 2. Nego minorem. Ad cuius probationem, retorqueo proceſſum, omnis ratio multiplicandi originem, reducitur ad hoc, *qui ab alio, à quo alius*. Sed innaſcibilitas ad neutrum reducitur, cùm illa neque ſit ab alia Perſona, neque alia Perſona ſit ab illa, tamquàm à principio actiuo ſui; & ideo per illam prima Perſona nulli alij opponitur relatiuè. Ergo non poteſt eſſe ratio multiplicandi originem; & per conſequens non eſt notio. Quia tamen videtur durum excludere innaſcibilitatem à numero notionum, ideo vt clariùs procedamus, placet hoc ſpeciatim examinare in ar. ſequenti.

ARTICVLVS III.

An iure innaſcibilitas excludatur à numero notionum?

Videtur abſque vlla ratione excludi. Primò quia niſi admittatur vt notio innaſcibilitas, non poteſt intelligi Pater æternus vt ingenitus, cùm de conceptu patris vt ſic non ſit non eſſe ab alio, immò in creatis videtur oppoſitum. Ergo debet Pater æternus innoteſcere per innaſcibilitatem.

2. Non eſſe ab alio, dicit maximam di-

dignitatem in Patre, ratione cuius, ſecundùm Hylarium, dicitur maior filio, & filius in nouo teſtamento omnia refert ad Patrem, immò ipſa Eccleſia diuinitùs edocta, omnes orationes dirigit ad Patrem. Sed qui negat innaſcibilitatem eſſe notionem, negat Patri hanc ſummam dignitatem. Ergo eſt erroneum hoc negare.

3. Omnes Doctores admittunt vt notionem diſtinctam innaſcibilitatem. Ergo non poteſt, niſi temerè, & ſcandaloſè negari.

4. Excluditur à notionibus innaſcibilitas, quia non conſtituit, nec diſtinguit Perſonas. Ergo tot erunt Perſonæ, quot notiones; adeoque Deus erit quatrimus, & non trinus. Conſequens eſt hæreticum. Ergo falſa eſt ratio, excludendi innaſcibilitatem.

Concluſio, *Innaſcibilitas nullo modo poteſt recenſeri inter notiones.*

Probatur 1. Negationes modorum originis nullo modo debent inter notiones numerari, vt docet Caietanus ſuper ar. 3. q. 32. 1. p. Sed innaſcibilitas eſt pura negatio, prout diſtinguitur à paternitate, & ſpiratione communi. Ergo non debet cum notionibus numerari. Conſequentia eſt euidens. Minor conceditur à Caietano, nec negatur ab vllo alio (exceptis Bonauentura, Aureolo, & Philippo à S. Trinitate, qui confutantur hic à Genèt diſp 8. ar. vnico) & expreſsè admittitur à S. Thom. in 1. d. 28. q. 1. ar. 1.

vbi ait, *licet ingenitum nihil ponat, quod ſit de intellectu eius conſtitutiuè, non tamen ſequitur, quod non poſſit eſſe notio, quia illud cuius ratio conſiſtit in remotione, optimè per negationem certificatur, ſicut cæcitas*. Maior probatur 1. nulla eſt alia ratio, cur negetur, eſſe notionem Patris, & filij inſpirabilitatem, ingenerabilitatem actiuam filij, & infæcunditatem, ſeu impropagabilitatem Spiritus Sancti, niſi quia ſunt negationes. Deinde, omnis negatio eſt contingens, vt probauimus in diſp. met. lib. 3. diſp. 1. ar. 3. concl. 5. Ergo non poteſt in Deo admitti. Vel ergo innaſcibilitas conſiddratur in Patre, vt importat aliquod negatiuum; & non ſolùm non eſt eius notio, ſed neque poteſt illi conuenire; vel vt importat perfectionem poſitiuam paternitatis, & primi principij aliarum Perſonarum, & non eſt notio diſtincta à paternitate, & communi ſpiratione, quia eſt proprietas primæ Perſonæ, vt formaliter primæ. Ergo numquam poteſt aſſignari vt tertia notio ipſius Patris, quæ compleat numerum quinarium.

Dices cum diuo Thom. hîc q. 32. ar. 3. ad 4. Impropagabilitas non ideo negatur vt notio Spiritus Sancti, quia dicit negationem modi origiuis, ſed quia non ſpectat ad eius dignitatem, ſicut ſpectat ad authoritatem Patris innaſcibilitas. Ergo ratio aſſignata non ſubſiſtit.

Nego antecedens. Primò quia ſi hæc

non

non ſpectet ad eius dignitatem, ergo cùm verè illi conueniat, conueniret illi aliquod indignum, & indecens eius dignitatem, quod non eſt dicendum. Deinde cùm Spiritus Sanctus ſit Patri æqualis, ſicut Patri eſt honorificum, à nullo eſſe, & eſſe principium aliarum Perſonarum, ita eſt honorificum Spiritui Sancto, quòd ſit dignus, & vltimus terminus diuinæ fæcunditatis ad intra, adeòque ſit id, à quo nulla alia Perſona procedat, ad quod non requiritur minor perfectio, quàm requiratur ad illud. Ergo non excluditur hæc notio, quia indecens, & indigna, ſed quia negatiua.

Probatur 2. Si innaſcibilitas ſit notio Patris, erit etiam notio Spiritus Sancti, qui à nullo naſci poteſt, ſicut ſpiratio eſt notio communis Patri, & filio. Sed non conceditur Spiritui Sancto. Ergo neque debet concedi Patri. Præterea etiam inſpirabilitas paſſiua erit notio Patris, & Filij, vt contendit Scotus in 1. d. 28. q. 1. arg. 3. cum militet eadem ratio.

Dices, innaſcibilitas vt conuenit Patri, dicit negationem cuiuſcũq; modi originis paſſiuæ; quatenùs autem conuenit Spiritui Sancto, dicit ſolam negationem natiuitatis, ſicut in filio inſpirabilitas dicit ſolam negationem ſpirationis paſſiuæ. Ergo innaſcibilitas vniuerſaliter ſumpta poteſt eſſe notio Patris, cuius manifeſtat primitatem, non autem vt reſtricta ad negationem vnius modi; & ideo non poteſt eſſe notio Amoris, ſicut

neque inſpirabilitas notio filij.

Nego conſequentiam, Primò quia multò magis pertinet ad Patris authoritem, quòd ſit fons, & origo totius diuinitatis, vt infra patebit. Ergo ſi negatio cuiuſcumque modi originis paſſiuæ dat illi ſpecialem notionem, à fortiori deberet illi tribuere ſpecialem notionem, eſſe principium, & fontem actiuum cuiuſcumque modi originis; & ſic admiſſa innaſcibilitate inter notiones, deberet etiam admitti vt eius notio, naſcibilitas actiua, quatenus dicit principium cuiuſcumque modi originis, quod extenderet notiones ad numerum ſenariũ, vt intulit Alarcon hic diſp. 7. c. 1. Deinde non eſt minor perfectio diuinarum Perſonarum, quòd ſint principium actiuum originis, quàm quòd ſint terminus illius, vt dictum eſt. Ergo ſicut eſt notio Patris, & filij ſpiratio actiua, quatenus illos diſtinguit à Spiritu Sancto, ita erit notio vtriuſque inſpirabilitas actiua, quatenus illos diſtinguit à ſpiratione paſſiua, propria Spiritus Sancti. Et idem dico de innaſcibilitate Spiritus Sancti. 3. Vel non eſſe ab alio confert ad dignitatem diuinæ Perſonæ, vel non? Si primum, ergo confert ad dignitatem filij, quòd non ſit à Spiritu Sancto; & ſic deberet hoc fundare aliam ipſius notionem, quæ congruè dici poſſet innaſcibilitas ab Amore, quod multiplicaret notiones ad numerum ſeptenarium. Si ſecundum, ergo neque Patri dat ſpecialem

no-

notionem, quòd non ſit à filio, & Spiritu Sancto, & ſufficienter innoteſcit per paternitatem, & ſpirationem actiuam, excluſa innaſcibilitate. Demum, Perſonæ debent innoteſcere per id, quod ſunt, & non per id, quod non ſunt. Sed innaſcibilitas negatiuè ſumpta exprimit, non quod eſt, ſed quod non eſt Pater. Ergo non eſt eius notio.

Vrgebis cum Caietano hìc, negationes modorum originis, regulariter loquendo, non debent inter notiones recenſeri, niſi adſit peculiaris ratio. Cùm ergo inſpirabilitas ſolùm dicat negationem ſpirationis, non debet poni inter notiones. Admittitur autem innaſcibilitas, propter triplicem rationem. Prima eſt, quia ſolus Pater eſt principium ſine principio; & ratio primi bene exprimitur per negationem. Secunda, quia innaſcibilitas non neceſſariò conuenit paternitati vt ſic, cùm in creatis omnis pater ſit natus ab alio. Vt ergo exprimatur dignitas diuinæ paternitatis, meritò notificatur per talem negationem. Inſpirabilitas verò conuenit cuicumque conuenit filiatio, cùm nullus filius ſpiretur. Ergo nullam auget illi dignitatem, & ideo non debet per illam innoteſcere. 3. Quia Pater eſt principium, & caput in natura diuina. Vt ergo exprimatur vnitas naturæ diuinæ, Pater exprimitur per innaſcibilitatem, quatenus hęc eſt propria ſolius Patris.

Nego minorem ſubſumptam. Ad cu-

ius primam rationem dico, primitatem Patris melius exprimi per poſitiuum, quòd ſit fontana diuinitatis, quàm per negationem proceſſionis ab alio. Nam eſſentia non eſt ab alio, & tamen non eſt primum principium *quod* Perſonarum. Præterea cùm ſit notum lumine naturæ, nihil poſſe eſſe principium productiuum ſui, eò quòd paternitate, & ſpiratione actiua exprimatur, alias Perſonas ab illo procedere, ſufficienter exprimitur eius primitas, abſque alia notione. Ad 2. Dico, notiones vt formaliter tales, eſſe expreſſiuas Perſonarum. Ergo ſupponunt ſtabilitam earum trinitatem; atque adeo licèt in creatis paternitas non exprimat negationem proceſſionis ab alio, illam tamen exprimit in diuinis, in quibus admittitur ſolùm, vt depurata ab imperfectionibus; aliter deberet etiam exprimi cum negatione prioritatis temporaneæ, & naturæ quàm ſemper inuoluit in creatis. Ad 3. Nego conſequentiam, propter rationem allatam in reſponſione primæ.

Vnde patet reſponſio ad 1.

Ad 2. Diſtinguo maiorem, ſi ly *non eſſe ab alio* accipiatur negatiuè, vt dicens puram negationem, nego: ſi accipiatur poſitiuè, vt dicans eſſe primum principium actiuum originis, concedo maiorem. Et diſtinguo minorem, qui negat, innaſcibilitatem negatiuè ſumptam eſſe notionem, negat Patri hanc dignitatem, nego: qui negat, illam

poſi-

poſitiuè ſumptam eſſe notionem, concedo minorem. Et diſtinguo conſequẽs, eſt erroneum negare, innaſcibilitatem poſitiuè ſumptam eſſe notionem, concedo: negatiuè, nego conſequentiam. Innaſcibilitas ergo, non quatenus dicit negationem originis paſſiuæ, ſed quatenus dicit proprietatem poſitiuam, repugnantem cum quocumque modo originis paſsiuę, eſt verè notio Patris, ſed indiſtincta à notionibus paternitatis, & ſpirationis actiuę, per quas exprimitur Pater, vt poſitiuè non eſt ab alio, & eſt id, à quo ſunt aliæ Perſonæ. Ergo non multiplicat numerum notionum, ſicut non multiplicat in filio inſpirabilitas negatiuè ſumpta. Quando ergo Eccleſia dirigit preces ad Patrem, non hoc facit propter aliquam eius negationem, ſed ratione talis eius proprietatis poſitiuę, per quam habet primitatem poſitiuè, & negatiuè.

Ad 3. Nego conſequentiam, propter rationes allatas in 2.ar. in reſponſione primi. Quamuis ergo omnes admiſerint quinque notiones, non tamen eſt erroneum admittere ſolùm quattuor, quia recedere in hoc à communi ſenſu Doctorum, propter conuincentes rationes, cogentes ad talem receſſum, non eſt recedere in rebus definitis, ſed in diſputatis, & opinatis, vt ibi probauimus cum diuo Thoma. Atque adeo cùm nulla ſit ratio admittendi quintam notionẽ, videtur potiùs temeritas tenere partẽ affirmatiuã.

Ad 4. Nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia Deus dicitur trinus propter tres Perſonas realiter inter ſe diſtinctas. Notiones autem licèt omnes realiter inter ſe diſtinguantur tamen poſſunt plures conuenire eidem Perſonæ, vt patet in paternitate, & filiatione, quæ ſunt notiones Patris, & filij, quibus conuenit etiam communis ſpiratio. Ergo ad earum numerum non multiplicatur quaternitas Perſonarum.

DISPVTATIO VIII.

De diuinis Relationibus.

AGentes de relationibus, quærimus 1. An dentur in Deo reales relationes ad intra? 2. An ſint ſolùm quattuor? 3. An ſint reales, non ſolùm ſecundùm *eſſe in*, ſed etiam ſecundùm *eſſe ad*? Vbi quæritur, an inducant dependentiam in Perſonis, & verum reſpectum ad creaturas?

ARTICVLVS PRIMVS.

An dentur in Deo Relationes reales ad intra?

VIdentur non dari, Primò quia relatio cùm ſit ad aliquid, non poteſt de aliquo prædicari in quid. Sed quidquid eſt in Deo, poteſt de illo prædicari in quid; quia eſt realiter Deus. Ergo in Deo nulla eſt relatio realis.

2. Si daretur in Deo relatio, maximè Patris ad Filium, & viceuerſa. Sed vterque eſt idem Deus realiter. Ergo eſſet per modum identitatis eiuſdem ad eumdem. Sed hæc non poteſt eſſe realis. Ergo eſſet ſolùm relatio rationis.

3. Omnis diuina relatio fundaretur in ratione principij, vt *à quo alius*, & *qui ab alio*. Ergo eſſet ſicut relatio, qua Deus refertur ad creaturas, quarum eſt principium. Sed hæc non eſt realis, ſed rationis, vt probat diuus Thomas 1.p. q.13.ar.7. Ergo neque eſt realis relatio Patris ad Filium, & vtriuſque ad Spiritum Sanctum.

4. Relatio eſt minimæ entitatis, vt probat diuus Tho: 4 con. Gen. c.14. Ergo non poteſt eſſe in Deo, in quo omnia ſunt infinitæ entitatis.

Concluſio, *Dantur in Deo reales relationes ad intra, quibus vna Perſona refertur ad aliam*. Eſt de fide, quidquid in contrarium ſenſerint Okamus, & Gabriel in 1.d.3.q.4. putantes, poſſe diſtingui Perſonas per proprietates abſolutas.

Probatur 1. ex Concil. Toletano 11. in profeſs. fidei dicente, *in relatiuis Perſonarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad vtroſque refertur, quæ cùm relatiuè tres Perſonæ dicantur, vna tamen natura, vel ſubſtantia creditur*. Et infra, *in relatione Perſonarum numerus cernitur. Hoc ſolo numerum inſinuant, quòd ad in-*

inuicem ſunt, & in hoc numero carent, quòd in ſe ſint. Idem aſſeritur in Concilio Vuormatienſi in prof. fid. & ſtabilitur in Florentino ſeſſ. 18. §. *diuina ſubſtantia.* Optimè igitur concludit Aug. ſerm. 38. de temp. *Pater ad Filium, vel Filius ad Patrem, vel Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium veriſſimè refertur.* Vbi particula *vel* non accipitur diuiſiuè, ſed copulatiuè, vt patet ex textu. Ergo illas negare eſt hæreticum.

2. Omne principium generans importat relationem ad genitum. Sed Pater æternus eſt principium generans Verbum. Ergo importat ad illud relationem. Quòd idem dico de principio ſpirante, in ordine ad terminum ſpiratum, & viceuerſa. Sed hæ relationes non poſſunt eſſe rationis, & ſecundùm dici 1. quia Perſonæ non diſtinguerentur realiter, quod eſſet Sabellianiſmus. Deinde quia ſi diſtinguerentur ſola ratione, vel diſtinguerentur ratione diuina, vel noſtra? Non diuina, quia cùm ſit perfectiſſima, & comprehenſiua, nec poſſit eſſe falſa, attingit obiecta vt ſunt in ſe. Ergo ſi tendit ad ſuas relationes, vt realiter exiſtentes, & diſtinctas, debent hæ eſſe tales. Neque noſtra, quia antecedenter ad omnem operationem noſtri intellectus, hæ relationes ſunt in Deo, & in illo realiter ad inuicem diſtinguuntur. Ergo ſunt reales, & realiter inter ſe diſtinctæ.

Ad 1. Diſtinguo maiorem, relatio vt

relatio formaliter, ideſt ſecundùm conceptum, quo concipitur vt ad aliquid, nō poteſt prædicari de aliquo, concedo: relatio materialiter ſumpta, ideſt ſecundùm conceptum, quo concipitur vt in aliquo, quod refert, nego maiorem. Et conceſſa minori, nego conſequentiam. Poteſt ergo relatio conſiderari formaliter ſecundùm *eſſe ad*, & ſecundùm hoc non eſt prædicabilis, quia omnis prędicabilitas fūdatur ſuper ineſſe; & materialiter ſecundùm *eſſe in*, quatenus omnis relatio, vt forma referens, inhæret alteri, & ſecundùm hoc eſt prædicabilis. Cùm ergo in Deo Paternitas ſit veluti inhærens in prima Perſona, ideo poteſt de illa prædicari, vt eſt talis realitas in Patre. Et idem dico de alijs.

Ad 2. Diſtinguo maiorem, daretur relàtio Patris ad Filium, ſecundùm ſubſtantiam vtriuſque, nego: ſecundùm ſuppoſita, concedo maiorem. Et diſtinguo minorem, ſunt idem Deus identitate naturæ, concedo: identitate ſuppoſiti, nego minorem, & conſequentiam. Prò quo aduerte, naturam diuinam reſpectu Perſonarum, conſiderari veluti naturam ſpecificam, in qua identificantur omnes Perſonæ, veluti indiuidua inferiora. Sicut ergo Petrus ſecundùm Petreitatem, refertur realiter ad Paulum genitorem, ſecundùm Pauleitatem, quamuis vterque ſint idem ſecundùm naturam ſpecificam hominis, in qua non di-

diſtinguuntur: sed ſolùm diſtinguuntur ſecundùm proprietates indiuiduantes; ita diuinæ Perſonæ ad inuicem referuntur realiter, propter realem diſtinctionem vnius ab alia, ſecundùm rationes indiuiduales ſuppoſitorum, quamuis identificentur quaſi ſpecificè, ſecundùm eamdem naturam diuinam omnibus cõmunem, vt docent diuus Tho: hìc in resp. ad 2. & Caietanus ibidem.

Ad 3. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia Deus eſt principium creaturarum, ſecundùm diuerſitatem naturæ, eò quia illas producat extra ſe. Vna verò Perſona producit aliam, in vnitate eiuſdem naturæ; & ideo proceſſio ad intra eſt ex neceſſitate naturali; ad extra verò ex libertate operantis, per actus rationis, nempe intellectus, & voluntatis. Deus ergo Pater quia refertur ad Filium relatione naturali, refertur realiter; ad creaturas autem ſolùm ratione, nempe relatione intellectus, vt docet hìc diuus Tho: ad 3: Ipſæ autem creaturæ realiter referuntur ad Deum, quia referuntur ex neceſſitate naturæ, qua continentur ſub ordine diuino. Verum de hoc infra ar. 5. ad 5.

Dices, homo generat hominem liberè, adeòque voluntate, quia poſſet non generare, & tamen refertur ad genitum relatione realis paternitatis. Ergo quamuis Deus producat creaturas liberè, & voluntate, adhuc tamen ad illas refertur relatione reali.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia homo generans transfundit in genitum aliquid ſui, in quo fundatur eius relatio paternitatis. Deus autem quia operatur ad extra ex nihilo, nihil ſui transfundendo in creaturas, nihil habet, in quo fundetur eius realis relatio ad illas. Sicut ergo homo non refertur realiter ad artificiata, quia nihil illis communicat de ſui eſſe, ita neque Deus ad creaturas, quæ reſpectu Dei ſunt veluti artificiata, eò quia fiant ab illo per ſuum Verbum, quod eſt ars Patris operantis ad extra, vt dictum eſt in 2. phyſ. diſp. 6. ar. 2.

Vrgebis, ergo neque creaturæ referuntur ad Deum realiter, quia nihil accipiunt de diuino eſſe.

Nego conſequentiam. Quamuis enim nihil accipiant Dei, tamen accipiunt totum ſuum eſſe, cum naturali neceſſitate dependendi ab illo, tàm in fieri, quàm in conſeruari, quod cùm ſit quædam participatio diuini eſſe, ſufficit ad fundandam neceſſariam aliquam connexionem realem cum Deo, tamquàm effectus cum cauſa, in quo conſiſtit formaliter eius relatio ad Deum.

Ad 4. Diſtinguo antecedens, relatio genericè ſumpta, ſecundùm ſe præcisè conſiderata, eſt minimæ entitatis, concedo: ſpecificè, & vt contracta ad talem differentiam, & ſecundùm ſuum vltimum conceptum adæquatum, nego antecedens. Cùm ergo quidquid eſt in

Deo,

Deo, tranſeat in infinitatem diuinæ ſubſtantiæ, ideo relatio vt contracta ad rationem Deitatis, non eſt minimæ entitatis; ac proinde negatur conſequentia cum diuo Tho: in loco ab arguente citato, vbi docet, *relatio non eſt aliud in Deo, quàm eſſentia ſecundùm rem, cùm relatio in Deo accidens eſſe non poſſit*. Ergo relatio vt in Deo, non eſt minimæ entitatis. Neque obſtat, quod vt formaliter relatio, concipiatur vt minimæ entitatis; ſiquidem hoc ipſum probat, illas Deo conuenire. Cùm enim debeat inducere in Deo minimam diſtinctionem, bene eſt minimæ entitatis. Sicut enim docet Angelicus hic q.40.ar. 2. ad 3. *Diſtinctio perſonarum non debet eſſe niſi per id, quod minimum diſtinguit, ſcilicèt per relationem*, vt nempe ſaluemus, illam eſſe minimam diſtinctionem, vt antea docuerat.

ARTICVLVS II.

Soluuntur alia argumenta contraria.

OBijcies 5. Relatio conſequens ad operationem intellectus, eſt ſolùm rationis. Sed relatio Patris ad Filium conſequitur operationem intellectus paterni, nempe generationem actiuam. Ergo eſt ſolùm rationis.

Diſtinguo maiorem, relatio conſequens ad operationem intellectus tranſitiuè,

tiuè, eſt rationis, concedo: intranſitiuè, nego maiorem. Et diſtinguo minorem, relatio Patris ad Filium conſequitur operationem intellectus tranſitiuè, nego: intranſitiuè, concedo minorem, & nego conſequentiam. Explico diſtinctionem, relatio tranſitiuè conſequens operationem intellectus eſt illa, quæ cõſequitur in ipſis obiectis extra intellectum, referendo vnum cognitum ad aliud, vt genus ad ſpeciem, prædicatum ad ſubiectum, &c. Intranſitiuè conſequens eſt illa, quæ conſequitur intra ipſum intellectum, quatenùs videlicèt refert vel principium intellectiuum ad verbum, quod eſt terminus intrinſecus ſuæ operationis, vel vnam eius operationem ad aliam. Prima igitur ſemper eſt rationis, quia non eſt inter realitates, ſed ſolùm inter formalitates formales, ſeu metaphyſicas, quæ ſunt entia rationis logica, eò quia fiant à ratione. At ſecunda eſt realis, ſaltem in Deo, quia eſt inter realitates; nam ipſe intellectus fæcundus Patris, & Verbum genitum per illum, ſunt quædam res, vt aſſerit hic diuus Thomas ad 4.

Dices, ergo relatio Patris ad Filium, quia procedit intranſitiuè, eſt relatio ipſius intellectionis paternæ ad ſui terminum intrinſecum. Sed relatio intellectionis eſt rationis, quia eſt formaliter ratio. Ergo ex hoc ipſo non eſt realis.

Diſtinguo minorem ſubſumptam, eſt relatio rationis identicè, & materialiter,

con-

concedo: formaliter, & denominatiuè, nego minorem, & conſequentiam. Explico diſtinctionem. Relatio rationis identicè, & materialiter eſt illa, quæ realiter identificatur cum ipſa ratione, qualis eſt inter ipſas cognitiones, ſeu inter cognitionem, & verbum. Relatio rationis formaliter, & denominatiuè eſt illa, quæ conſurgit in ipſis obiectis, per hoc quòd terminent rationem, qualis eſt ſubiecti ad prædicatum, generis ad ſpeciem, &c. Hoc poſito, ſicut relatio vnius cognitionis ad aliam, quamuis ſit realiter idem cum ratione relata, eſt relatio realis, quia eſt inter duas realitates intentionales (nemo enim negat, vnam cognitionem realiter diſtingui, & referri ad aliam) vt fusè probauimus in log. lib. 1. diſp. 2. ar. 5. ita relatio ipſius intellectionis, vt dictio eſt, ad ſui verbum, quamuis ſit realiter idem cum ipſa intellectione, in Deo, in quo verbum diſtinguitur à dictione, eſt relatio realis.

Dices 2. Non ergo Pater refertur ad Filium, ſed ſola intellectio, ſeu dictio, quæ eſt generatio Filij. Nego conſequentiam, quia cùm Pater conſtituatur formaliter in eſſe Patrem per eſſentiam, & intellectionem notionalem, non poteſt hæc ad Filium referri, quin referat ipſum Patrem. Ipſa ergo intellectio refertur *vt quo*, ſeu vt ratio formalis referentiæ, & eius principium in quo eſt, per illam refertur *vt quod*, tamquàm fundamentum talis relationis. Extrema

igitur huius relationis ſunt *à quo alius*, & *qui ab alio*, & ipſa dictio, ſeu generatio eſt ratio proxima fundandi. Et idem dico de relatione ſpiratoris ad Amorem ſpiratum.

Dices 3, Sciens realiter refertur ad ſcibile. Ergo etiam relatio, conſequens tranſitiuè ad rationem, eſt realis.

Nego conſequentiam ex falſo ſuppoſito. Siquidem cùm hæc ſit relatio tranſcendentalis, eſt adæquatè in fundamento, & ſolùm reſpicit ſcibile, vt purum terminum extrinſecum, vt probauimus in log. lib. 4. diſp. 4. ar. 2. & 3. Ergo non ſequitur tranſitiuè ad rationem, ſed ſolùm intranſitiuè, eò quia non tranſeat ex ratione in obiectum.

Ob 6. Relatio vt relatio, abſtrahit à ratione entis realis, & rationis; vt docet hìc diuus Tho: q. 28. ar. 1. Nihil autem diuinum abſtrahit à ratione realitatis. Ergo nulla eſt in Deo relatio.

Ad hoc patet reſponſio ex dictis in reſp. 4. eò quia relatio vt contracta ad diuinitatem, tranſeat in rationem diuinæ ſubſtantiæ; adeòque vt talis, non ſolùm non præſcindit à ratione entis realis, ſed dicit ens reale perfectiſſimum, cum incluſione cuiuſcumque perfectionis. Neque eſt neceſſe, quòd hoc dicat ſub quocumque conceptu, etiam generico, ſed ſatis eſt, quòd hoc dicat ſub conceptu vltimo, & adæquato, hoc eſt ſecundùm contractionem.

Ob. 7. Omnis relatio fundatur in reali

li

li diſtinctione extremorum, quæ referuntur, quæ videlicèt priùs diſtinguantur, quàm referantur. Sed antecedenter ad relationes, in diuinis nulla eſt diſtinctio realis. Ergo nulla eſt realis relatio.

Nego maiorem. Nam relatio generationis hominis non præſupponit extrema, ſed ipſa formaliter ponit terminum, & tamen eſt vera relatio. Ergo etiam paternitas in Deo poteſt eſſe vera relatio, licèt non præſupponat Filium, ſed producat. Satis ergo eſt ad veram relationem, quòd ſit inter extrema diſtincta, ſiue præſupponantur vt talia, ſiue ponantur in eſſe talia. Præterquamquòd præſuppoſitio diſtinctionis extremorum adſummum poteſt eſſe neceſſaria ad relationem accidentalem, quæ cùm accedat, & inhæreat, debet præſupponere ſubiectum antecedens, cui accedat, & inhæreat. At relatio diuina, quæ tranſit in Deitatem, eſt ſubſtantia per ſe ſubſiſtens. Ergo non indiget ſubiecto antecedenti, cui adueniat, & inhæreat; & ideo poteſt eſſe ad terminum ſibi coæuum, & per ipſam productum; vt docet diuus Tho: hìc q. 40. ar. 2. ad 4. dicens, *relatio præſupponit diſtinctionem ſuppoſitorum quando eſt accidens. Sed ſi relatio ſit ſubſiſtens non præſupponit, ſed ſecum fert diſtinctionem.*

Ob. 8. Quidquid eſt in Deo ſecundùm realitatem, debet eſſe infinitè perfectum, vt nuper dictum eſt. Ergo ſi darentur

in

in illo plures relationes reales, darentur plura infinita diſtincta, quod cenſetur impoſſibile à diuo Tho: hic q. 11. per totam.

Primò diſtinguo conſequens, darentur plura infinita formaliter, ideſt quæ formaliter contineant infinitas vnitates, nego: darentur plura infinita virtualiter, ſeu eminenter, ſeu (vt alij explicant) radicaliter, concedo conſequentiam, quæ negatur ſolùm ab Angelico in prima acceptione. Deinde concedo conſequentiam, cùm nullum ſit abſurdum admittere in Deo plures infinitates reſpectiuas, quia cum toto hoc, non multiplicatur Deitas, eò quòd illa plura ſint infinita per vnam, eamdemque Deitatem. Demum diſtinguo antecedens, quidquid eſt in Deo realiter, debet eſſe infinitè perfectum, per incluſionem perfectionis diſtinctæ ab eſſentia, nego: realiter cum illa identificatæ, concedo antecedens. Et diſtinguo conſequens, darentur plura infinita, quæ ſint plura ſecundùm entitatem, & eſſentiam, nego: quæ ſint plura quoad prædicata reſpectiua, & vnum quoad entitatem, ſeu abſoluta, concedo conſequentiam. Sicut enim qui admittunt, attributa diſtingui ex natura rei inter ſe, concedunt plura infinita ſecundùm prædicata abſoluta; ita poſſunt concedi ſecundùm reſpectiua. Aliòquin, tolleretur Trinitas Perſonarum, quæ neceſſariò dicit diſtinctionem plurium, ſecundùm plures realitates, quæ vt diui-

næ,

næ, cùm non poſsint eſſe finitæ, ſunt ſimpliciter infinitæ.

Ob. 9. Vel hæ relationes dicerent ratione ſui formaliter perfectionem, vel non? Non primum, quia cùm ſe inuicem excluderent, ſingulæ carerent aliqua perfectione; adeòque aliquid diuinum non eſſet vndequaque perfectum. Neque ſecundum, quia aliqua realitas diuina non eſſet perfecta. Sed vtrumque eſt abſurdum, quia refunderet Deo aliquam imperfectionem. Ergo non dantur in illo relationes.

Reſpondeo, huiuſmodi relationes, ratione ſui formaliter, ſolùm dicere perfectiones ſimplices, non autem ſimpliciter ſimplices. Quomodo autem hoc ſaluetur, abſque vllo abſurdo, & quid ſint, & quomodo hæ perfectiones diſtinguantur, vide fusè explicatum in diſp. met. lib. 1. diſp. 1. ar. 4.

Ob. 10. Omnis realitas diuina eſt melior ipſa, quàm non ipſa. Ergo eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ſecundùm Anzelmum in proſologio c. 5. & 11. Sed eſt impoſſibile, dari in Deo plures perfectiones ſimpliciter ſimplices ad inuicem oppoſitas, quia refunderent ſibi inuicem imperfectiones. Ergo eſt impoſſibile, dari plures relationes in Deo ſecundùm realitatem.

Diſtinguo antecedens, eſt melior ipſa, quàm non ipſa, ſi ly *non ipſa* accipiatur ſolùm negatiuè, concedo: ſi verò accipiatur tàm negatiuè, quàm præciſiuè,

ita

ita vt ly *non* infinitet terminum, nego antecedens, & conſequentiam. Quid ſit autem accipi negatiuè, & præciſiuè, & quomodo de relationibus diuinis verificetur dictum Anzelmi, abſque eo quòd ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices, conſule diſput. met. loco nuper citato, vbi fusè probatùr aſſertum, & ſoluitur radix huius ingentis difficultatis.

ARTICVLVS III.

An diuinæ relationes ſint ſolùm quattuor?

Videntur non eſſe. Primò quia omnes reducuntur ad duas. Ergo non ſunt quattuor. Probatur antecedens, in nobis actio, & paſſio ſunt vnus, & idem motus, quamuis ſint duo reſpectus rationis. Ergo etiam in Deo generare, & generari: ſpirare, & ſpirari ſunt vna, & eadem relatio ſecundùm realitatem. Probatur conſequentia, omnes diuinæ relationes fundantur in actione, & paſſione, tamquàm *qui ab alio, à quo alius*. Ergo non dantur in Deo, niſi duæ relationes reales, cum quattuor reſpectibus rationis.

2. Præter 4. relationes originis, ſunt etiam aliæ relationes reales, nempe intelligentis ad intellectum, & volentis ad volitum, nam Deus verè intelligit, & vult ſuas Perſonas, & creaturas per intellectionem, & volitionem abſolutas. Ergo

go ſunt plures, quàm quattuor.

3. Tot ſunt in Deo relationes, quot ſunt obiecta à Deo intellecta extra ſe. Sed hæc ſunt infinita. Ergo infinitæ relationes. Probatur maior, Deus intelligendo format verbum. Ergo tot erunt verba, quot habet formas intelligibiles, quæ ſunt infinitæ.

4. Tot ſunt in Deo relationes, quot habet ideas in ſua mente. Sed hæ ſunt infinitæ. Ergo infinitæ relationes. Probatur maior, nam ſingulæ ideæ diſtinguuntur per diuerſos reſpectus. Ergo ad earum multiplicationem multiplicantur relationes.

5. Relationes admittuntur ad ſaluandam diſtinctionem Perſonarum. Ergo tot erunt relationes, quot Perſonæ. Sed hæ ſunt tres. Ergo totidem relationes. Probatur conſequentia, multiplicato inferiori, multiplicatur ſuperius, vt ſi tres homines, tria animalia: ſi duæ albedines, duo colores, &c. Sed res eſt ſuperior ad relationem. Ergo ſi multiplicentur relationes, multiplicantur res ſubſiſtentes, adeòque erunt quattuor Perſonæ, quod eſt erroneum.

Concluſio, *Diuinæ relationes neque ſunt plures, neque pauciores, quàm hæ, paternitas, filiatio, ſpiratio, & proceſſio.* D. Th. q. 28. ar. 4.

Probatur 1. Tot in Deo admittuntur realea relationes, quot ſunt neceſſariæ ad ſaluandam Perſonarum Trinitatem. Sed ad hanc ſufficiunt, & ſunt neceſſariæ aſſigna-

ſignatæ. Ergo neque ſunt plures, neque pauciores, quàm quattuor. Maior admittitur vt certa à theologis; neque enim ad alium ſinem admittuntur relationes, quàm ad diſtinguendas Perſonas. Minor probatur, Trinitas Perſonarum non poteſt ſaluari per ſolas actiones actiuas, videlicèt per generationem, & ſpirationem, vt duas tantùm reales relationes, quia ſi darentur ſolùm hæ actiones, vel eſſent idem realiter cum ſibi oppoſitis, videlicèt generatione, & proceſſione paſſiuis, vel non? Si primum, ergo daretur ſola Perſona Patris, quia ſicut filius eſſet idem cum Patre propter identitatē ſuæ relationis perſonalis cum relatione paternitatis, ita Spiritus Sanctus eſſet idem cum Patre, & filio, propter identitatem ſpirationis paſſiuæ cum actiua, quod eſſet Sabellianiſmus. Neque poteſt dici ſecundum, quia vel darentur relationes paſſiuæ oppoſitæ, à quibus diſtinguerentur actiuæ, & probatur quaternitas relationum, quam aſſerimus; vel non darentur, & rediremus in abſurdum impugnatum. Ergo hæ duæ non ſufficiunt. Neque poſſunt admitti ſolæ relationes fundatæ in proceſſionibus paſſiuis, propter eamdem rationem. Neque ſolæ tres, quia quæcumque tollatur ex aſſignatis, deſtruitur Trinitas Perſonarum; cùm enim Perſonæ non diſtinguātur, niſi per oppoſitas relationes (vt probabimus) & paternitas, & filiatio non opponantur ſpirationi paſſiuæ, niſi in

Pa-

Patre, & filio admitteretur ſpiratio actiua, non diſtinguerentur à Spiritu Sancto. Ergo ſunt neceſſariæ paternitas, & filiatio, vt Pater diſtinguatur à filio, & ſpiratio actiua, & paſſiua, vt Pater, & filius diſtinguantur à Spiritu Sancto.

2, Omnis relatio fundatur in qualitate, vel quantitate, vel actione, & paſsione. Sed in Deo neque eſt quantitas, neque qualitas, cùm ſit omninò immaterialis. Ergo ſupereſt, quòd in illo dentur relationes, fundatæ in actione, & paſsione. Sed ſi actio ſit tranſiens, fundat in Deo relationes rationis, vt dictum eſt, & fuſiùs probabitur in loco. Ergo debent fundari ſuper duplici actione immanente, altera intellectus, & altera voluntatis, videlicèt paternitate, & ſpiratione actiua, cum ſuis oppoſitis, nempe filiatione, & proceſſione; atque adeo neque poſſunt eſſe plures, neque pauciores his 4.

Vnde patet reſponſio ad 1.

Ad 2. Nego antecedens, primò quia in Deo idem eſt actus intelligens quaſi reflexè Perſonas, & dicens Verbum, ſecundùm realitatem; nam intellectio vt dicens, ſolùm addit reſpectum paternitatis intellectioni abſolutæ, cum quo eſt realiter idem, & ſolùm diſtinguitur ratione. Ergo quamuis concedatur, admittendam in Deo relationem intelligentis ad Perſonas intellectas, non proinde multiplicantur relationes reales.

De-

Deinde quia vel eſt ſermo de intelle-ctione, quas Deus cognoſcit Perſonas, vel qua cognoſcit creaturas? Si primum, cùm ſit eiuſdem ad eundem, non poteſt importare, niſi relationem rationis. Si ſecundum, probatum eſt ſupra, etiam importare puram relationem rationis; & probatur adhùc, quia Deus non intelligit alia à ſe, niſi per ſe ipſum. Ergo primus terminus diuinæ intellectionis, per quam cognoſcit alia, eſt ſua eſſentia, ad quam non poteſt realiter referri, vt patet. Ergo neque vt intelligens Perſonas, neque vt intelligens alia à ſe, importat realem relationem, ſed ſolam rationis.

Ad 3. Nego maiorem. Ad cuius probationem dico, Deum per vnam, & eamdem intellectionem cognoſcere omnia in ſe, & ideo vnum tantum formare verbum. Vnde retorquetur argumentum. Neque valet paritas de noſtris intellectionibus; nam in nobis ideo ad multiplicationem intellectorum multiplicantur reales reſpectus, quia multiplicantur formæ intelligendi, videlicèt intellectiones, & ſpecies, quod non accidit in Deo. Ergo non currit paritas, niſi fiat tranſitus ex reſpectibus realibus, qui multiplicantur in nobis, ad reſpectus rationis, qui ſoli multiplicantur in Deo, quod non facit ad rem.

Ad 4. Nego minorem. Et dico, ideas creaturarum non eſſe plures in Deo, ſed vnam tantum realiter, & virtualiter ſo-

lùm

lùm multiplicem, vt probauimus in 2. phyſ. diſp. 6. in qua ex profeſſo agimus de diuinis ideis, & præcipuè ar. 2. Cùm ergo hæc non diſtinguatur ab intellectione abſoluta, qua Deus ſe cognoſcit, idem dicimus de reſpectu diuinarum idearum ad creaturas, quod diximus de reſpectu intellectionis.

Ad 5. Nego conſequentiam. Ad cuius probationem Reſpondeo, illud principium eſſe verum, cum non variatur appellatio, vt contingit in exemplis allatis, in quibus termini ſunt abſoluti, & non numerantur, niſi quatenus ad inuicem comparantur, retenta ratione abſtracti, vel concreti. Aliter accidit in caſu noſtro. Cum enim dicitur, *quattuor relationes*, ly *quattuor*, qui eſt terminus numeralis, appellat conceptum proprium relationis, ſecundùm ſe in abſtracto, quatenùs præcisè reſpicit ſuum terminum. Cum autem dicitur, *quattuor res*, appellat conceptum relationis in concreto, vt ad ſubiectum comparatæ. Ergo variatur appellatio. Quia ergo eidem Perſonæ poſſunt conuenire plures relationes, ideo ex numero relationum, non infertur numerus Perſonarum. Verùm de hoc fuſiùs infra, cum agemus de ſpiratione actiua.

ARTICVLVS IV.

An relationes diuinæ ſint reales, non ſolum ſecundùm eſſe in, *ſed etiam ſecundùm* eſſe ad?

Videntur non eſſe, vt propugnant Guglielmus Pariſienſis penès Dyoniſ. Carthuſ. in 1.d. 26. q. 1. poſt med. Ochamus in 1.d.30.q.4. Gabriel ibid. ar. 1. concluſ. 5. quibus aliqui addunt Gregorium Arim. in 1.d.28.q 2. quamuis ibi loquatur de relatione vt ſic, ſecundùm abſtractionem, nihil determinans de illa, vt contracta ad diuinitatem.

Primò quia relatio dominij non eſt realis in Deo ad creaturas, licèt Deus ſit realiter Dominus creaturarum; Et Chriſtus non dicit relationem realem filiationis ad Beatam Virginem, cuius eſt realiter filius, vt docet Angelicus in 3.p. q. 35. ar. 5. Ergo licèt relationes diuinæ non ſint reales ſecundùm *eſſe ad*, adhùc tamen poſſunt tribuere Perſonis realem denominationem vnius ad aliam, per purum reſpectum rationis, fundatum in *eſſe in* talium relationum.

2. Boetius lib. 1. de Trin. c. 12. ſub finem ait, *ſimilis eſt in Trinitate relatio Patris ad filium, & vtriuſque ad Spiritum Sanctum, vt eius quod eſt idem, ad id quod eſt idem*. Sed eiuſdem ad idem non eſt reſpectus realis ſecundùm *ad*, quamuis ſecundùm *in* poſſit eſſe realis,

vt

vt accidit in ſubiecto ad prædicatum. Ergo diuinæ relationes, ſecundùm purum *eſſe ad* non ſunt reales, ſed rationis.

3. Relatio, vt relatio, hoc eſt præcisè vt eſt ad aliud, vel poneret aliquam realitatem per ſe ſubſiſtentem, vel alteri inhærentem? Non primum, quia eſſet ſubſtantia. Neque ſecundam, quia recederet à ſua ratione formali intrinſeca, quæ eſt eſſe ad aliud, & non in alio. Ergo nullam ponit realitatem.

4. Eſſe *ad* neceſſariò dicit dependentiam à termino, ad quem eſt; ſiquidem illo non exiſtente, non daretur. Ergo dicit imperfectionem. Ergo ſi eſſet aliquod reale in Deo, daretur aliquod reale dependens, & imperfectum, quod repugnat.

5. Eſſe *ad* quod Deus Pater habet reſpectu creaturarum, non eſt reale, ſed rationis, quamuis ſit earum principium, vt docent Angelicus hic qu. 13. ar. 7. & Scotus in 1. d. 30. quæſt. 2. Ergo *neque eſſe ad*, quod habet reſpectu filij, cuius eſt principium.

Concluſio, *Relationes diuinæ, non ſolùm ſecundum eſſe* in, *ſed etiam ſecundùm eſſe* ad *ſunt reales, & non rationis.* Hanc concluſionem Gregorius de Valentia tom. 1. diſp. 2. q. 2. punct. 1. putat eſſe de fide, dicens, *de fide eſt, relationem diuinam, vt eſt ad aliud, & non ſolùm vt eſt eſſentia diuina, eſſe in Deo quamdam realitatem, & quidem infi-*

 nitam.

nitam. Illi ſubſcribit Molina hic ar. 2. diſp. 5. qui contrariam vocat *errorem in fide*, cui conſonat Albertinus tomo 2. pag. 424. n. 6. Et Bannes q. 32. ar. 3. dub. 2. §. *alius*, vocat ſententiam oppoſitam *intolerabilem*, *ex qua ſequuntur hæreſes*.

Probatur 1. Si diuinæ relationes non ſint reales ſecundùm *eſſe ad*, nullo modo ſunt reales. Conſequens eſſe abſurdum probauimus ar. 1. Ergo ſunt reales etiam ſecundùm *eſſe ad*. Probatur maior, præciſa per intellectum à diuinis relationibus realitate, quoad *eſſe ad*, non remanet, niſi *eſſe in*, quod eſt omninò abſolutum. Ergo non remanet realis relatio, vt formaliter talis, ſecundùm realitatem, ſed ſolum abſolutum, cum reſpectu rationis ad terminum; adeòque non remanet relatio realis. Probatur conſequentia, relatio conſtituitur in eſſe formaliter talem, non per *eſſe in*, quod eſt commune omnibus accidentibus, ſed per *eſſe ad*, quod eſt eius differentia eſſentialis, ſicut rationale eſt differentia hominis. Ergo ſicut præciſo ab homine rationali, non remanet homo, ſed animal, quod eſt genus contrahibile ad hominem, & brutum, ita præciſo *eſſe ad* à relatione, non remanet relatio, ſed aliquid indifferens ad abſolutum, vel reſpectiuum. Quamuis ergo ſupponatur, remanere realitatem ſecundùm *eſſe in*, non tamen remanet realitas realiter reſpectiua, ſed vel realitas prorsùs abſoluta, vel ſolùm

lum reſpectiua per rationem.

2. Pater, vt formaliter Pater, conſtituitur per reſpectum ad filium. Ergo ſi hic reſpectus, vt formaliter talis, non ſit realis, Pater non eſt realiter Pater. Probo conſequentiam, ita ſe habet Pater ad eſſentiam, in eſſe Deum, ſicut ad paternitatem, in eſſe Patrem. Sed ſi eſſentia non eſſet realiter Deitas, Pater non eſſet realiter Deus. Ergo ſi paternitas non eſſet realiter relatio, non eſſet realiter Pater. Sed non eſſet realiter relatio, ſi non eſſet realis ſecundùm *eſſe ad*, per quod formaliter conſtituitur in eſſe relationem. Ergo eſt realis ſecundùm *eſſe ad*.

3. *Eſſe ad* non diſtinguitur ab *eſſe, in* ſecundùm rem in relatione, ſed ſolùm ratione, quatenus idem reſpectus comparatus cum ſubiecto, dicitur eſſe in illo, & comparatus cum termino, dicitur eſſe ad illum. Ergo ſecundùm idem eſſe, relatio comparatur cum termino, & cum ſubiecto, ſicut idem motus comparatur cum agente, & paſſo. Sicut ergo ſi motus non ſit realis, vt comparatur cum agente, non poteſt eſſe realis, vt comparatur cum paſſo, adeòque neque erit realis actio, neque realis paſſio; ita ſi eſſe relationis non ſit reale, vt eſt ad terminum, neque erit reale, vt eſt in ſubiecto.

4. Perſonarum Trias, vt formaliter dicit numerum Perſouarum, non eſt opus rationis, aliter non poſſet præſtare

tot munera realia, cuiuſmodi ſunt generare, & generari: ſpirare, & ſpirari: terminare vnionem hypoſtaticam, ſecundùm vnam Perſonam, & non ſecundùm alias: diſtingui, & opponi realiter inter ſe per viam originis, &c. Sed non dicit numerum Perſonarum per relationes ſecundùm *eſſe in*, ſed ſolum ſecundùm *eſſe ad*, vt definit Concil. Toletanum XI. his verbis, *quod Pater eſt, non ad ſe, ſed ad filium eſt: & quod filius eſt, non ad ſe, ſed ad Patrem eſt. Similiter & Spiritus Sanctus, non ad ſe, ſed ad Patrem, & filium.* Et infra; *hoc ſolo numerum inſinuant, quòd ad inuicem ſunt: & in hoc, numero carent, quòd in ſe ſunt.* Ergo vt formaliter dicit numerum relationum, ſecundùm *eſse ad*, eſt aliquid reale. Probatur inſuper minor, quia diuinæ relationes ſecundùm *eſse in*, conueniunt omnes in vnitate eiuſdem eſsentiæ, cum qua omnes æqualiter identificantur. Ergo præciſo in illis *eſse ad*, neque habent oppoſitionem mutuam, neque faciunt numerum. Ergo ſi dicatur, illas non eſſe reales ſecundùm *eſse ad*, numerus Perſonarum non eſſet realis, & ſic ſanctiſſima Trias eſſet opus puræ rationis, quod eſſet penitùs euertere Sanctiſſimam Trinitatem, & reuocare ex inferis Sabellianiſmum.

Ad 1. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia relatio dominij, quod Deus habet ad creaturas, fundatur in actiua earum productione, ſicut relatio filia-

filiationis in Chriſto ad ſanctiſſimam Genitricem, fundatur in hoc, quòd fuerit ab illa temporaliter genitus. Sed vtraque, hoc eſt productio creaturarum, & generatio Chriſti ſunt veræ actiones reales. Ergo poſſunt eſſe reale fundamentũ relationis rationis, quę eſt pura denominatio extrinſecùs illi aduenieſ, iam conſtituto in ſuo eſſe reali. At diuinæ relationes non habent aliud fundamentum, quàm ſuum *eſſe ad*. Neque enim paternitas e.g. eſſet relatio in Perſona Patris, niſi Pater eſſet ad filium, per eius generationem, per quam ſolam diſtinguitur à filio. Ergo totum, & vnicum fundamentum paternæ relationis ad filium, eſt generatio illius, per quam ſolam Pater conſtituitur formaliter in eſſe Patrem. Si ergo dicamus, hoc eſſe, quod habet Pater ad filium, non eſſe reale, Pater non eſſet realiter Pater; adeòque non diſtingueretur à filio, ad quem neque ratione referri poſſet, intra genus relationum realium, ſed adſummum poſſet concipi vt relatus ad ſe, relatione ficta, & chimærica, quod faceret chimæricam Trinitatem.

Ad 2. Reſpondet diuus Thomas hîc q. 28. ar. 1. ad 2. *Boetius relationes quæ ſunt in diuinis, aſſimilat, relationi identitatis, non quantum ad omnia, ſed quantum ad hoc ſolùm, quòd per huiuſmodi relationes non diuerſificatur ſubſtantia, ſicut nec per relationem identitatis*. Quare explicando cum eodem Boetium, di-

ſtinguo maiorem, relatio diuina eſt ſimilis illi, quæ eſt inter identificata omnibus modis, & adæquatè, nego: inter identificata ſecundùm quid, ſeu inadæquatè, concedo maiorem. Et diſtinguo minorem, relatio inter adæquatè identificata, non eſt realis, concedo: inter idẽtificata inadæquatè, nego minorem, & conſequentiam. Quia ergo diuinæ Perſonæ ſunt idem quoad abſoluta, non autem quôad origines, ideo poſſunt habere ad inuicem reales relationes. Optimè igitur initio dixerat Angelicus. *Relatio, quæ importatur per hoc nomen idem, eſt relatio rationis tantùm, ſi accipiatur ſimpliciter idem* (hoc eſt quatenus dicit idẽtitatem adæquatam) *quia huiuſmòdi relatio non poteſt conſiſtere, niſi in quodam ordine, quem ratio adinuenit alicuius ad ſeipſum, ſecundum aliquas eius duas conſiderationes. Secus autem eſt, cum dicuntur aliqua eadem eſſe, non in numero, ſed in natura generis, ſiue ſpeciei.*

Ad 3. Dico, quòd licèt relatio, vt præſcindens à creata, & increata, ſub hac ratione analoga, non ponat realitatem per ſe ſubſiſtentem, illam tamen ponit, vt contracta ad diuinam, vt formaliter talem. Quia ergo hic loquimur de relationibus diuinis, vt diuinis, ideo dicimus, ab illis poni realitates Perſonales per ſe ſubſiſtentes, adeòque eſſe ſubſtantiales, propter realem identitatem cum diuina ſubſtantia, in qua non ſunt per inhærentiam, ſed per identitatem.

AR-

ARTICVLVS V.

Soluuntur poſtrema duo argumenta. Vbi quæritur, an in diuinis Perſonis ſit dependentia vnius ab alia?

AD 4. Nego antecedens. Quamuis enim nonnulli admittant in diuinis Perſonis dependentiam vnius ab alia, adeòque concedant antecedens, & negent conſequentiam, putantes dependentiam in via originis nihil aliud importare, quàm puram, & neceſſariam connexionem, quæ non minùs afficit vnum extremum, quod eſt ab alio, quàm alterum, quò deſt aliud; adeòque nullam dicere imperfectionem, tamen communiter theologi abſtinent in diuinis à nomine dependentiæ, quod ſemper in ſuo conceptu formali dicit ſubiectionem, & inferioritatem in dependente. Et ideo S. Thomas lib. 4. con. Gen. cap. 14. ad 9. ait, *quamuis in Deo ponatur eſſe relatio, non tamen ſequitur, quòd in Deo ſit aliquid habens eſſe dependens. In nobis enim relationes habent eſſe dependens, quia earum eſſe eſt aliud ab eſſe ſubſtantia. Vnde eſſe earum proprium, quòd ſubſtantiæ ſuperaddunt, non ſolùm dependet ab eſſe ſubſtantiæ, ſed etiam ab eſſe alicuius exterioris. Hoc autem in diuinis locum non habet, quia non eſt in Deo aliquod aliud eſſe, quàm ſubſtantiæ.* Diuo Thomæ conſonant Scotus, & Bonauentura;

nam primus in 1.d.2.q.7.§. ad *ſecundum* ait, *dependentia ſequitur entitatem formalem dependentis ab illo, à quo dependet. Quando igitur habet eamdem entitatem, non eſt ibi dependentia.* Et ſecundus in 1.d.26.ar.1.q.2.ait, *quantum ad veram diſtinctionem, & veram originem, & habitudinem, relationes ſunt in diuinis, non quantum ad dependentiam.* Et cum his ſentiunt omnes alij, excæptis paucis mox referendis.

Dices, vel dependentia, ratione ſui formaliter, dicit imperfectionem, vel non? Si primum, ergo nullus poteſt illam in Deo admittere. Si ſecundum, ergo ab omnibus admitti poteſt; atque adeo non debet admitti diſcrepantia opinionum quoad hoc.

Reſpondeo, dependentiam in ſuo cōceptu formali inuoluere indigentiam illius, à quo dependens accipit eſſe, eò quia cùm omne dependens inuoluat potentialitatem ad non eſſe, ita eſt ab alio, vt poſſit ſimpliciter non eſſe; & ſic eſt ab eo contingēter, per actum admixtum cum ſui non eſſe potentiali, quod eſt maxima imperfectio, & radix cæterarū; & ideo non poteſt in Deo admitti, ex oppoſito fundamento. Nam cùm diuina eſſentia, ratione ſuæ ſummæ perfectionis, naturaliter petat ſubſiſtere in triplici ſuppoſito, eſſentialiter, & neceſſariò exigit triplicem Perſonam, cum tali ordine originis vnius ab alia. Ergo non habet illas contingenter. Præterea

Per-

Perſonæ, vt formaliter diuinæ, eſſentialiter exigunt eſſe actu, vel producentes, vel productæ, in eadem diuina natura, per veram, & realem identitatem cum illa. Ergo non poſſunt concipi ſub non eſſe; & ideo excludunt omnem potentialitatem ad non eſſe, & ad non taliter eſſe. Atque adeo ſicut Pater, vt dans eſſe Filio, ab illo non pendet, quia Filius non poteſt non accipere à Patre ſuum eſſe; ita Filius non pendet à Patre, quia ita accipit eſſe ab illo, vt non poſſit Pater illud non dare, in vnitate eiuſdem naturæ. Quia ergo tàm dare, quàm accipere fundatur in naturali neceſſitate diuini eſſe, ideo ex parte nullius extremi inducit dependentiam ab alio, quæ proinde debet omninò excludi à diuinis.

Non defuerunt tamen qui illam admiſerint. Nam Gregorius Nyſſenus lib. de differ. eſſentiæ, & hypoſtaſis paulò poſt initium ait, *Spiritus Sanctus à Filio pendet. A Patris verò cauſa, vnde etiam procedit, ipſum eſſe habet dependens*. Diuus Baſilius ep. 43. col. 3. ſub finem conſonat Nyſſeno, ferè iiſdem verbis. Cyrillus lib. 13. theſauri c. 2. ait, *modo quodam ex ſubſtantia Dei emanat* (loquens de Spiritu Sancto), *& naturaliter inde dependet, ſicut ex humana manu digitus*. Albertus Magnus 1. p. q. 39. membro 1. ſub finem ſæpe vocat paternitatem, & Filiationem, relationem *quæ ſecundùm eſſe, & dependentiam eſt in vtroque relatiuorum*. Zumel hic diſp.

1. ad 1. ait, *verum eſt, quòd paternitas diuina, ſub ratione paternitatis, ab alio pendet, quia in ratione ipſius includitur Filius; & ſic nec poteſt vnum eſſe ſine alio, nec intelligi: ipſum tamen eſſe paternitatis non dependet ab eſſe alterius, cùm ſit vnum eſſe numero vtriuſque relatiui, quod eſt eſſe diuina eſſentia.* Simile quid aſſerũt Ferrarienſis lib. 4. con. Gen. c. 14. ad 2. dub. & Alenſis 4. p. q. 91. membro 1. ad 2. licèt hìc dictum modificet, quod hæc dependentia *nullam importat imperfectionem.*

Quare dicendum eſt, huiuſmodi authores nomine dependentiæ intellexiſſe neceſſariam connexionem vnius cum alio; vel locutos eſſe in ſenſu Græcorum, qui ſicut admittunt inter Perſonas cauſalitatem in producentibus, ita admittunt depẽdentiam in productis, itaut non ſignificet inferioritatem, ſed ſolam terminationem paſſiuam. Sed quia hìc eſt improprius modus loquendi (vt ipſe fatetur Alenſis in loco citato, vbi quaſi modificans ſuum dictum, quo poſuit dependentiam in diuinis, ſubdit, *ſi licet ibi dependentiam ponere quadam improprietate loquendi*) ideo debet omninò euitari, præſertim in materia præſenti, in qua eſt facillimus lapſus in errores.

Ad 5. Negò conſequentiam, propter rationes allatas ar. 1. ad 3. Verùm quia non deſunt qui admittant in Deo realem reſpectum ad creaturas, ideo placet aliquantò alius difficultatem examinare.

AR-

ARTICVLVS VI.

An Deus dicat verum, & realem reſpe-ctum ad creaturas?

GRegorius Ariminenſ. in 1.d.28.q.3. apertiſſimè aſſerit, Deum referri realiter ad creaturas. Hoc autem probat 1. quia Deus ab æterno fuit cauſatiuus, & præſcius. Ergo realiter referebatur ad cauſabilia, & præſcita. 2. Deus de nouo eſt creans, & dominus creaturarum. Ergo etiam temporaliter refertur ad creaturas. 3. Natura humana eſt vnita Verbo in Chriſto. Ergo etiam Verbum eſt vnitum humanitati. Sed vnita ad ſe inuicem referuntur. Ergo humanitas refertur ad Verbum, & hoc ad humanitatem. 4. Spiritus Sanctus eſt datus, & donatus temporaliter creaturæ. Ergo refertur ad illam vt accipientem.

Caietanus hic q.13. ar.7. §. *Quarto ſic* ait, Deum referri realiter ad creaturas, relatione exiſtente in ipſa creatura, eo modo quo dicitur creator, per creationem exiſtentem in ipſo termino, vt probauimus in 7. phyſ. ita vt per eamdem relationem creatura referatur ad Deum, & Deus ad creaturam. Hoc autem probat ex 5. met. t. 20. vbi dicitur, *ſunt ad aliquid, eò quòd aliud ad illa dicitur.* Super quem locum diuus Thomas loco citato ait, *non dicuntur relatiuè, eò quòd ipſa referantur ad alia, ſed quia alia re-*

feruntur ad ipſa. His tamen non obſtantibus, ſit.

Concluſio 1. *In Deo nullus datur reſpectus realis prædicamentalis, ſed ſolùm tranſcendentalis ad creaturas*.

Probatur, quia relatio prædicamentalis per hoc diſtinguitur à tranſcendentali, quòd illa ſit accidentalis, & extrinſeca fundamento, hæc verò ſit adæquatè intrinſeca, & eſſentialis fundamento, vt probauimus in logica lib. 4. diſp. 4. ar. 2. concl. 3. Sed eſt impoſſibile, quòd aliquod Deo extrinſecum realiter illi accidat. Ergo eſt impoſſibile, dari in Deo relationem prædicamentalem ad creaturas, ſecundùm realitatem. Non eſt autem abſurdum, quòd concipiatur, illam Deo aduenire ſecundùm noſtrum modum concipiendi, quia noſtra cognitio, cùm ſit illi omninò extrinſeca, & nihil ponat in obiecto, nullam in Deo facit mutationem intrinſecam. Sed per illam concipitur à nobis Deus vt relatus ad creaturas, licèt verè non ſit relatus, tali genere relationis. Ergo per talem noſtram cognitionem reſultat in Deo aliqua relatio ad creaturas, quæ cùm nullum dicat in illo reale fundamentum, in quo fundetur, ideo & meritò non dicitur realis, ſed rationis, quatenùs totum ſuum eſſe habet à noſtra ratione, qua ceſſante, ceſſat quoque relatio.

Quia tamen eſt ſumma perfectio diuini eſſe, quòd omnia ab illo diſtincta, pendeant ab eo, quoad eſſe in fieri, & con-

conſeruari, & quoad cognoſci, in ratione termini neceſſariò cognoſcibilis, ideo eſt ſumma eius perfectio, quòd ſit omnium dominus, omnipotens, & omniſcius. Sed quia vt dominus, neceſſariò, & eſſentialiter connectitur cum ſubditis, ſiue exiſtentibus, ſiue poſſibilibus, & vt omnipotens, cum eorum producibilitate, & conſeruabilitate: & vt omniſcius, cum eorum paſſiua cognoſcibilitate, ideo neceſſariò, & eſſentialiter ad illos refertur, vt naturali ſubiectione ad ſuum nutum pendentes, vt à ſe producibiles, & deſtruibiles, & vt cognitos. Hic autem reſpectus, vtpote fundatus in ſumma illius perfectione, quoad dominium, potentiam, & cognitionem, non poteſt eſſe illi extrinſecus, & accidentalis, vt patet. Ergo debet eſſe illi adæquatè intrinſecus, & eſſentialis, quod eſt proprium reſpectus tranſcendentalis, taliter dicti, non quia tranſcendat per omnia, vt ſunt termini tranſcendentales, ſed quia tranſcendit prædicamentum. Atque adeo quando diximus, non dari in Deo reales reſpectus ad creaturas, locuti ſumus de ſolis prædicamentalibus, de quibus tantùm loquuntur authores, vt colligitur ex S. Tho: q. 4. de ver. ar. 5. dicente, *quia Pater principaliter dicit ſe generando Verbum ſuum, & ex conſequentia creaturas, ideo principaliter, & quaſi per ſe Verbum refertur ad Patrem; ſed ex conſequenti, & quaſi per accidens refertur ad creaturam;*

ac-

accidit enim Verbo, vt per ipſum creatura dicatur, quæ non poſſunt exponi, niſi de prædicamentali, quæ ſola accidit fundamento.

Vnde facile poſſunt opiniones conciliari. Nam qui negant in Deo relationem realem ad creaturas, debent exponi de prædicamentali; & alij illam admittens, de tranſcendentali; & ſic nullo negotio ſoluuntur obiecta Ariminenſis.

Ad opinionem Caietani, dico fieri non poſſe, vt Deus realiter referatur ad creaturas, per reſpectum exiſtentem in ipſa creatura. Nam hic reſpectus, vtpote Deo extrinſecus, non poſſet eſſe illi tranſcendentalis; neque poſſet eſſe prædicamentalis, de cuius ratione eſt, vt ſit in vtroque extremo inadæquatè, vt probauibus ar. cit. Ergo neuter eſſet. Ad authoritates allatas dico, Philoſophum, & Angelicum eſſe exponendos de relatione prædicamentali ſecundum rationē tantùm. Ex eo enim quòd A. referatur prædicamentaliter ad B. ſtatim noſtra ratio concipit in ipſo B. reſpectum ad A. vt docet ipſe diuus Tho: lib. 2. con. Gen. c. 13. dicens, *cùm relationes, quibus Deus ad creaturas refertur, nō ſint in ipſo realiter, & tamen dicuntur de Deo, relinquitur quòd ei attribuantur ſecundùm ſolum intelligentis modum, ex eo quòd alia referuntur ad ipſum. Intellectus enim noſter, intelligendo aliquid referri ad alterum, eo intelligit relationem illius ad ipſum.* Ergo nullo modo fauēt Caietano.

Di-

Dices, relationes ad intra ſunt prædicamentales in Deo, licet ſint adæquatè in fundamento. Ergo doctrina allata non eſt vera.

Nego antecedens. Dico enim, relationem paternitatis e.g. ita eſſe totam in ſolo Patre, vt ſit illi eſſentialis, & conſtitutiua in eſse Patris, ſicut relatio filiationis eſt tota in Filio, cui eſt eſsentialis, & conſtitutiua. Ergo vtraque eſt tranſcendentalis: & ideo Pater eſt ad Filium, vt ad terminum ſibi extrinſecum, qui nullo modo conſtituit paternitatem, ſed illam purè terminat, ſicut pater purè terminat relationem filiationis, quam non conſtituit. Quod idem dico de proceſſione.

Supereſset hic agitare, an diuinæ relationes ratione ſui formaliter dicant perfectionem? Sed quia de hoc fusè egimus in diſp.met.lib.1 diſp.1.ar.4.& 5.& multa dicemus diſp.10. ideo nè eadem repetamus, hic miſsa facimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An poſſit ſuſtineri error Gilberti Porretani, de diſtinctione reali ſimpliciter, relationum ab eſsentia?

GIlibertus Porretanus Pictauienſis Epiſcopus dicebat, diuinas relationes non eſſe interiùs inſiſtentes, ſiue infixas, ſed exteriùs aſſiſtentes, ſiue affixas eſſentiæ. Vnde videbatur inferre, illas diſtingui realiter, & ſecundùm rem ab eſſentia. Quamuis enim diuus Thomas hic q.28.ar.2.conetur illum excuſare, dicendo, *ſed Gilibertus Porretanus conſiderauit relationem primo modo tãtùm*, hoc eſt ſecundùm *eſse ad*, cum dixiſſet, *ratio propria relationis non accipitur ſecundùm comparationem ad illud, in quo eſt, ſed ſecundùm comparationem ad aliquid extra*. Vnde concludit, *ſi conſideremus etiam in rebus creatis relationes, ſecundùm id, quod relationes ſunt, ſic inueniuntur eſse aſſiſtentes, non intrinſecùs affixa, quaſi ſignificantes reſpectum quodammodo contingentem ipſam rem relatam, prout ab ea tendit in alterum*. Quod repetit in 1.d.33. qu.1. ar.1. Idem conantur Alenſis in 1. q. 68. memb.5.ar.6.§.3.dicẽs,*non eſt probabile, tàm peritos viros hæreſim ſenſiſse, licèt verba eorum viderentur aliquibus hæreſim ſonare; nec fuit inter eos contradictio* ſe-

ſecundùm rem, vel ad intellectum. Vnde concludit etiam ipſe, Gilibertum locutum de relationibus ſecundùm *eſſe ad*, & Vaſquez, qui diſp. 120. c. 1. & 2. ait, illum admiſiſſe ſolam diſtinctionem formalem inter eſſentiam, & relationes. Quamuis (inquam) hi authores ita ſenſerint, tamen hæc opinio pròut iacet, hìc in examen vocatur. Prò ſolutione quæremus 1. an verè ita ſenſerit Gilibertus? Et deinde an bene, & verè ſenſerit?

1. Concluſio, *Gilibertus Porretanus verè, & abſque fuco admiſit realem diſtinctionem inter eſſentiam, & diuinas relationes.*

Probatur 1. Albertus 1. p. ſummæ qu. 39. memb. 2. ar. 1. loquens de Porretano ait, *dicit quod proprietas nec eſſentia eſt, nec perſona, nec eſt propriè res, ſed ratio ſumpta ex comparatione rei ad rem*. Et clariùs in 1. d. 33. ar. 5. poſt med. contra illum excuſantes ait, *quidam modernorum dicunt, tàm peritum virum non erraſſe. Sed quia hæreſis hæc ab ore authoris ſui in Concilio Rhemenſi damnata eſt, ideo &c.* 2. Diuus Bonauentura in 1. d. 33. q. 1. ſub init. *Hæc poſitio rationabilis aliquo modo, tamen ſtare non poteſt, quia ponebat, relationes in diuinis nec Deum eſſe, nec creaturam. Vnde etiam in principio ſui modicum continet errorem, tamen ducebat ad magnum; & ideo retractata fuit in Concilio Rhemenſi; & magiſter Gilibertus Porretanus*

nus

nus ore proprio retractauit. 3. Diuus Bernardus ſer.80.in Cantica ſub fin.hæc habet, *nuper in Concilio, quod Papa Eugenius Rhemis celebrauit, Gilbertus Epiſcopus Pictauienſis ſententiæ Epiſcoporum humiliter acquieſcens, tam hæc, quàm cætera digna reprehenſione inuenta, proprio ore damnauit*. 4. Idem conſtanter aſſerunt Egid.in 1.d.33.p.1.qu.2. Henricus quodl. 5.q.6. Aureolus in 1. d. 33.q. vn. ar.1. §.3. Riccardus, & communiter omnes alij theologi, qui vnanimiter aiunt, hanc fuiſſe Porretani ſententiam, licèt ab eo poſtea retractatam. Quare dubitare de hoc, eſt notam inurere omnibus calumniæ, & falſitatis. 5. Probatur euidenti ratione, ſi Porretanus non fuiſſet in tali hæreſi, non acceptaſſet in ſe vnanimem, & definitiuam ſententiam Rhemenſis Concilii, nec illam vt ſuam retractaſſet, ſed coram omnibus dicens de calumnia, ſuam potiùs innocentiam defendiſſet. Ergo verè incidit in hunc errorem, quem fusè proſequitur Magiſter in 1. d. 33. & 34. & cum eo vniuerſa cohors theologorum.

2. Concluſio, *Hæc opinio eſt omninò erronea, cùm ſit de fide, diuinas relationes eſſe realiter identificatas cum eſſentia.*

Probatur prima pars, non ſolùm ex dictis, ſed etiam quia Magiſter in 1. d. 34. litt. A. loquens de hac opinione, ſuppreſſo authoris nomine, ait, *quidam per-*

peruerſi ſenſus homines in tantam proſiluerunt inſaniam, vt dicerent, non idem eſſe naturam Dei, & perſonam, ſiue hypoſtaſim. Et diſt. 33. litt. F, *Hæreticorum improbitas inſtinctu diabolica fraudolentia excitata, nondum quieſcit, &c.* Et paſſim à theologis vocatur temeraria, erronea, hæreſis, & hæreticorum inuentum. Ergo non poteſt ſuſtineri.

Probatur ſecunda pars 1. Definitum fuit in Concil. Rhemenſi ar. 3. *credimus ſolùm Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum æternum eſſe, nec aliquas omninò res, ſiue relationes, ſiue proprietates, ſiue vnitates dicantur, eſſe in Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus*, vt videre eſt penès Othonem Friſigenſem lib. 1. de geſtis Friderici c. 56. ſub finem. Neque obſtat, quòd illud Concilium, ob temporum peruerſitatem, non fuerit à Romano Pontifice confirmatum. Nam illi præſens interfuit ipſe Eugenius Tertius, cum diuo Bernardo, qui acceptarũt retractationem Porretani, & Pontificis Romani præſentia multum illi contulit authoritatis. Non eſſent autem Deus, ſi diſtinguerentur realiter ab eſſentia, quę eſt deitas. Ergo &c.

2. Definitum fuit in Conc. Later. ſub Innoc. 3. in cap. 2. *damnamus* aduersùs Abbatem Ioachim, *vna res eſt, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas, quia qualibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet*

ſub-

ſubſtantiam, eſsentia, ſiue natura diuina. Sed admiſſa diſtinctione reali eſſentiæ à relationibus, daretur quaternitas. Ergo illam adſtruere eſt erroneum.

3. Concilium Toletanum vndecimum in profeſſione fidei definit, loquendo de diuinis Perſonis, *hoc ſolo numerum inſinuant, quòd ad inuicem ſunt; & in hoc, numero carent, quod in ſe ſunt*. Ergo quia ſunt in ſe per comparationem ad eſſentiam, in ordine ad illam non diſtinguuntur realiter; aliter facerent numerum.

4. Quidquid realiter diſtinguitur à diuina eſſentia, realiter non eſt deitas. Sed quidquid non eſt realiter deitas non eſt Deus, ſed creatura, eò quia ſit realiter non Deus. Ergo quidquid realiter diſtinguitur ab eſſentia, non eſt Deus, ſed creatura. Ergo ſi diuina relatio diſtingueretur realiter ab eſſentia, non eſſet diuina, adeòque non adoranda cultu latriæ, nec poſſet cantari ab Eccleſia, *vt in Perſonis proprietas, & in maieſtate adoretur æqualitas*.

5. Diſtinctio realis eſt formaliter diſſenſus intrinſecus in prædicatis perfectiuis, ratione cuius vnum extremum poſſit in recto negari de alio, vt probauimus in diſp. met. lib. 1. diſp. 1. ar. 2. Sed relatio diuina in nulla perfectione diſcrepat ab eſſentia, & poteſt in recto affirmari de illa, cùm poſſit verè dici, *paternitas eſt eſsentia*. Ergo ab illa realiter non diſtinguitur.

6. In

6. In diuinis omnia ſunt vnum, & idem, inter quæ non datur oppoſitio relatiua, vt eſt commune proloquium theologorum. Sed inter eſsentiam, & relationes nulla datur oppoſitio relatiua, cùm ad inuicem non referantur; neque enim relationes referuntur ad id, in quo ſunt, ſed ad terminum. Ergo ſunt vnum, & idem.

Supereſset nunc ſoluere eius fundamenta, quibus niſus in errorem prolapſus eſt. Sed quia illa partim ſoluimus ar.7.& 8. primæ diſp.& partim ſoluemus infra, impugnando Durandum, & Scotum, cum quorum coincidunt fundamentis; ideo hæc contra Porretanum dicta ſint ſatis.

ARTICVLVS II.

An ſit vera opinio Durandi de diſtinctione reali modali relationum ab eſsentia?

DVrandus in 1.d.5.q.1.n.6.& 8.& d.33.q.1. vt ex vna parte euitaret abſurda, quæ intulimus ex diſtinctione reali relationum ab eſsentia; & ex alia putans, puram diſtinctionem rationis non ſufficere, ad ſaluandas plures catholicas veritates de Trinitate, dixit, illas non diſtingui realiter ſimpliciter, tamquàm rem à re, ſed realiter modaliter, tamquàm modum à re. Et ideo nu. 23. concludit, *neceſsarium eſt dicere, quod diffe-*

differant aliquo modo realiter, ſaltem ſecundùm quid, & cum determinatione. Quod explicat deinde n. 30. *aut quia non ſunt idem adæquatè, & conuertibiliter, aut quia differunt ſicut res, & modus rei, aut quia differunt formaliter, & ex natura rei.*

Eius fundamentum eſt, ſecluſa omni operatione intellectus, relatio diſtinguit, & non eſsentia: item eſsentia eſt communicabilis, & non relatio. Ergo diſtinguuntur realiter, nè dicamus, eidem realiter conuenire contradictoria. Non poſsunt autem diſtingui realiter ſimpliciter, quia relatio nullo modo eſſet eſsentia. Ergo diſtinguuntur realiter modaliter, hoc eſt inadæquatè, & non conuertibiliter.

Concluſio, *Diuinæ relationes non diſtinguũtur ab eſſentia diſtinctione modali reali, vt ſomniauit Durandus.*

Probatur 1. Omnis modus realiter diſtinctus eſt realitas quædam minimæ entitatis, realiter ſuperaddita rei, quam modificat, ita eſsentialiter illi affixa, vt illi inhæreat per veram dependentiam ab ipſa, tamquàm à vera cauſa, & ſubiecto inhæſionis, vt fusè probauimus in diſp. met. lib. 1. diſp. 2. ar. 1. Ergo de ſua ratione formali intrinſeca multas dicit imperfectiones, quæ diuinis repugnant. Atque adeo Durandus, vt euitaret abſurda Porretani, incidit in peiora.

2. Omne realiter modaliter ſuperadditum facit numerum, & phyſicam com-

poſitionem cum eo, cui ſuperadditur, vt patet in vbicatione, duratione, &c. Ergo ſi diuinæ relationes eſſent realiter modaliter ſuperadditæ eſſentiæ, facerent numerum cum eſſentia, qui neceſſariò induceret quaternitatem Perſonarum, & phyſicam compoſitionem in Perſonis. Sed primum damnatum fuit in Abbate Ioachim à Conc. Lateranenſi, ſub Innoc. 3. in c. *damnamus* de ſumma Trin. vt retulimus ar. 1. contra Porretanum: & ſecundum tolleret diuinam ſimplicitatem. Ergo diuinæ relationes non ſunt modi realiter diſtincti ab eſsentia. Neque obſtat quòd illas dixerimus eſse quatuor; ſiquidem cùm non diſtinguantur realiter à Perſonis, & hæ ab eſſentia, non faciunt damnatam quaternitatem. Bene Ergo concludit S. Bernardus lib. 5. de conſider. ſub med. *Perſonarum proprietates non aliud quàm perſonas, ipſaſque non aliud, quàm vnum Deum, vnam diuinam ſubſtantiam, vnam naturam, vnam, & ſummam maieſtatem fides catholica confitetur.*

3. Io. 10. dicitur, *ego, & Pater vnum ſumus*: Et eiuſd. ep. 1. c. 5. *tres ſunt Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt*. At ſi relationes eſſent modi realiter diſtincti ab eſsentia, nullo modo eſsent vnum; neque enim eſsent vnum in ſe, quia ſunt plures ratione oppoſitionis, neque in eſsentia, cum qua facerent numerum, eo modo quo vbicatio, duratio, & actio non ſunt vnum in

eadem ſubſtantia creata. Ergo diuinæ relationes non diſtinguuntur ab eſsentia modaliter realiter.

Ad fundamentum Durandi nego conſequentiam. Ad cuius probationem dico, ad realem diſtinctionem, etiam modalem, non ſufficere prædicabilitatem contradictoriorum, quæ ſaluatur per diſtinctionem virtualem, ſed requiri mutuam negabilitatem in recto, & diſcrepantiam in prædicatis perfectiuis, vt probauimus in diſp. met. lib. 1. diſp. 1. ar. 2. Quia ergo hæc non dantur in relationibus, reſpectu eſsentiæ, ideo ab illa non diſtinguuntur realiter modaliter.

Dices, verè affirmatur de eſsentia, quòd ſit aliquid communicabile; & hoc verè negatur de relationibus. Ergo poſſunt mutuò in recto negari, cùm poſſit dici, hoc communicabile non eſt illud incommunicabile, & viceuerſa. Ergo ex hoc capite non poteſt inter illas excludi diſtinctio realis modalis.

Nego conſequentiam. Primò quia eſse communicabile, vel incommunicabile, non dicit ratione ſui formaliter perfectionem, ſicut diximus alibi de terminationibus liberis. Ergo diſcrepantia in his non eſt diſcrepantia in prædicatis perfectiuis; adeòque non inducit, niſi diſtinctionem rationis. Deinde quando dicitur, *hoc communicabile*, vel accipitur ly *hoc* vt ſupponit prò eſsentia, quatenus eſt à parte rei, ſecundùm omnia eius prædicata; vel prò eſsentia vt

præciſa à relatiuis? Si primum, falſum dicitur, cùm omne quod eſt eſſentia, ſecundùm realitatem, ſit communicabile. Si ſecundum, iam inuoluitur præciſio intellectus. Ergo non probatur per hoc diſtinctio à parte rei, ſed ſolùm per intellectum. Eſſentia igitur à parte rei, propter identitatem realem cum abſolutis, & reſpectiuis, aliquo modo diſtinguit, & eſt incommunicabilis, & àliquo modò non diſtinguit, & eſt communicabilis, ſecundùm diuérſam acceptionē, quoad abſoluta, vel reſpectiua per talem acceptionem reduplicata.

Vrgebis, Pater nullo noſtro intellectu cogitante, generat filium, quem eſſentia non generat. Ergo diſtinguuntur à parte rei.

Nego conſequentiam. Quamuis enim per ly *nullo intellectu cogitante*, videatur excludi ab eſſentia in his, & ſimilibus prędicationibus, omnis pręciſio formalis, & obiectiua, tamen reuera ſemper illa inuoluitur; adeòque fit ſuppoqtio ſeipsā deſtruens. Vt autem hoc euidenter pateat, transferamus eumdem modum arguendi ad materiam creatam, & apparebit fallacia. Verè dicitur, Petrus eſt incommunicabilis, & homo eſt communicabilis; & tamen Petrus, & homo non diſtinguuntur à parte rei, quia ly *homo*, cum dicitur communicabilis, accipitur vt abſtractus à Petreitate; aliter eſſet falſum, quòd homo ſit communicabilis, cùm homo Petrus non ſit communicabilis.

bilis. Sicut etiam verè dicitur *Deus generat*, quia ly *Deus* accipitur vt contractus ad Perſonas, non tamen verè dicitur *Deitas generat*, quia ly *Deitas* accipitur vt forma abſtracta à ſuppoſitis. Idem dico de eſſentia, de qua non poteſt verificari quòd ſit communicabilis, niſi accipiatur vt præciſa, & abſtracta à relationibus. Numquam igitur à parte rei, præciſo omni reſpectu ad intellectum, inter eſſentiam, & relationes datur mutua negabilitas, ſeu prædicabilitas contradictoria. Atque adeo quia ſemper præſupponit præciſionem formalem, vel obiectiuam, non infert aliam diſtinctionem, quàm rationis.

ARTICVLVS III.

An relatio diuina diſtinguatur ab eſſentia, diſtinctione formali Scotiſtica, ſiue ex natura rei?

Videtur diſtingui, vt propugnat Scotus in 1.d.2.q.7. & d.8.q.4. quem ſequuntur præter omnes aſsclas, etiam Ochamus in 1.d.2.q.1. litt. F. Marſili, Lichetus, & Gabriel in 1.d.33. qui omnes dicunt, diuinas, relationes, ante omnem operationem intellectus, eſse quidem realiter idem cum eſsentia, tamen diſtingui pluſquàm ratione, diſtinctione aliqua media, quam vocant formalem, ſeu ex natura rei. Verùm quia hanc diſtinctionem fusè reiecimus in

diſp, met.lib.1.diſp.2.ar.4. ideo in eius confutatione non immorabimur, ſed ſolùm aliqua pauca ſubnectemus.

Arguit ergo 1. Scotus, vel relationes ſunt de eſsentia naturæ diuinæ, vel non? Si primum. Ergo cum communicatur natura, communicantur relationes, & ſic Filio communicatur paternitas, & Spiritui Sancto paternitas, & Filiatio, quòd tolleret Perſonarum diſtinctionem. Probatur conſequentia, nam illis non communicatis, non communicaretur tota eſsentia. Si ſecundum, ergo formaliter ab illa diſtinguuntur. Cùm ergo hoc accidat ante omnem operationem intellectus, ly *formaliter* dicit diſtinctionem ex natura rei.

2. Perſonæ non differunt in eſsentia, quæ eſt omnibus communis. Ergo ſi relationes, quæ ſunt earum proprietates, ſunt eſsentia, Perſonæ non differunt in relationibus. Ad hoc ergo vt differant in proprietatibus, debent hæ differre ab eſsentia.

3. Eſſentia diuina eſt formaliter in ſuppoſito Patris, in quo non eſt formaliter Filiatio; aliter ſicut per eſſentiam in ſe exiſtentem, eſt formaliter Deus, ita per filiationem in ſe exiſtentem, eſset formaliter Filius, quod eſt erroneum. Ergo eſsentia diſtinguitur formaliter à filiatione, etiam nemine cogitante.

Conclusio, *Relationes diuinæ non diſtinguuntur ab eſſentia diſtinctione forma-*

mali, ſiue ex natura rei, in ſenſu Scotiſtarum.

Probatur, Omnis diſtinctio reducitur neceſsariò vel ad realem, vel ad diſtinctionem rationis, vt fusè probauimus contra Scotum in diſp.met.lib.1. diſp.2. ar.4. vbi ſoluimus præcipua illius fundamenta. Ergo cùm diſtinctio hæc media ſit purum figmentum, non poſsunt per illam relationes diſtingui ab eſsentia. Cætera vide in loc.cit.

Ad 1. Dico, relationes vt formaliter tales, non eſse de conceptu formali eſſentiæ, ſeu naturæ diuinæ, non tamen formaliter ab illa diſtingui, in ſenſu Scoti, ſed ſolùm quatenùs dicunt ab illa diſtinctionem virtualem intrinſecam, de qua infra. Quia ergo eſsentia includitur in conceptu relationis, & non econuerſo, ideo ex vna parte non diſtinguuntur diſtinctione ex natura rei, de cuius ratione eſt, vt extrema dicant mutuam excluſionem, & negabilitatem in recto; & ex alia non ſunt omninò idem; & ideo diſtinguuntur virtualiter intrinſecè. Et ratio eſt, quia (vt docet Angelicus 1.p. q.33.ar.3. ad 1.) *communia abſolutè dicta, ſecundùm ordinem intellectus noſtri, ſunt priora, quàm propria, quia includuntur in intellectu propriorum, ſed non econuerſo; in intellectu enim Perſona Patris intelligitur Deus, ſed non conuertitur.* Dico ergo, totam eſsentiam communicari, vt eſt formaliter eſsentia, & ideo communicantur omnia abſoluta, in

quibus formaliter, & metaphyſicè conſiſtit eſsentia, non tamen vt eſt realiter eſsentia, quia non communicantur reſpectiua. Affero exemplum in generatione humana, cum Paulus gignit Petrum, illi communicat totum naturam, quam habet, non tamen communicat Pauleitatem, licèt cum illa realiter identificatam, eò quia communicatio per viam originis, terminetur ad abſoluta, & non ad reſpectiua.

Dices, Natura humana Pauli non eſt idem realiter cum natura humana Petri, niſi extrinſecè, & impropriè, quatenus videlicèt propter ſimilitudinem, & conuenientiam obiectiuam prædicatorum, admittunt eamdem definitionem formalem. Cæterum cùm verè faciant numerum phyſicum, propter realem diſtinctionem, vna non eſt realiter alia. Ergo exemplum allatum non eſt ad rem, cùm non communicetur eadem numero natura, ſed ſolùm eadem ſpecie, quæ propriè non eſt identitas, vt probauimus in diſp. met. lib. 1. diſp. 1. ar. 2. ſub finem. At in Deo eadem numero natura communicatur. Sed eſt impoſſibile, quòd ex duobus realiter identificatis, vnum communicetur, & non aliud. Ergo vel communicantur relationes, vel hæ diſtinguuntur formaliter ab eſsentia.

Reſpondeo, verum eſse, in omnibus non currere paritatem, quod non requiritur in exemplis; currere tamen in hoc, quòd ſicuti poteſt formaliter communica-

cari Petro filio natura ſpecifica Pauli patris, non communicata ratione ſuppoſitali, & indiuiduali, quamuis hæc ſit de introneitate Pauli generantis; ita poteſt Pater æternus communicare Filio ſuam numericam eſſentiam, non communicata paternitate, quamuis hæc ſit de introneitate Patris generantis.

Vrgebis, & difficiliùs, ideo poteſt Paulus communicare naturam ſpecificam, non communicata Pauleitate, quia non communicat ſuam naturam, vt ſingularizatam ad ſuum indiuiduum, ſed vt abſtractam à ſingularibus. Sed Pater æternus communicat Filio naturam diuinam, vt eſſentialiter ſingularem. Ergo niſi admittatur hæc diſtinctio, communicat paternitatem.

Retorqueo argumentum, Paulus communicat Petro naturam, vt abſtractam. Ergo eamdem, quam in ſe habet, adeòque ſuam, quia natura vt abſtracta eſt vna, & eadem in omnibus, & non pluralizatur, niſi per contractionem ad rationes inferiores. Idem poſſumus dicere de natura diuina, quæ non communicatur Filio, vt contracta ad paternitatem, ſed vt virtualiter ab illa præciſa. Et ideo diximus diſp. 8. naturam diuinam habere rationem quaſi termini cõmunis, quia vt talis non inuoluit formaliter relationes, quæ habent rationes quaſi differentiarum inferiorum, illam quodammodo contrahentium. Sicut ergo natura Pauli, vt Pauli, eſt intrinſe-

eè, & eſſentialiter ſingularis, quia dicit contractionem ad Pauleitatem, & tamen poteſt communicari vt abſtracta; ita quamuis natura diuina ſit eſſentialiter ſingularis, poteſt communicari, vt abſtracta per præciſionem virtualem, & obiectiuam, vt meliùs patebat infra.

Ad 2. Nego conſequentiam. Quamuis enim relationes ſint realiter eſſentia, quia tamen habent diuerſam definitionem formalem, ideo non ſunt formaliter idem, vt docet Angelicus in 1. d. 33. q. vn. ar. 1. ad 3. *In diuinis eſt alia ratio paternitatis, & eſſentiæ; non ſecundùm quòd ratio eſt in ratiocinante tantùm, ſed ſecundùm quòd ſignificat definitionem rei. Quamuis enim in diuinis non poſſit eſſe definitio, nec genus, nec differentia; tamen ſi intelligatur ibi aliquid definiri, alia erit definitio paternitatis, & alia definitio eſſentiæ.*

Ad 3. Nego conſequentiam, cùm totum hoc haberi poſſit per ſolam diſtinctionem virtualem, ratione cuius poſſunt de realiter identificatis verificari contradictoria, vt videbimus.

ARTICVLVS IV.

An relationes diſtinguantur ab eſſentia diſtinctione rationis ratiocinata?

Videntur diſtingui, vt paſſim docent Thomiſtæ, Primò quia Athanaſ. dia-

dialog. 1. de Trin. ſub init. ait, *aliud eſt hypoſtaſis, & aliud deitas, non vt alia, & alia res, ſed quòd hypoſtaſis quidem aliud, aliud verò deitas ſignificet. Nam eſſentia declarat communitatem, & ſi-quid eſt eſſentiæ proprium, id quoque commune eſt hypoſtaſibus, quæ eſſentiæ ſubſunt. Hypoſtaſis autem præterquam-quòd numerum admittit, proprietatem habet minimè communem hypoſtaſibus, quæ ſubſunt eſſentiæ.* Ergo tota earum diſtinctio habetur per intellectum diſtinguentem, ſecundùm diuerſum modum ſignificandi vnum præ alio.

2. In Concilio Florentino ſeſſ. 18. vtraque Eccleſia Latina, & Græca conuenit in hoc, quòd relationes diſtinguerentur ab eſſentia per ſolàm rationem. Ergo oppoſitum dicere eſt erroneum. Probatur antecedens, nam poſtquàm Ioannes Latinus profeſſus eſt, *diuina ſubſtantia, & Perſona re quidem ſunt idem, ſecundùm autem modum intellectionis noſtræ differunt*, Marcus prò Græcis reſpondit, *in communi tùm Græcorum, tùm Latinorum doctorum theologia, multum differt ſimpliciter proferre diuinam ſubſtantiam, vel Patris, Filijque ſubſtantiam, haudquaquam tamen eo proferre debetis, vt re differant, quandoquidem ſola ratione, ac intelligentia differre creduntur.*

3. Quæ ſunt re omninò idem, nullam admittunt actualem diſtinctionem, ante omnem operationem intellectus. Sed

relatio, & eſſentia ſunt re omninò idem. Ergo nullam admittunt actualem diſtinctionem, ante omnem operationem intellectus. Maior eſt certa, cùm omnimoda identitas excludat omnem actualem diſtinctionem. Minor probatur, in Cōc. Later. ſub Innoc. 3. cap. *damnamus* de ſum. Trin. ſic definitur, *licèt alius ſit Pater, alius Filius alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud, ſed id, quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino*. Et Aug. 7. de Trin. c. 6. ait, *non aliud eſt Deo eſſe, aliud perſonam eſſe, ſed idem omnino*. Ergo habent omnimodam identitatem, ſeu identitatem omnibus modis.

Concluſio, *Relationes diuinæ non diſtinguuntur ab eſſentia ſola diſtinctione rationis, ſiue ratiocinantis, ſiue ratiocinata.*

Probatur prima pars, ea quæ diſtinguuntur ſola ratione ratiocinante, ceſſante rationis ratiocinatione, non diſtinguuntur, cùm ſit impoſſibile, haberi effectum formalem ſine cauſa formali. Sed ceſſante hac diſtinctione, ceſſaret diſtinctio Perſonarum. Ergo diſtinctio Perſonarum eſſet opus puræ rationis; adeòque Trinitas eſſet figmentum, & non aliquid reale, quod eſt hæreticum. Probatur minor, diſtinctio Perſonarum fundatur in hoc, quòd in reali communicatione naturæ diuinæ, non communicentur realiter proprietates, ſeu relationes. Sed ſi hæ ſint omninò idem cum na-

natura, nec diſtinguantur, niſi ratione ratiocinante, non poſſunt non communicari cum natura, cùm ſit impoſſibile, communicari vnum, & non aliud ex pluribus ex ſe nullam habentibus actualem diſtinctionem, vt patet; aliter poſſet Petro communicari humanitas, non communicata rationalitate. Ergo admiſſa hac ſola diſtinctione, rueret fundamentum Sanctiſſimæ Trinitatis; atque adeo debent diſtingui pluſquàm ratione ratiocinante.

Probatur ſecunda pars 1. Diſtinctio rationis ratiocinatæ datur etiam inter perfectiones abſolutas, quarum diuerſa munera, & connotata dant fundamentũ intellectui, ad diſtinguendam vnam ab alia. Ergo non plus diſtinguerentur ab inuicem relatio, & eſſentia, quàm diſtinguantur æternitas ab omnipotentia, & miſericordia à diuina iuſtitia. Sed hoc ferret idem abſurdum, quod mox impugnauimus, primò quia ſicut eſt impoſſibile, communicari æternitatem, quin communicetur omnipotentia, ita eſſet impoſſibile, communicari eſſentiam, quin communicentur proprietates. Deinde quia ſicut omnipotentia, & ſapientia non faciunt numerum, ita nec facerent proprietates, vnde corrueret Trinitas Perſonarum.

2. Hoc fundamentum, quod induceret intellectum, ad diſtinguendos relationes ab eſſentia, vel ante omnem operationem intellectus, aliquam in ſe inclu-

cluderet actualem diſtinctionem obiectiuarum formalitatum, vel non? Si primum, ergo huiuſmodi obiectiuæ formalitates non actu diſtinguuntur, per rationem actu operantem, ſed ſupponuntur diſtinctæ, earumque obiectiua diſtinctio manuducit intellectum, ad earum obiectiuam præciſionem. Atque adeo præter diſtinctionem rationis ratiocinatæ, eſt admittenda in ipſo obiecto aliqua alia actualis diſtinctio, in qua illa fundetur. Si ſecundum, ergo non poſſunt obiectiuè præſcindi, vt fusè probaui in logica lib. 2. diſp. 3. ar. 3. concluſ. 3. Atque adeo neque diſtinguuntur ratione ratiocinata, quod reuocaret abſurdum impugnatum. Videatur locus citatus, nam ex profeſſo difficultas examinatur.

3. Diſtinctio rationis ratiocinatæ dicit formaliter ſolos conceptus formales ſpecie differentes, vt probaui in diſput. met. lib. 1. diſp. 2. ar. 2. Et ideo dicimus, tali diſtinctione diſtingui Petrum ab homine, & hominem ab animali. Ergo ſupponit aliquam diſtinctionem in ipſo obiecto, ratione cuius illud non attingit adæquatè, ſed ſolùm inadæquatè. De hac autem diſtinctione redit argumentum; nam vel erat actu, ante ipſos conceptus inadæquatos, vel non? Si primum, ergo non ponitur formaliter per ipſos conceptus; & ſic eſt purè obiectiuè, & non rationis. Si ſecundum, ergo ponitur formaliter per ipſos conceptus formales; & ſic eſt rationis ratiocinantis,

&

& non ratiocinatæ, ſicut ponitur inter hominem, & animal rationale, quod faceret Trinitatem purum figmentum, tollens ab illa omne realitatem.

Ad 1. Nego conſequentiam. Et dico, Athanaſium in tali loco ſolùm excludere alietatem realem, inter eſſentiam, & relationes; non autem virtualem intrinſecam; & ideo ait, hypoſtaſim, & deitatem non eſſe aliam, & aliam rem, quod ſolùm conuenit realiter diſtinctis, ſed ſignificare aliud, & aliud, hoc eſt duas formalitates obiectiuas virtualiter intrinſecè diſtinctas. Ergo per ipſum non diſtinguuntur per diuerſum modum ſignificandi; ſed ſecundùm rem ſignificatam. Et ideo ſubdit, eſſentiam exprimere aliquid commune, & hypoſtaſim proprietatem. Sicut ergo incluſum diſtinguitur ab includente, ita hypoſtaſes, quæ ſubſunt eſſentiæ, ab illa diſtinguuntur, vt rationes inadæquatæ ab adæquata. Quare hoc teſtimonium eſt contra ipſos.

Ad 2. Nego conſequentiam. Ad authoritatem Florentini dico primò, Concilium ſuper hoc nihil definiuiſse, ſed ſolùm per tacitum conſenſum, per modum doctoris priuati, approbaſse dicta Ioannis, & Marci exponentium ſenſum Latinorum, & Græcorum Doctorum, qui tali Concilio interfuerunt. Ergo hæc doctrina non eſt de fide; aliter Scotiſtæ illam apertiſſimè impugnantes, eſſent hæretici, quòd à Romana Eccleſia non

non tolerare:ur. 2. Dico, à Florentino fuiſse ſolam excluſam diſtinctionem realem, & admiſsam diſtinctionem rationis ſecundùm genus, non autem fuiſſe determinatam ſpeciem rationis ratiocinatæ. Cū ergo etiam diſtinctio virtualis intrinſeca ſit ſpecies diſtinctionis rationis, vt fusè probauimus in diſp. met. l. 1. diſp. 2. ar. 2. ideo illam admittere, non eſt contra Florentinum. Neque obſtat, quòd dicatur eſſe ſecundùm modum noſtrę intellectionis; nam ar. ſeq. oſtendemus quomodo hoc ſit.

Ad 3. Nego minorem, quia ſi relatio nullo modo diſtingueretur ab eſſentia, non poſſet non communicari in communicatione eſſentiæ; aliòquin de eodem omnibus modis verificarentur realiter, & formaliter contradictoria, ſecundùm idem, quod eſt impoſſibile. Sed ſi communicaretur relatio, tolleretur omnis diſtinctio Perſonarum, quæ adæquatè diſtinguuntur ab inuicem per relationes, vt infra patebit. Ergo relatio non poteſt eſſe idem cum eſſentia, omnimoda identitate, ſed debet ita eſſe idem, ſecundùm realitatem, vt ſimul ab illa diſtinguatur aliquo modo. Ad authoritatem Lateranenſis dico, illud loqui de identitate reali, cui conſonat Auguſtinus. Cùm ergo hæc ſit compatibilis cum aliqua diſtinctione virtuali; ideo poſſunt eſse omninò idem ſecundùm realitatem, & diſtingui ſecundùm virtualitatem. Præterquamquòd neque

Con-

Concilium, neque Auguſtinus compa-rent relationes cum eſſentia, ſed eſsen-tiam Patris cum eſsentia Filij, & eſsen-tiam vtriuſque cum eſsentia Spiritus Sancti, quæ ſemper eſt omninò eadem; aliter ſi comparaſsent relationem vnius Perſonæ cum relatione alterius, falſum dixiſsent, eſse omninò idem. Quando ergo dicunt, id quod eſt Pater, eſt Filius, ſunt exponendi ſecundùm eſsentiam, ſe-cundùm quam non eſt aliud eſse Deum, & eſse perſonam, cùm eſsentia perſonæ ſit omninò eadem cum eſsentia Dei.

ARTICVLVS V.

An relationes diuinæ diſtinguantur ab eſſentia virtualiter intrinſecè?

Videntur taliter non diſtingui, Primò quia Diſtinctio virtualis in-trinſeca habetur ſolùm per intellectum actu operantem. Ergo illo non operan-te, non datur. Atqui nullo operante intellectu, relatio diſtinguitur aliquo modo ab eſsentia, vt dictum eſt. Ergo non diſtinguitur diſtinctione virtuali intrinſeca.

2. Hæc diſtinctio vel eſt chimærica, vel reducitur ad vnam ex impugnatis. Si primum, non eſt admittenda, aliter fa-ceret chimæricam Trinitatem. Si ſe-cundùm, redimus ad impugnata. Ergo

per

per illam non ſaluamus quod intendimus. Probatur maior, nam vel datur à parte rei, vel ſolùm per rationem, vel neutro modo? Si primum, ergo eſt realis, vel ex natura rei. Si ſecundùm, ergo eſt rationis ratiocinantis, vel ratiocinatæ. Si tertium, ergo eſt chimærica, cùm ſit impoſſibile, aliqua diſtingui, & non diſtingui à parte rei, vel ratione.

Concluſio, *Relationes diuinæ diſtinguuntur ab eſſentia, ſola diſtinctione virtuali intrinſeca*. Eſt in terminis Egidij Romani qui in 1. d. 33. princip. 1. q. 3. pag. 171. ait, *licèt ſit maior differentia rationis inter relationem, & diuinam eſſentiam, quàm inter eam, & attributa, eo quod in differentia rationis, ea quæ ratione differunt, non oportet differre æqualiter: iſta tamen differentia maior ad realem differentiam non attingit*. Ergo ex vna parte relatio diſtinguitur ab eſſentia non realiter, ſed ratione; & ex alia magis diſtinguitur, quàm eſſentia diſtinguatur ab attributis. Sed ab attributis diſtinguitur formaliter, & extrinſecè per rationem. Ergo eſſentia diſtinguitur à relatione intrinſecè, & virtualiter, quod eſt proprium noſtræ diſtinctionis.

Probatur, cùm hæc diſtinctio ex vna parte ſit compatibilis cum identitate reali, & ex alia detur ante omne opus noſtri intellectus, per cuius ordinem explicatur, optimè ſaluat, quomodo relationes ſint

ſint realiter diuinæ, & realiter non communicentur cum diuinitate, retinendo cum illa, tamquàm cum tertio, realem identitatem, licèt ab inuicem realiter diſtinguantur. Ergo cùm per illam euitentur incommoda omnium aliarum opinionum, quas impugnauimus, eſt ſufficientiſſima ad ſaluandum myſteriũ Trinitatis. Quid autem ſit hæc diſtinctio, in quo diſcrepet ab alijs, & quomodo præſtet hæc omnia, conſule diſputationes metaphyſicas lib.1.diſp.2.ar.2.vbi ex profeſſo egimus de hoc, nè eadem inutiliter repetantur. Cur autem admittatur in Deo inter eſſentiam, & relationes, non autem inter eſſentiam, & attributa, neque inter vllas formalitates creatas, conſule etiam logicam lib. 2. diſp. 3. per totam, & præcipuè ar.3.& 4. vbi fusè inuenies huiuſmodi quæſtiones enucleatas.

Ad 1. Nego antecedens, quod ſolùm haberet locum in ordine ad diſtinctionem rationis ratiocinantis, vel ratiocinatæ. Neque obſtat, quòd diſtinctio virtualis intrinſeca dicatur diſtinctio rationis; ſiquidem ita dicitur, non quia ſit formaliter per rationem actualem, ſed quia eſt in ordine ad rationem poſſibilem. Sicut ergo ſcientia completur formaliter in eſſe ſcientiam, per ordinem eſſentialem ad ſcibile, & non ad ſcitum, quod ſolùm reſpicit accidentaliter, & per reſpectum prædicamentalem; ita hæc diſtinctio completur formaliter in eſſe

ta-

talem, per reſpectum eſſentialem, adeòque tranſcendentalem ad rationem poſſibilem, ita vt ſi omnis implicaret intellectus, ex ablatione reſpectus eſſentialis, non daretur hæc diſtinctio. Quia ergo datur ante omne opus actuale intellectus operantis in actu exercito, ideo non eſt diſtinctio rationis ratiocinantis. Et quia inuoluit eſſentialiter ordinem ad rationem, ideo non eſt diſtinctio realis, ſiue ex natura rei. Neque eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, quia non dicit ordinem ad rationem actualem, ſed ad poſſibilem. Neque demum eſt media inter realem, & rationis, quia reducitur ad diſtinctionem rationis vt ſic, tamquàm ſpecies atoma ad ſuum genus proximum.

Dices, implicante omni intellectu, implicaret hæc diſtinctio, non tamen per locum intrinſecum, ſed ſolùm per extrinſecum, eo modo quo etiam implicaret, ferro, lapide, vel quolibet alio implicante. Ergo non dicit ſpecialem reſpectum ad rationem, vt ratio eſt, ſed ad illam, vt eſt vnum ex poſſibilibus.

Nego antecedens. Et ratio eſt, quia hæc diſtinctio ideo dicitur virtualis, quia habet æquiualere diſtinctioni reali. Sed æquiualentia eſſentialiter inuoluit reſpectum ad conceptum comparatiuum. Ergo vt eſt formaliter diſtinctio virtualis, reſpicit intrinſecè, & eſſentialiter rationem, ſub conceptu proprio, cuius poſſibilitas, venit ſolùm materialiter, in-

ter-

termino talis reſpectus, in quo ratio veniet formaliter. Ergo ex implicantia rationis, implicaret hæc diſtinctio per locum intrinſecum, & non per extrinſecum, ſicut implicaret ex implicantia aliorum.

Vrgebis, æquiualencia diſtinctionis virtualis inuoluit conceptum comparatiuum. Ergo dicit reſpectum ad rationem, vt formaliter actualem, & non vt poſſibilem.

Diſtinguo antecedens, inuoluit conceptum comparatiuum formaliter, nego: radicaliter, & fundamentaliter, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Dicitur ergo æquiualentia plurium realiter diſtinctorum, non quia extrema talis diſtinctionis de facto realiter diſtinguantur, ſed quia poſſunt determinare intellectum ad illa diſtinguenda, ac ſi verè eſſent realiter diſtincta. Hoc autem non dicit vt aliquod actuale, niſi fundamentum, & radicem ad conceptus comparatiuos, & diſtinctiuos. Ergo non dicit actualem eorum terminationem, ſed ſolùm poſſibilem.

Dices demum. Hæc æquiualentia non eſt aliud, quàm obiectum in ſe ſimplex, quatenùs dat fundamentum intellectui, ad illud diſtinguendum in plures obiectiuas formalitates. Sed hæc eſt ipſiſſima diſtinctio rationis ratiocinatæ. Ergo redimus ad impugnata.

Nego maiorem. Et dico, hanc æquiualentiam non dici fundamentum, & ra-

dicem ad diſtinctionem eſſentiæ à relatione, quæ diſtinctio actu datur ante ipſam rationem, ſed solùm ad conceptū comparatiuum, ratione cuius intellectus perinde ſe habeat in ordine ad illas, ac ſi eſſent realiter diſtinctæ. Ergo inter eſſentiam, & relationem actu datur aliqua obiectiua diſtinctio, intrinſecè afficiens hæc extrema, quæ eſt formaliter rationis in ſenſu explicato, & virtualiter realis, quatenus dat fundamentum intellectui, ad affirmanda de extremis contradictoria, ſicut faceret de diſtinctis realiter. Et ideo eſt longè diuerſa à diſtinctione rationis ratiocinatæ, vt meliùs mox explicabitur.

Ad 2. Dico, hanc diſtinctionem reduci ad diſtinctionem rationis, nōn tamen ad vllam ex impugnatis. Ad cuius euidentiam obiter tango quid alij ſenſerint, vt appareat, quàm longè ab illis diſtemus. Porretanus ergo dixit, relationes nihil habere commune cum eſſentia, cui deforis adueniunt; & ideo diſtingui ab illis realiter adæquatè. Durandus dixit, illas eſſe modos ſubſtantiales eſſentiæ ſuperadditos, & ideo diſtingui ab illa realiter modaliter. Scotus dixit, relationes diſtingui formaliter, ſeu ex natura rei ab eſſentia, abſque vllo ordine ad rationem, ſiue actualem, ſiue poſſibilem. Thomiſtæ dicunt, illas diſtingui, non per ordinem ad rationem poſſibilem, ſed actualem, ita vt hac ceſſante, ceſſet diſtinctio, ſupponendo, hunc ordinem eſſe

præ-

prædicamentalem. Nos autem recedimus à Porretano,quia negamus,hæc duo realiter diſtingui. Recedimus à Durando,quia negamus relationes eſſe modos, ſecundùm rem eſſentiæ ſuperadditos. Recedimus à Scoto, quia dicimus, hanc diſtinctionem non eſſe aliquod abſolutum, ſed reſpectiuum. Et demum recedimus à Thomiſtis, quia aſſerimus, hanc diſtinctionem non haberi formaliter per operationem actualem intellectus; & ideo non eſse rationis ratiocinantis; neque haberi formaliter per reſpectum prędicamentalem ad rationem actualem, quæ ex præſuppoſito fundamento, ſit rationis ratiocinatæ; ſed per reſpectum tranſcendentalem ad rationem vt poſſibilem, & per æquiualentiam ad diſtinctionem realem, modo ſupra explicato. Ergo ab omnibus diſcrepamus. Prætérquamquòd ſi bene aduertatur, in ſententia Thomiſtarum, ante omnem actualem operationem intellectus, relatio poteſt quidem diſtingui ab eſſentia, non tamen actu diſtinguitur. Ergo eſt diſtinguibilis, & non diſtincta. Nos autem dicimus, illã actu diſtingui, non quidem adæquatè à parte rei, vt volebant Porretanus, Durandus, & Scotus, ſed ſolũ inadęquatè, quatenus includit eſſentialiter ordinē ad rationem; & ideo eſt media inter Scotiſticam, & Thomiſticam, vt pote quæ participat de vtraque. Ergo neq; eſt chimærica, quia reali nititur fundamento; neque reducitur ad vllam ex impugnatis.

DI-

DISPVTATIO X.

De Relationibus, vt comparatis cum Perfectione.

HIc reuocabimus in quęſtionem, an relatio vt formaliter talis, ponat aliquam perfectionem, ſiue imperfectionem in Deo? Examinabimus ergo 1. an dicat aliquam imperfectionem? Et deinde in examine perfectionis quæremus, an dicat ſolam perfectionem ſimplicem, an etiam ſimpliciter ſimplicem?

ARTICVLVS PRIMVS.

An relatio, vt formaliter talis, importet aliquam imperfectionem in Deo?

VIdetur importare, Primò quia diuus Thomas 1. p. quæſt. 28. ar. 2. ad 3. ait, diuinas relationes, vt præciſè conſideratas ſecundùm *eſſe ad* dictu-

ctura potiùs imperfectionem, niſi eſſent realiter identificatæ cum diuina ſubſtantia, ſecundùm *eſſe in*. Hæc ſunt eius verba, *ſi in perfectione diuina nihil plus contineretur, quàm quod ſignificat nomen relatiuum, ſequeretur, quòd eius eſſe eſſet imperfectum, vtpote ad aliquid aliud ſe habens*. Quæ verba quamuis explicentur à Caietano, & Valentia, ex hypotheſi impoſſibili, quòd diuina relatio haberet ſolùm eſſe relationem, ſicut habent relationes creatæ, in ſententia Thomiſtarum, quia tunc haberet ſolùm rationem accidentis, vel entis rationis; tamen non poteſt negari, illam cauſalem non fore veram, niſi eſſe ad aliquid, ratione ſui formaliter diceret imperfectionem, vt ibidem obſeruat Caietanus. Ergo cùm diuus Thomas aſſerat, quòd ſi diuina relatio haberet ſolùm *eſſe ad aliquid*, eſſet imperfecta, clarè deducitur, in eius ſententia, eſſe ad aliquid, ratione ſui formaliter, dicere imperfectionem, quæ ſolùm excluditur à diuina relatione, in ſenſu reali, & identico, non autem in ſenſu formali, & præciſiuo ab identitate cum diuina eſſentia, iuxta quem ſenſum quæſtio procedit.

2. Eſſe ad aliud opponitur perſeitati, & aſeitati, quæ ſunt ad ſe. Ergo opponitur maximæ perfectioni, quam excludit a ſe relatio. Sed excluſio perfectionis eſt formaliter imperfectio. Ergo diuina relatio vt formaliter relatio, dicit

imperfectionem in Perſonis.

Concluſio, *Diuina relatio, vt formaliter relatio, nullam dicit imperfectionem in Diuinis Perſonis.*

Probatur 1. Ex abſurdo, ſi relatio vt formaliter talis, diceret imperfectionem; neque poſſet in Deum cadere, in quem nulla cadit imperfectio, neque poſſet diuinas Perſonas conſtituere, quæ non poſſunt conſtitui imperfectionibus. Sed eſt de fide, dari relationes in Deo, vt probauimus diſp.8.& per illas conſtitui formaliter diuinas Perſonas, vt patebit infra. Ergo nullam dicunt imperfectionem.

2. Purum *eſſe ad*, eſt aliquid contrahibile ad rationem perfectionis, vel imperfectionis, quatenus præſcindit formaliter à ratione creati, vel increati. Ergo præſcindit formaliter à ratione perfectionis, vel imperfectionis. Atque adeo non poſset ratione ſui formaliter dicere imperfectionem, niſi ſecundùm contractionem ad eſse diuinum, quod eſt abſurdum. Probatur antecedens, nam *eſſe ad*, eſt aliquid contrahibile ad eſse ad aliud, tamquàm ad cauſam, vel tamquàm ad effectum. Primum dicit imperfectionem dependentiæ, & contingentiæ in eſse; & aliud dicit perfectionem principij, à quo aliud accipiat eſse. Ergo *eſse ad*, eſt aliquid contrahibile ad rationem perfectionis, ſiue imperfectionis. Quia ergo hìc accipiuntur relationes, ſecundùm contractionem ad

Per-

Perſonas diuinas, ideo accipiuntur vt depuratæ ab illa vniuerſalitate contrahibilitatis ad imperfectum, vel perfectum, ſub qua inuoluitur radix imperfectionis. Atque adeo neque ſecundùm genus relationis vt ſic, neque ſecundùm ſpeciem talis relationis, poſsunt vllam refundere imperfectionem in Perſonas.

Dices, relatio vt contracta ad eſse diuinum, dicit non ſolùm *eſse ad*, ſed etiam *eſse in*. Ergo tranſcendimus quæſtionem.

Diſtinguo antecedens, dicit hoc realiter, pròut eſt in ſe, concedo: dicit hoc formaliter, & ſecũdùm quòd concipitur ad aliud, nego antecedens, & conſequentiam. Et dico, in diuina relatione poſſe conſiderari ſecundùm quod eſt in eſſentia, quaſi in ſubiecto, & ſecundùm quod eſt ad terminum. Si conſideretur primo modò, quia non comparatur niſi cum eſsentia, ideo ſub tali conſideratione, non inuoluit formaliter terminum. Si conſideretur ſecundo modo, quia non comparatur niſi cum termino, ideo non inuoluit formaliter ſubiectum. Sicut ergo etiam in relatione, vt contracta ad Deum, poſsumus formaliter præſcindere *in*, ab *ad*; ita poſsumus præſcindere *ad*, ab *in*. Atque adeo præſens quæſtio procedit ſub duplici abſtractione, quarum prima abſtrahitur ipſa relatio, à ratione creati, & alia abſtrahitur in ipſa relatione ratio *ad*, à ratione *in*; & ideo non tranſcenditur, docente diuo

Tho: in 1. d.2. q.1. ar.5. ſub med. *Poteſt dupliciter conſiderari relatio in diuinis, vel per comparationem ad eſſentiam, vel per comparationem ad illud, ad quod refertur; & ſic per propriam rationem diſtinguit ab illo.*

Ad 1. Nego conſequentiam. Et dico, ex verbis allatis diui Thomæ non deduci, relationem, vt formaliter talem, eſſe imperfectionem. Et ratio eſt, quia ipſe loquitur ſolùm ex hypotheſi, quòd in Deo darentur ſola reſpectiua (in quo conuenio cum Caietano) nam in eo caſu non darentur perfectiones abſolutæ. Vnde duplex ſequeretur imperfectio in ipſis reſpectiuis; altera quòd carerent perfectionibus abſolutis, in quibus non eſſent per identitatem, ratione quarum eorum eſſe *in*, eſt infinitè perfectum. Et altera quòd referrentur ad aliud extra ſe adæquatè, eò quia non haberent communem eſſentiam; & ſic paternitas eſſet adæquatè diſtincta à filiatione, & vtraque eſſet ad terminum adæquatè diſtinctum, & penitùs alium ſecundùm realitatem, quod eſt imperfectio, non quidem formalis ipſiùs eſſe ad aliud, ſed conſecutiua ex tali hypotheſi, quæ deſtrueret quidditatem diuinæ relationis, vt formaliter talis, quia ab illa tolleret deitatem. Et in hoc diſcrepo à Caietano. Quòd autem ita ſit intelligendus Angelicus, patet ex eo quòd ſubdat, *ſicut ſi non contineretur ibi plus, quàm quod nomine ſapientiæ ſignificatur, non*

eſſet

eſſet aliquid ſubſiſtens, hoc eſt concepta in Deo ſola ſapientia, non darentur in illo aliæ perfectiones, tàm relatiuæ, quàm abſolutæ; adeòque Deus conciperetur vt imperfectus; non quòd ipſa ſapientia poneret formaliter imperfectionem, ſed quòd hypotheſis poneret illam ſolam, cum excluſione aliarum, vnde illi reſultaret imperfectio, non quidem poſitiua ex ſapientia, ſed priuatiua ex defectu aliarum. Præterquamquòd ipſa etiam ſapientia eſſet imperfecta, quia ab illa auferretur per ſe ſubſiſtere.

Vnde patet reſponſio ad 2. Et dico, tunc *eſſe ad aliud* opponi perſeitati, quando ly *aliud* ſupponit prò alietate naturæ, non autem quando ſupponit prò alietate ſolius ſuppoſiti ſibi conſubſtantialis, cum quo faciat vnum à ſe per ſe ſubſiſtens. Cùm ergo relatio in diuinis ſit ad aliud conſubſtantiale, ſolùm diuerſum ſuppoſitaliter, ideo non opponitur perſeitati, & aſeitati. Vnde illi nulla reſultat imperfectio.

ARTICVLVS II.

An diuina relatio, vt formaliter talis, ponat in Deo poſitiuam perfectionem?

VIdetur non ponere, vt communiter propugnant Thomiſtæ, & Scotiſtæ, cum Caietano 1.p.q.29.ar.3.Scoto

in 3.d.1.q.1. & 4. & in quodl. q.5. Quibus conſonant Durand. in 3.d.1.q.3.n.13. Esparſa q.40. de Deo ad 1. & plerique Recentiores, qui omnes vna voce, proclamant, relationes diuinas ratione ſui, neque dicere perfectionem, neque imperfectionem. Eorum fundamenta ſunt.

1. Si dicerent imperfectionem, omnes Perſonæ eſſent imperfectæ; & ſi dicerent perfectionem, nulla Perſona includeret omnem perfectionem, quia cùm ſe inuicem excludant, nulla Perſona includeret perfectiones aliarum; adeòque non eſſent Deus, quia non eſſent vndequàque perfectæ. Ergo neque dicunt imperfectionem, neque perfectionem.

2. Omnis defectus in Deo excluditur ab eſſentia. Ergo ab illa includitur omnis perfectio. Atque adeo nulla eſt perfectio propria relationum. Probatur conſequentia, ſi aliqua eſſet perfectio propria relationum, vel hæc inuolueretur in ipſa eſſentia, vel non? Si primum, ergo eſſet omnibus communis, ſicut eſſentia, quod eſt hæreticum. Si ſecundùm, ergo eſſentia non excluderet omnem defectum, quia neceſſariò includeret defectum huius perfectionis; adeòque non eſſet deitas. Cùm ergo vtrumque ſit abſurdum, concludendum eſt, relationes diuinas ratione ſui formaliter, neque dicere perfectionem, neque imperfectionem.

3. Paternitas non eſt identificata cum filia-

filiatione, cum qua eſt identificata eſſentia. Ergo ſi filiatio diceret perfectionem, paternitas non haberet conſenſum intrinſecum cum eſſentia in prædicatis perfectiuis, ſed diſcreparent in tertio, nempe in perfectione filiationis. Ergo paternitas non haberet identitatem realem cum eſſentia, ſed potiùs diſtinctionem realem, iuxta vtriuſque definitionem, traditam in diſp. met. lib. 1. diſp. 1. ar. 2. adeòque Pater non eſſet Deus.

4. Totum illud eſt imperfectum, quo datur perfectius. Sed ſi relationes dicerent perfectionem, omnes haberent aliquid ſe perfectius. Ergo omnes eſſent imperfectæ. Maior patet. Minor probatur, omnis perfectio eſt melior ipſa, quàm non ipſa. Ergo cuiuſcumque perfectionis oppoſitum habet aliud ſe perfectius. Sed omnes diuinæ relationes habent oppoſitum. Ergo omnes eſſent imperfectæ, ex hoc ipſo quòd ſupponantur perfectæ, quod repugnat.

Concluſio, *Omnes diuinæ relationes ratione ſui formaliter ponunt in Deo poſitiuam perfectionem*. Habetur expreſsè in Conc. Conſtantinop. 1. ep. ad Damatum, in qua dicitur: *à Nicæna Synodo dictum eſſe, vt coæternum regnum in tribus perfectis ſubſiſtentijs credatur*. Et in 6. Synodo ſeſſ. 18. *Credimus vnam ſubſtãtiam in tribus ſubſiſtentijs, vnitatem quidem, propter naturalem vnionem, trinitatem vero propter ſubſiſtentiarum perfectionem*.

Probatur 1. Id eſt perfectio poſitiua in Deo, ſine quo Deus non eſſet perfectus. Sed ſine qualibet relatione, ſiue perſonali proprietate, Deus non eſſet perfectus. Ergo quælibet relatio ad intra eſt in Deo poſitiua perfectio. Maior patet, quia nihil eſt imperfectum, niſi ex carentia perfectionis poſitiuæ. Minor probatur 1. ex diuo Hylario qui lib. 11. de Trin. c. 7. ſub finem ait, *commune eſt cuilibet eorum* (loquens de Patre, Filio, & Spiritu Sancto) *quòd nullus ſine alijs duobus poteſt eſſe Deus perfectus*. Et lib. 12. ſub finem loquens cum Patre æterno ait, *nec ſine tuo Filio fuiſſe confitendus aliquando es, nè aut imperfectus ſine generatione, aut ſuperfluus poſt generationem arguaris*. Et Cyrillus lib. 2. theſauri c. 1. ait, *non poteſt eſſe perfecta Deitas, niſi Filium habeat*. Et lib. 1. c. 6. ait, *perfectus eſt, non ſolùm quia Deus, ſed etiam quia Pater. Quare qui Deum negat patrem eſſe, is fæcunditatem aufert à diuina natura, vt iam perfecta non ſit, cùm generandi virtute careat. Notio ergo perfectionis fœcunditas eſt, & ſigillum, quòd Patris oſtendit perfectionem*. Vnde patet ſecunda probatio, ſi deeſſet aliqua ex diuinis relationibus, non daretur in Deo fæcunditas, quæ eſt maxima eius perfectio. Cùm enim ſit per actus immanentes, nempe intellectus, & voluntatis, neceſſariò dicit generationem, & proceſſionem, vt probatum eſt diſp. 8. ar. 3. & meliùs patebit infra. Ergo ſine qualibet

libet relatione, Deus non eſſet vndequaque perfectus.

2. Ea ſunt idem realiter, quæ habent conſenſum intrinſecum in omnibus perfectionibus, vt probauimus in diſp. met. lib. 1. diſp. 1. ar. 2. Ergo ſi diuinæ relationes, ratione ſui formaliter, nullam dicerent perfectionem, diuinæ Perſonæ eſſent vnum, & idem realiter, quod euerteret auguſtiſſimam Trinitatem; eò quia nullam haberent diſcrepantiam in prædicatis perfectiuis. Conſequens eſt abſurdum. Ergo falſum antecedens.

Ad 1. Nego antecedens, propter multiplicem rationem, quam attulimus in diſp. met. lib 1. diſp. 1. ar. 5. & propter alias infra afferendas.

Ad 2. Diſtinguo conſequens, includitur omnis perfectio ſimpliciter ſimplex, concedo: omnis perfectio etiam ſimplex, nego antecedens, & conſequentiam, quia cùm perfectio ſimplex non opponatur defectui, vt fusè probauimus in loco citato, per excluſionem defectuum, non intelligitur incluſa. Vnde patet reſponſio ad alias probationes.

Ad 3. Diſtinguo antecedens, paternitas in abſtracto non eſt identificata cum filiatione, concedo: in concreto, nego antecedens. Et diſtinguo conſequens, paternitas in abſtracto diſcrepat ab eſſentia, concedo: in concreto, negò conſequentiam. Verùm quia hoc eſt argumentum difficillimum, & moleſtiſſimũ, ad cuius ſolutionem requiritur notia

multorum, quæ hic non vacat afferre; ideo conſulite diſp.met.lib. 1. diſp.2. ar. 2. vbi in terminis affertur hoc argumentum, & ſoluitur ſolidiſſimis fundamentis.

Ad 4. Nego minorem, cuius probationem diſtinguo, perfectio eſt melior ipſa, quàm non ipſa, ſi ly *non ipſa* accipiatur negatiuè, concedo: ſi accipiatur præciſiuè, nego minorem, & conſequentiam, quæ non valet, niſi de oppoſito cõtradictoriè, ſeu negatiuè perfectionis, non autem de oppoſito præciſiuè, ſeu relatiuè, cuiuſmodi eſt filiatio reſpectu paternitatis, & viceuerſa. Vim, & explicationẽ huius diſtinctionis vide in diſp. met. l. 1. diſ. 1. a. 4. vbi fuſè agitur de hoc.

ARTICVLVS III.

An diuina relatio, vt formaliter talis, ponat in Deo perfectionem ſimpliciter ſimplicem?

GRegorius de Valentia tomo 1. diſp. 2. q. 1. puncto 1. ad 3. apertè concedit, diuinas relationes, ratione ſui formaliter, dicere in Deo talem perfectionem. Vt autem hoc probet, ſupponit, perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ex diuo Anzelmo in proſologio c. 5. & 11. eſſe illam, *quæ in quocumque ente eſt melior ipſa, quàm non ipſa*. Quam definitionem explicat, non de quocumque ſimpliciter, ſed ſolùm de incompatibili, ita vt faciat ſenſum, quòd perfectio hæc

ſit

ſit melior quocumque alio, cum illa incompatibili in eodem ſubiecto. Vnde infert, quòd cùm reſpectiuum ſit compatibile in eodem ſuppoſito diuino cum abſoluto, reſpectiuum non ſit melius abſoluto, & viceuerſa, licèt ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices.

Eius fundamentum eſt, quia putat, *eſſe de fide, relationem diuinam vt eſt ad aliud, & non ſolùm vt eſt diuina eſſentia, eſſe in Deo quamdam realitatem, & quidem infinitam*. Rurſus quoque ait, *eſſe euidens, omnem diuinam, ea infinitam realitatem eſſe ſecundùm ſe obiectiuè perfectionem ſimpliciter ſimplicem, hoc eſt quæ melior ſit ipſa cuicumque enti vt ens eſt, quàm quodlibet cum & incompatibile*. Vnde infert, *relationem diuinam etiã vt ad aliquid, in re, & obiectiuè eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem*. Probat maiorem, *quia* (vt ait) *ſecundum fidem Perſonæ diuinæ realiter diſtinguuntur per relationes, non vt eſſentia ſunt, ſed vt ſunt relationes virtualiter diſtinctæ ab eſſentia. Ergo eſt de fide, quòd vt relationes ſunt realitates quædam, & infinitæ*.

Hoc idem confirmat, *quia ſi relatio paternitatis, vt paternitas eſt, & filiatio vt filiatio, non dicerent perfectionem, ſequeretur, Patrem vt Patrem, & filium vt filium non eſſe perfectum, nec bonum, nec diligibilem; & ſic Pater, & filius vt tales non ſe diligerent, & conſequenter nec ſe diligendo producerent Spiritum*

Sanctum ; & alia abſurdiſſima ſequerentur ; quæ omnia ſunt eius verba. Et citat pro ſe Gabrielem in 1.d.7.quæſt.3. & Heruęum in 1.d.2.q.4.in fine.

Concluſio, *Diuina relatio, vt formaliter talis, non dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem.*

Probatur 1. Eſt de ratione perfectionis ſimpliciter ſimplicis, refundere imperfectionem in oppoſitum, vt fusè probauimus in diſp. met. lib.1.diſp.1.ar.4. vbi ex profeſſo egimus de hoc. Ergo cùm omnes diuinæ relationes adinuicem ſint oppoſitæ, refunderent ſibi inuicem imperfectionem; adeòque omnes diuinæ Perſonæ eſſent imperfectæ, quod vt abſurdum reiecimus in 1.articulo.

2. Diuina eſſentia eſt cumulus omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium, vt probauimus in diſp.met.loco nuper citato. Ergo ſi relatio, vt formaliter talis, ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, alterutrum neceſſariò ſequeretur, vel quòd relatio ſit perfectio eſſentialis, adeòque communis, quod tolleret diſtinctionem Perſonarum, vel quòd eſſentia non includeret formaliter omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, adeòque non eſſet formaliter Deitas, quæ ſunt obſurda.

Ad fundamentum Valentiæ reſpondeo, diuinas relationes eſſe quidem realitates, & diuinas, etiam ſecundùm *eſſe ad*, vt probauimus diſp.8.ar.4. Hinc tamen non probari aliud, quàm eſſe aliquas perfe-

fectiones poſitiuas, vt probabimus ar. ſeq: non autem eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices, quod ab illo non probatur, & abſque vllo fundamento ſupponitur.

Ad confirmationem nego ſequelam, Primò quia diuinæ Perſonæ ſunt bonæ, & amabiles communi bonitate, & amabilitate diuinæ eſſentiæ. Et deinde quia ſingulæ habent propriam amabilitatem, per aliud genus perfectionis, vt mox patebit.

Ad explicationem, quam dat definitionis allatæ ab Anzelmo, Reſpondeo, quòd etiam illa admiſſa, ſequerentur abſurda, quæ contendit euitare, & nos intulimus ex eius opinione. Nam cùm perfectio paternitatis ſit incompatibilis in eodem ſuppoſito cum perfectione filiationis, & viceuerſa, vtraque eſſet melior alia ſibi oppoſita; adeòque ſibi mutuò refunderent imperfectionem. Neque valet eius effugium, quòd vtraque ſit formaliter in eadem eſſentia, & per circuminſeſſionem in eodem ſuppoſito. Nam hìc non comparamus relationes cum eſſentia, ſed cum ſuppoſitis; alioquin eſſent perfectiones eſſentiales, & abſolutæ, Præterea proprietatem oppoſitam eſſe in Perſona per circuminſeſſionem, eſt eſſe in illa per inexiſtentiam eſſentiæ; & non formaliter ratione ſui, vt ab illa virtualiter intrinſecè præciſam, iuxta ſenſum quæſtionis. Ergò nõ ſaluat, quod vna Perſona non eſſet melior alia.

Multò minus valet alia reſponſio ipſius,

videlicèt vnam perfectionem eſſe in vna Perſona, & non in alia, quatenùs ad inuicem opponuntur, & diſtinguuntur, non autem ſimpliciter, excludendo circuminſeſſionem. Nam hoc ipſum eſt abſurdum, quod intulimus, videlicèt Perſonas vt diſtinctas, & oppoſitas, non fore formaliter Deum, propter defectum in ſingulis alicuius perfectionis ſimpliciter ſimplicis. Ergo potiùs hinc promouetur, quàm euitetur abſurdum.

ARTICVLVS IV.

An diuinæ relationes, vt formaliter tales, dicant perfectionem ſimplicem poſitiuam?

VIdentur non dicere, Primò quia (vt opponit Caiet. 1. p. q. 29. ar. 3.) ſi diuinæ Perſonæ diſtinguerentur perfectionibus poſitiuis, haberent ſummam, & perfectiſſimam diſtinctionem. Sed hoc eſt abſurdum, cùm potiùs communiter aſſeratur, habere minimam diſtinctionem, vtpote coniunctam cum ſumma vnitate intrinſeca, & conuenientia, immò identitate eiuſdem numero naturæ. Ergo non diſtinguuntur perfectionibus poſitiuis.

2. Omnis diuina perfectio eſt ſimpliciter infinita. Si ergo ſingulæ relationes, ratione ſui formaliter, dicerent perfectionem, tot eſſent in Deo infinita, quot relationes. Infinitorum autem multiplicitas

citas communiter negatur cum diuo Th. 1. p. q. 7. per totam. Ergo relationes non dicunt perfectionem.

3. Si relationes dicerent perfectionẽ, nulla Perſona haberet omnem perfectionem, cùm non poſſit habere omnem relationem ſibi oppoſitam: Ergo nulla Perſona eſſet Deus.

4. Singulæ Perſonæ, ratione proprietatis, habẽt propriam, & diſtinctam perfectionem. Ergo Trinitas collectiuè, & adæquatè eſſet perfectior ſingulis Perſonis, quod eſt hæreticum, quia tolleret diuinitatem à ſingulis.

5. Vel ratio perfectionis deſumitur ex Anzelmi definitione, vel non? Si primum, ergo relatio eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia eſt melior ipſa, quàm non ipſa. Si ſecundum, ergo relatio nulla eſt poſitiua perfectio.

Concluſio, *Diuinæ relationes, vt formaliter tales, dicunt perfectionem ſimplicem poſitiuam*. Ita Alenſis 1. p. quæſt. 69. memb. 2. Albertus Magnus 1. p. ſum. q. 42. memb. 2. Bonau. in 1. d. 23. ar. 1. q. 1. Ochamus in 1. d. 19 q. 1. lit. O. & alij plures ex antiquis, quibus acceſſere Antonius Perez de Trin. num. 141. Auerſa q. 38. ſect. 3. Suar. lib. 3. de Trin. c. 9. Faſolus, & alij.

Probatur 1. Totum illud eſt ſimpliciter perfectio, quod præponderat ſuo contradictorio. Sed omnis diuina relatio præponderat ſuo contradictorio, adeòque eſt melior ipſa, quàm non ipſa negatiuè ſumpta. Ergo eſt perfectio poſitiua;

ua; non ſimpliciter ſimplex, vt probauimus. Ergo eſt perfectio ſimplex, vt ab alia condiſtincta. Maior patet ex definitione. Minor probatur, quis enim poterit dubitare, quòd minus diuina paternitas ſit melior, & perfectior, quàm eius negatio? Nam vt docet Ochamus loco cit. *paternitas ex ſe eſt quadam magnitudo relatiua, ſicut ex ſe eſt quadam entitas realis, & ex ſe eſt perfecta, immò ex ſe eſt perfectior omni creatura, & ex ſe eſt res, cui repugnat omnis imperfectio.* Ergo non ſolùm eſt perfectior ſui negatione, ſed etiam quacumque creatura, quod non eſſet, ſi non haberet ex ſe perfectionem.

3. Diuinæ relationes diſtinguuntur realiter inter ſe diſtinctione poſitiua, vt patebit infra. Ergo habent diſtinctas perfectiones poſitiuas. Probatur conſequentia, nihil poteſt ab alio poſitiuè diſtingui, quod non habeat diſtinctam entitatem poſitiuam. Sed omnis entitas poſitiua præponderat ſuo contradictorio. Ergo eſt perfectio; non ſimpliciter ſimplex, ſed ſimplex. In quo autem conſiſtat diſcrimen vnius perfectionis ab alia, vide in diſput. met. lib. I. diſp. I. ar. 4. vbi ex profeſſo quæſtionem agitauimus.

4. Si relatio nullam ex ſe diceret perfectionem, non mereretur ſummum cultum, neque identitatem cum Deitate. Vt quid enim adorare cultu latriæ, quod nullam ex ſe dicit perfectionem? Neque

va-

valet inſtantia de terminationibus liberis; primò quia hæ non neceſſariò Deum denominant, ſicut relationes. Et deinde, quia non diſtinguuntur ab inuicem realiter, ſed ſola ratione, vt fusè proſecuti ſumus in loco nuper citato ar. 5.

Ad 1. Reſpondet Valentia hic diſp. 2. q. 3. p. 3. diſtinguendo maiorem, haberent ſummam diſtinctionem, ideſt diuerſitatem, ſeu diſconuenientiam, negat: haberent ſummam diſtinctionem, ideſt ſummam oppoſitionem extremorum, per quam vnum non ſit aliud, concedit maiorem, quam ſolam ait eſſe falſam in primo ſenſu. Sed hæc diſtinctio eſt inutilis, & falſa. Inutilis, quia de ipſa ſumma oppoſitione redit argumentum Caietani. Et falſa, quia ſub nomine oppoſitionis idem omninò concedit, quod negat ſub nomine diſcrepantiæ, cùm tamen opponi, & diſcrepare ſignificent eamdem diſtinctionem, quam contendit arguens.

Nego igitur ſimpliciter maiorem. Ratio eſt, quia eò eſt maior diſtinctio, quò maior eſt receſſus ab vnitate, ſicut econuerſo, eò eſt maior identitas, quò eſt maior acceſſus ad vnitatem. Sicut ergo perfectiſſima identitas, eſt vnitas in omnibus omninò prædicatis, ita perfectiſſima diſtinctio eſt diuiſio, ſeu diſcrepantia in omnibus prædicatis. Cùm ergo inter diuinas Perſonas non detur diſcrepantia, & diſſenſus in perfectionibus ſimpliciter ſimplicibus, quæ ſunt omnibus commu-

nes,

nes, non datur diſcrepantia in omnibus prædicatis perfectiuis; adeòque non datur ſumma diſtinctio, quæ ſemper eſt diſtinctio adæquata, & numquam inadæquata.

Dices, eſſet diſtinctio maximarum perfectionum. Ergo eſſet diſtinctio perfectiſſima. Diſtinguo conſequens, eſſet diſtinctio perfectiſſima, ideſt inter extrema, quæ nullum inuoluunt defectum, ſeu imperfectionem, concedo: ideſt maxima, & ſumma in ratione diſtinctionis, nego conſequentiam. Quia ergo comparatio procedit in alio ordine, ideo nihil concludit prò arguente.

Ad 2. Primò concedo conſequentiam. Nullum enim eſt abſurdum, concedere in Deo tria infinita reſpectiua. *Hoc enim* (vt obſeruat Valentia loc. cit. ad 2.) *non eſt magis incommodum, quàm ſit admittere tres realitates infinitas relatiuas, quia realitas infinita reſpectiuè, & infinitas reſpectiua idem ſunt*. Ad authoritatem diui Thomæ dico, illum negare pluralitatem infinitorum extra Deum, non autem intra Deum. Quia tamen communiter à theologis diuinæ Perſonæ dicuntur infinitæ adiectiuè, & non ſubſtantiuè, ideo Reſpondeo 2. diſtinguendo conſequens, tot eſſent in Deo infinita ſubſtantiuè, nego: adiectiuè, ideſt plures infiniti, ſeu habentes infinitatem, concedo conſequentiam. Nullum autem eſt abſurdum, dari in Deo plures adiectiuè infinitos, cum ſit de fi-

de,

de, ſingulas Perſonas eſſe infinitas ſecundùm perfectiones. Neque obſtat, quòd eſſent plures perfectiones per ſe ſubſiſtentes; quia cùm habeant communem eſſentiam, communicant in abſolutis; & ideo licèt ſint infinitæ, non ſunt infinitæ ſubſtantiuè.

Ad 3. Nego conſequentiam, Primò quia omnes Perſonæ habent omnem perfectionem ratione eſſentiæ, & per circuminſeſſionem, licèt non habeant ratione ſui formaliter. Deinde quia Deitas ſaluatur adæquatè per cumvlum perfectionum ſimpliciter ſimplicium, quæ ſunt omnibus communes, vt fusè probauimus in locis citatis.

Ad 4. Diſtinguo conſequens, ſi ſermo ſit de ſingulis Perſonis in abſtracto, quatenùs reduplicant ſolas perfectiones relatiuas, vt virtualiter intrinſecè præciſas ab eſſentia, concedo, nam etiam hoc modo complexum metaphyſicum ex omnibus attributis, eſt perfectius ſingulis attributis ſeorſim. Si verò ſermo ſit de Perſonis in concreto, ſeu vt formaliter dicentibus etiam eſſentiam, nego conſequentiam, quia ratione eſſentiæ tot ſunt perfectiones in ſingulis Perſonis, quot ſunt in tota Trinitate.

Dices, ergo ſaltem ratione ſui formaliter, ſingulæ Perſonæ non eſſent Deus. Nego conſequentiam, quia ex hypotheſi quòd concipiantur Perſonæ ſine eſſentia, conciperentur ſine deitate, per quam realiter conſtituuntur. Ergo conciperen-

rentur ſine ſeipſis, ſicut conciperetur homo ſine animalitate; adeòque eſſent, & non eſſent diuinæ Perſonæ. Præterquamquòd poſſet etiam concedi conſequentia, quæ retorquetur euidenter in attributis, quorum ſapientia e.g. ſi ſola conſideretur, vt formaliter præciſa ab alijs, vtique non conſtituit deitatem, quæ eſt cumulus omnium. Sicut ergo non eſt abſurdum, quòd ſola ſapientia non ſit Deus, ita neque eſt abſurdum, quòd ſola filiatio non ſit Deus, quamuis hæ ſint perfectiones inſeparabiles ſecundùm rem.

Ad 5. Dico, rationem perfectionis deſumi ex definitione Anzelmi, ſi bene intelligatur; non autem ex illla malè intellecta. Quomodo autem ſit bene intelligenda, ad diſtinguendam vnam perfectionem ab alia, conſule diſp.met.lib.1. diſp.1.ar.4. Prò nunc ſufficiat, ad perfectionem ſimpliciter ſimplicem requiri præponderantiam, ad totum ſui non ipſum adæquatè, & in tota latitudine ſumptum, quod non verificatur de diuinis relationibus, quæ præponderant quidem ad ſui non ipſum negatiuè (quòd ſufficit ad perfectionem ſimplicem) non tamen ad ſui non ipſum adæquatè, hoc eſt negatiuè, & præciſiuè. Et ideo paternitas non eſt melior filiatione.

Dices, ſapientia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & tamen non præponderat ad ſui non ipſam adæquatè, quia non eſt melior omnipotentia, quæ ratione ſui

for-

formaliter eſt non ſapientia. Ergo vel hoc non requiritur ad perfectionem ſimpliciter ſimplicem, vel ſapientia non eſt talis.

Nego conſequentiam, quoad vtramque partem. Ratio eſt, quia huiuſmodi præponderantia debet attendi penès extrema realiter diſtincta, quorum vnum realiter non ſit aliud, de quo poſſit verè dici quòd ſit non aliud. Cùm ergo ſapientia, & omnipotentia, & omnia alia attributa ſint realiter vnum, & idem, & ſola ratione diſtinguantur, ideo inter illa nulla eſt vera, & realis præponderantia vnius præ alio, quia nulla eſt vera, & realis comparatio, ſicut eſt inter vnam relationem, & aliam.

Dices 2. Sapientia præponderat perfectioni paternitatis, quæ eſt non ſapientia præciſiuè. Ergo illi refundit imperfectionem.

Nego antecedens, propter eamdem rationem. Nam cùm ſapientia ſit perfectio abſoluta, eſt realiter paternitas. Ergo non poteſt cum illa realiter comparari, ſed ſolùm ratione, quæ cùm non fundet, niſi diſtinctionem rationis, non poteſt facere, niſi præponderantiam rationis, quæ non ſufficit ad veram, & realem perfectionem.

Dices 3. Priùs ergo debent diſtingui, quàm vna præponderet alteri. Ergo diſtinctio non habetur per talem præponderantiam.

Concedo totum. Primò quia poſſunt

duo diſtingui, abſque vlla præponderantia vnius ad aliud. Deinde quia præponderantia fundat rationem perfectionis, non autem diſtinctionis. Ergo ſi fundat perfectionem vnius ſupra aliud, ſupponit diſtinctionem vtriuſque, cùm nihil ſibi præponderet.

ARTICVLVS V.

Soluuntur alia argumenta contraria.

OBijcies 1. Aug. lib. 7. de Trin. c. 1. & 6. ait, *bonitas, & magnitudo perfectionis in diuinis, non relatiuè, ſed ad ſè dicuntur.* Ergo diuinæ relationes non habent ex ſe vllam perfectionem, ſed totam ſuam perfectionem habent ab eſſentia, quæ ideo eſt abſoluta, & communis.

Nego conſequentiam. Et dico, Auguſtinum eſſe exponendum de bonitate, vt comparata cum creaturis, ita vt faciat ſenſum, quòd nulla bonitas, & magnitudo diuinæ perfectionis, habeatur per reſpectum ad creaturas, ſeu per comparationem cum illis. Et ratio eſt duplex. Prima, quia inter finitum, & infinitum nulla eſt comparatio. Et altera quia cùm Deus ſit primum, & ſummum ens, ipſe eſt regula ſuæ perfectionis, & omniũ aliorum à ſe, quæ non habent perfectionem, niſi ab illo participatam. Ergo alia ſunt perfecta relatiuè ad Deum; Deus au-

autem ad ſe ipſum. Hoc autem non tollit, quò minùs in ipſo Deo, reſpectiua poſſint ad inuicem comparari; nam ſemper comparatio ſiſtit in ipſo Deo; adeòque perfectio eſt ad ſe, quatenùs ly *ad ſe* excludit terminum creatum.

Ob. 2. Perfectum conuertitur cum bono, vt docet Angelicus 1.p.q.5. ar. 3. Ergo ſi relationes diuinę adderent perfectionem, adderent bonitatem. Sed hæc non eſſet bonitas medij, ſed vltimi finis. Ergo facerent plures vltimos fines. Præterea facerent tres bonos ſubſtantiuè, quod repugnat Auguſtino lib.5.de Trin. c.8.dicenti, *bonus Pater, bonus Filius, & bonus Spiritus Sanctus, nec tres boni, ſed vnus eſt bonus*. Item facerent tres exiſtentias relatiuas in Deo, quæ ſunt abſurda.

Diſtinguo conſequens, adderent bonitatem in eo genere, in quo ſunt perfectiones, concedo: in alio genere, nego conſequentiam. Quia ergo ſunt realitates reſpectiuæ, addunt bonitatem reſpectiuam. Ad primam illationem nego, hinc fore plures vltimos fines, quia cùm vltimus finis ſit Deus trinus, & vnus, vt alibi ſæpe probauimus, non multiplicato Deo trino, & vno, non multiplicantur vltimi, fines, licèt in illo multiplicentur perfectiones, quod adſummùm eſſet illum perficere per noſtrum modum intelligendi, & non multiplicare. Ad 2. Dico, Auguſtinum loqui de bonitate abſoluta, propria deitatis, non au-

tem

tem de reſpectiua, ſecundùm quam ſicut ſunt plures Perſonæ, ita plures boni, non autem plures ſecundùm bonitatem abſolutam, quia multiplicaretur deitas. Ad 3. concedo ſequelam, cuius veritatem infra probabimus.

Ob. 3. Si relationes dicant perfectionem, neque eſſentia, neque Perſonæ eſſent vndequàque perfectæ. Ergo ex hoc ipſo refunderetur illis maxima imperfectio repugnans diuinitati. Probatur primum, quia eſſentia ex ſe, cùm ſolùm conſtet ex abſolutis, non poſſet Filio tribuere perfectionem paternitatis, neque Patri perfectionem filiationis. Probatur ſecundum, quia cùm hæ perfectiones ſint ad inuicem oppoſitæ, non poſſunt omnes ſimul ineſſe in ſingulis Perſonis. Ergo omnes eſſent imperfectæ.

Nego antecedens. Ad cuius primam probationem, dico eſſentiam vt formaliter talem, cùm ſit forma vndequàque abſoluta, non poſſe ſubiectum, ſeu quaſi ſubiectum perficere, niſi in ſua linea; videlicèt illi tribuendo omnes perfectiones abſolutas, in quarum cumulo ſaluatur formaliter deitas; non tamen caret relatiuis, quia licèt illas non inuoluat in ſuo conceptu formali metaphyſico, inuoluit tamen ſecundùm realitatem, propter realem identitatem, quam habet cum illis. Sicut ergo Thomiſtæ non cenſent abſurdum, quòd attributa ſint extra cōceptum formalem diuinæ eſſentiæ, quam conſtituunt adæquatè, ſecun-

dùm

dùm conceptum metaphyſicum, per ſolam intellectionis actualitatem; ita non eſt abſurdum, quòd non conſtituatur formaliter perfectionibus relatiuis: Ad 2. Nego conſequentiam, primò quia omnes Perſonæ diuinæ continent identicè perfectiones aliarum ratione eſſentiæ omnibus communis. Et deinde quia continent illas etiam aliquo modo formaliter, per circuminſeſſionem. Et demùm quia vna per aliam compenſatur, cùm ſint omninò æquales. Cùm ergo ſit proprium diuini eſſe, ſubſiſtere in tribus ſuppoſitis inter ſe diſtinctis, ſicut confert ad eius ſummam perfectionem, quòd hæc ſint tria, ita confert ad perfectionem ſingulorum, quòd vnum non ſit aliud. Ad hoc ergo vt omnia ſint vndequàque perfecta, ſufficit quòd contineant ſingula formaliter perfectiones proprias diſtinctiuas, & alias identicè, per identitatem cum eadem communi eſſentia, vt fusè proſecuti ſumus in diſp. met. lib. 1. diſp. 1. ar. 5. & innuimus hìc ar. 2. ad 1. & confirmabimus infra diſp. 24. per totam.

Dices cum Gonet hic diſp. 3. ar. 5. nu. 167. Si Filio deeſset aliquod attributum, quod ſolùm haberet identicè per eſsentiam, non eſset perfectè æqualis Patri, qui illud haberet formaliter. Ergo neque eſt illi perfectè æqualis, per hoc quod habeat identicè perfectionem paternitatis, quæ formaliter eſt in Patre.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt,

quia perfectiones attributales, cùm ſint abſolutæ, nullam habent ad inuicem oppoſitionem. Ergo non poſſunt excludi, niſi per excluſionem totius deitatis. Probo conſequentiam, quod habet radicem, ex qua neceſſariò emanat fructus, neceſſario habet cum illa formaliter eius fructum. Sed attributa ſunt fructus neceſſariò emanantes ab eſſentia, tamquam à radice, vt aſſerunt Thomiſtæ. Ergo qui habet eſſentiam, neceſſariò habet etiam attributa, ſaltem concomitanter, & ſecundariò. Atque adeo ſicut ex defectu riſibilitatis, arguitur defectus humanitatis, ita ex defectu vnius attributi, arguitur defectus totius deitatis. Neque in hoc ſuffragatur continentia identica; nam vel in tali hypotheſi, Filius haberet formaliter alia attributa, præter ſapientiam e.g. vel nullum haberet formaliter? Si primum, cùm ratio habendi alia formaliter, ſit identitas cum eſſentia, propter eamdem identitatem eſſentiæ cum ſapientia, etiam illam habebit formaliter, cùm ſit impoſſibile, eamdem numero rationem formalem, facere continentiam formalem reſpectu vnius, & non reſpectu alterius, eodem modo applicati. Si ſecundum, ergo ideo Filius non eſſet æqualis Patri, quia non haberet formaliter deitatem, quæ eſt formaliter cumulus omnium attributorum; atque adeo non ex eo præciſè quòd Filio deeſſet formaliter ſola ſapientia, fieret Patri inæqualis, ſed quia eius carentia traheret

ca-

carentiam omnium aliorum. Hoc non accidit in relatiuis, quæ cùm ſint extra lineam eſſentiæ, non poſſunt per identitatem cum illa, formaliter communicari, ratione mutuæ oppoſitionis, quam habent; neque ex illorum carentia arguitur carentia deitatis. Ergo quia ſumma æqualitas Perſonarum fundatur in deitate, diſcrepantia in relatiuis non poteſt illi quidquam derogare. Ergo paritas Gonetti non eſt ad rem.

DISPVTATIO XI.

De Relationibus, vt comparatis cum existentia.

STatuta relationum perfectione, tranſeundum eſt ad earum exiſtentiam. Prò qua quæremus 1. An omnes habeant vnam, eamdemque communem exiſtentiam abſolutam? Et deinde an ſingulæ habeant ſingulas exiſtentias relatiuas?

ARTICVLVS PRIMVS.

An omnes diuinæ relationes habeant vnam, eamdemque exiſtentiam abſolutam?

VIdentur non habere, vt propugnant nonnulli, quos ſuppreſſo nomine, refert, & impugnat Suar. tom.1. in 3. p. diſp. 11. ſect. 1. Primò, exiſtentia ſubſtantiæ non differt ab eius ſubſiſtentia. Ergo cùm in Deo non detur ſubſiſtentia abſoluta,

luta, vt nos docuimus in diſp. met. lib. 2. diſp. 3. ar. 1. & ſolùm dentur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, neque datur exiſtentia abſoluta, ſed ſolæ tres exiſtentiæ relatiuæ.

2. Ita ſe habet exiſtentia ad ſubſtantiam, ſicut ſubſiſtentia. Sed in diuina ſubſtantia nulla datur ſubſiſtentia abſoluta. Ergo neque datur exiſtentia abſoluta.

3. Humanitas Chriſti ſubſtantialiter exiſtit per ſubſiſtentiam increatam Verbi, per quam ſubſiſtit. Ergo etiam Diuinitas ſubſtantialiter exiſtit, per exiſtentias relationum, per quas ſubſiſtit, abſque vlla alia abſoluta exiſtentia ſui propria.

Concluſio, *Datur in Deo vna exiſtentia abſoluta, propria eſſentiæ, communis omnibus Perſonis, per quam exiſtunt diuina relationes in diuina natura.*

Probatur 1. Diuina eſſentia, vt virtualiter intrinſecè præciſa à reſpectiuis, eſt cumulus omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium. Ergo includit formaliter etiam exiſtentiam, quæ inter tales perfectiones eſt maxima, & fundamentum, ſeu radix cæterarum. Antecedens patet; nam reſpectiua in Deo non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, vt probauimus diſp. 10. ar. 3. Ergo huiuſmodi perfectiones non ſunt in eſſentia per reſpectiua, ſed per ipſam eſſentiam, quæ eſt per ſe formaliter cumulus illarum. Probatur conſequentia, quia non

exiſtentia eſt maxima imperfectio. Sed imperfectio non tollitur, niſi per oppoſitam perfectionem. Ergo quia illa imperfectio tollitur per exiſtentiam, hæc eſt poſitiua perfectio; & quia expellit defectum, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, vt probauimus in diſp. met. lib. 1. diſp. 1. ar. 4. Tùm ſic, eſſentia per realem identitatem communicatur omnibus, & ſingulis diuinis relationibus. Ergo ſicut communicantur cum illa æternitas, ſapientia, & aliæ abſolutæ perfectiones, ita communicatur exiſtentia abſoluta, & eſſentialis.

2. Natura diuina per ſe ipſam formaliter habet æternitatem, immenſitatem, immutabilitatem, independentiam, &c. Sed hæ perfectiones inuoluunt formaliter exiſtentiam, quæ tranſcendit per omnes. Ergo habet etiam exiſtentiam ſui propriam, & abſolutam. Conſequentia eſt euidens; neque enim poteſt formaliter inuolui aliqua forma, ſine eo, quod eſt de conceptu formali intrinſeco illius; aliter inuolueretur ſine ſeipſa, quod repugnat. Antecedens probatur; nam æternitas eſt æterna exiſtentia; & ideo dicitur, *interminabilis vita tota ſimul, ac perfecta poſſeſſio*: immenſitas eſt exiſtentia in omni ſpatio, ſiue reali, ſiue imaginatio: immutabilitas eſt exiſtentia neceſſariò permanens in ſuo eſſe: independentia eſt exiſtentia à ſe; & ſic de alijs. Ergo in omnibus diuinis perfectionibus formaliter inuoluitur exiſtentia.

tia. Et ideo Deus neceſſariò exiſtit, & per antonomaſiam dicitur, *ego ſum qui ſum*, quia inuoluit in ſuo conceptu formali actualem exiſtentiam, ratione cuius eſt purus actus, nullam inuoluens potentialitatem, quatenus nihil perfectionis eſt in Deo, quod ſit præſcindibile ab exiſtentia, & quòd neceſſariò non ſit actu.

3. Si in Deo Patre eſſet ſola exiſtentia reſpectiua, & notionalis, non poſſet filio communicare exiſtentiam; nam non poſſet communicare abſolutam, quam non haberet, neque notionalem, quæ eſt incommunicabilis. Ergo non poſſet gignere filium actu exiſtentem, quod eſt hæreticum. Et ideo Suar. to. 1. in 3. p. diſp. 11. ſect. 1. & Ruiz diſp. 25. ſect. 1. n. 2. ſententiam oppoſitam vocant temerariam, & erroneam.

Ad 1. Nego antecedens, cuius falſitatem fusè oſtendimus in diſp. met. lib. 2. diſp. 3. ar. 1. vbi probauimus, ſubſiſtentiã in creatis eſſe aliquid naturæ realiter ſuperadditum, & in diuinis diſtinctum virtualiter intrinſecè. Ergo ex negatione ſubſiſtentiæ abſolutæ, non valet conſequentia negationis exiſtentiæ abſolutæ.

Ad 2. Nego maiorem. Nam exiſtentia eſt ſemper, & neceſſariò identificata cum eſſentia, vt fusè probauimus in 1. phyſ. diſp. 2. ar. 7. & ideo eſt inſeparabilis ab illa. At ſubſiſtentia eſt ſuperaddita eſſentiæ, à qua proinde eſt ſeparabilis, vt

fuit ſeparata de facto ab humanitate in Chriſto Domino. Ergo nulla eſt paritas.

Ad 3. Nego antecedens. Quamuis enim humanitas Chriſti amiſerit propriam ſubſiſtentiam, non tamen amiſit propriam exiſtentiam ſecum identificatam; aliter amiſiſſet proprium eſſe, quod eſt abſurdum. Quare poteſt argumentum retorqueri.

ARTICVLVS II.

An diuinæ relationes habeant proprias exiſtentias relatiuas?

VIdentur non habere, vt propugnant communiter Thomiſtæ, quibus conſonant Vaſquez, Albertinus, & alij, quorum ſe fecit anteſignanum Gonet hic diſp. 3. ar. 6. Primò quia darentur in Deo quattuor exiſtentiæ, nempe tres relatiuæ, & vna abſoluta; & ſi etiam ſpiratio actiua dicat ſuam exiſtentiam, erunt quinque, quod eſt abſurdum.

2. Exiſtentia abſoluta ſufficit, ratione ſuæ infinitatis, & realis identitatis cum relationibus. Ergo gratis admittuntur relatiuæ.

3. Exiſtentia eſt actualitas eſſentiæ. Ergo ad multiplicationem exiſtentiæ, ipſa quoque multiplicaretur eſſentia; atque adeo in Deo eſſent tres eſſentiæ relatiuæ, quod eſt erroneum.

4. Etiam poſſet dici, dari in Deo tripli-

plicata omnia attributa, nempe tres ſapientias relatiuas, tres æternitates, omnipotentias &c. quod offendit aures theologorum.

5. Eſſe exiſtentiæ in Deo non eſt relatiuum, ſed abſolutum. Ergo non dantur exiſtentiæ relatiuæ. Conſequentia eſt euidens. Antecedens probatur 1. Diuinæ Perſonæ prout exiſtunt, non habent eſſe ad aliud, ſed in ſeipſis. 2. Nō opponuntur ſecundùm exiſtentiam, ſed ſecundùm originem. 3. Aliòquin vna exiſtentia eſſet in vna Perſona, quæ non eſſet in alia, quod eſt abſurdum.

6. Exiſtere prout abſtrahit à creato, & increato, dicit formam, per quam res eſt extra nihil. Sed entitas poſita extra nihil per vnam formam, non poteſt poni extra nihil per aliam formam. Ergo nihil poteſt habere duplicem exiſtentiam.

7. Exiſtentia non conuenit relationi ſecundùm *eſſe ad*, ſed ſecundùm *eſſe in*, vt docet diuus Thom. in 1. d. 33. q. 1. ar. 1. ad 1. Ergo eſt aliquid abſolutum. Sed abſoluta non multiplicantur; aliter multiplicaretur etiam ratio increati, contra diuum Athanaſium, *non tres increati, ſed vnus increatus*. Ergo neque exiſtentia.

8. Si darentur exiſtentiæ relatiuæ, vel exiſterent per exiſtentiam eſſentiæ, vel non? Non primum, quia cùm exiſtentia ſit vltima actualitas, daretur duplex vltima actualitas, quarum vna actuaret aliam;

fuit ſeparata de facto ab humanitate in Chriſto Domino. Ergo nulla eſt paritas.

Ad 3. Nego antecedens. Quamuis enim humanitas Chriſti amiſerit propriam ſubſiſtentiam, non tamen amiſit propriam exiſtentiam ſecum identificatam; aliter amiſiſſet proprium eſſe, quod eſt abſurdum. Quare poteſt argumentum retorqueri.

ARTICVLVS II.

An diuinæ relationes habeant proprias exiſtentias relatiuas?

VIdentur non habere, vt propugnant communiter Thomiſtæ, quibus conſonant Vaſquez, Albertinus, & alij, quorum ſe fecit anteſignanum Gonet hic diſp. 3. ar. 6. Primò quia darentur in Deo quattuor exiſtentiæ, nempe tres relatiuæ, & vna abſoluta; & ſi etiam ſpiratio actiua dicat ſuam exiſtentiam, erunt quinque, quod eſt abſurdum.

2. Exiſtentia abſoluta ſufficit, ratione ſuæ infinitatis, & realis identitatis cum relationibus. Ergo gratis admittuntur relatiuæ.

3. Exiſtentia eſt actualitas eſſentiæ. Ergo ad multiplicationem exiſtentiæ, ipſa quoque multiplicaretur eſſentia; atque adeo in Deo eſſent tres eſſentiæ relatiuæ, quod eſt erroneum.

4. Etiam poſſet dici, dari in Deo tri-

pli-

plicata omnia attributa, nempe tres ſapientias relatiuas, tres æternitates, omnipotentias &c. quod offendit aures theologorum.

5. Eſſe exiſtentiæ in Deo non eſt relatiuum, ſed abſolutum. Ergo non dantur exiſtentiæ relatiuæ. Conſequentia eſt euidens. Antecedens probatur 1. Diuinæ Perſonæ prout exiſtunt, non habent eſſe ad aliud, ſed in ſeipſis. 2. Nõ opponuntur ſecundùm exiſtentiam, ſed ſecundùm originem. 3. Alióquin vna exiſtentia eſſet in vna Perſona, quæ non eſſet in alia, quod eſt abſurdum.

6. Exiſtere prout abſtrahit à creato, & increato, dicit formam, per quam res eſt extra nihil. Sed entitas poſita extra nihil per vnam formam, non poteſt poni extra nihil per aliam formam. Ergo nihil poteſt habere duplicem exiſtentiam.

7. Exiſtentia non conuenit relationi ſecundùm *eſſe ad*, ſed ſecundùm *eſſe in*, vt docet diuus Thom. in 1.d.33.q.1.ar.1. ad 1. Ergo eſt aliquid abſolutum. Sed abſoluta non multiplicantur; aliter multiplicaretur etiam ratio increati, contra diuum Athanaſium, *non tres increati, ſed vnus increatus*. Ergo neque exiſtentia.

8. Si darentur exiſtentiæ relatiuæ, vel exiſterent per exiſtentiam eſſentiæ, vel non? Non primum, quia cùm exiſtentia ſit vltima actualitas, daretur duplex vltima actualitas, quarum vna actuaret aliam;

& ſic daretur exiſtentia exiſtentiæ, quod repugnat. Neque ſecundum, quia relationes non eſſent diuinæ, quia illis non communicarentur omnia abſoluta eſſentiæ. Ergo non dantur exiſtentiæ relatiuæ.

Concluſio, *Diuinæ relationes, ſicut conſtituunt tres Perſonas in eadem communi eſſentia, ita præter exiſtentiam abſolutam, ponunt in illis tres exiſtentias relatiuas, diſtinctas realiter inter ſe, & virtualiter ab eſſentia.* Ita Scotus in 1. d.11.q.2. ſub fin. §. *ad primam*, Suar. to. 1. in 3. p. diſp. 11. ſect. 2. & lib. 3. de Trin. c. 5. & lib. 5. c. 2. Zumel, Zuniga, Becanus, Ruiz, Alenſis, Albertus, & alij.

Probatur 1. Exiſtentia eſt id, per quod res formaliter eſt talis res. Ergo non diſtinguitur à ſuo eſſe, vt fusè probauimus in 1. phyſ. diſp. 2. ar. 7. Ergo multiplicato eſſe, ſeu quidditate rei, neceſſariò debet multiplicari eius exiſtentia. Sed in Deo, præter eſſe abſolutum, dantur etiam tria eſſe reſpectiua. Ergo præter exiſtentiam abſolutam, dantur etiam tres exiſtentiæ reſpectiuæ.

2. Exiſtentia debet proportionari eſſe rei, quæ per illam exiſtit; & ideo exiſtentia ſubſtantiæ eſt ſubſtantialis, & accidentis accidentalis. Ergo ſicut non poteſt abſolutum exiſtere per reſpectiuum, ita nec poteſt reſpectiuum exiſtere per abſolutum; aliter eſſentia, & exiſtentia differrent pluſquàm genere generaliſſimo, & nullam haberent ad inui-

uicem proportionem, quod deſtrueret hypotheſim.

3. Dantur in Deo veræ, ac reales proceſſiones, vt probauimus diſp. 5. Ergo dantur veræ, ac reales exiſtentiæ relatiuæ. Probatur conſequentia, diuina productio, vt formaliter productio, non poteſt terminari ad eſſe abſolutum Perſonæ productæ, primò quia hoc in priori orginis præſupponitur in Perſona producente. Et deinde quia hoc admiſſo, produceretur eſſentia, quod videbimus eſſe falſum. Ergo debet terminari ad eſſe reſpectiuum, quod ſit proprium perſonæ productæ. Sed non poteſt actiuè terminari ad illud, vt ad terminum formaliter productum, niſi dando illi exiſtentiam propriam, ac perſonalem. Ergo debet dare illi exiſtentiam relatiuam, per quam formaliter accipiat à producente vltimam actualitatem, in eſſe talem perſonam productam. Atque adeo Filius, ac Spiritus Sanctus, vt formaliter termini generationis, ac proceſſionis reſpectiuè, habent proprias exiſtentias relatiuas. Sed neque Pater eſset formaliter Pater, niſi haberet propriam exiſtentiam relatiuam, per quam generet, dicente Aug. lib. 7. de Trin. c. 4. ſub fin. *aliud Deo eſt eſse; aliud Patrem eſſe; quod enim eſt, ad ſe dicitur; Pater autem ad Filium dicitur*. Ergo etiam ipſe habet propriam exiſtentiam relatiuam, per quam ſit ad filium, & conſtituatur in eſſe Patrem.

 4. Quæ

4. Quæ actu diſtinguuntur, habent propriam entitatem, & exiſtentiam, per quam diſtinguantur, vt probauimus in diſp.met.lib.1.diſp.2.ar.1. Sed diuinæ relationes actu inter ſe diſtinguuntur. Ergo habent propriam entitatem, & exiſtentiam, per quam diſtinguantur. Probo conſequentiam, ſi omnes haberent vnam tantùm communem exiſtentiam, vel identificarentur cum illa realiter, vel non? Si primum, ergo non haberent in illa pluralitatem; adeòque non diſtinguerentur ab inuicem realiter, ſed ſola ratione, quod eſt erroneum. Si ſecundum, ergo non poſſent per illam inter ſe diſtingui, cùm diſtinctio non poſſit haberi per aliquod ſuperadditum, vt probauimus in met.loc.cit.ar.5. Ergo ideo actu inter ſe diſtinguuntur, quia ſunt plura actu exiſtentia, vt optimè intulit Riccardus a S.Victore lib.4.de Trin.c.17. *Eadem eſt differentia perſonarum, & exiſtentiarum. Si igitur proprietatibus incommunicabilibus differunt perſonæ, vtique & incommunicabilibus differunt & exiſtentiæ. Oportet autem vt ſit incommunicabilis exiſtentia, cui eſt incommunicabilis differentia. Quot igitur in diuinitate perſonæ, tot incommunicabiles exiſtentiæ.*

ARTICVLVS III.

Soluuntur argumenta allata.

AD 1. Vltrò concedo, dari in Deo tres exiſtentias relatiuas, & vnam abſolutam. Quia tamen relatiuæ ſunt idem realiter cum abſoluta, à qua ſolùm diſtinguuntur virtualiter intrinſecè; ideo non ſunt ſimpliciter in Deo quattuor exiſtentiæ, ſecundùm realitatem, ſed ſolùm tres, niſi velimus admittere exiſtentiam propriam ſpirationis actiuæ, cum qua fieret numerus quaternarius; non tamen fierent quattuor perſonæ, propter rationem afferendam diſp. 13. ar. 2. ad 1. & 4.

Ad 2. Nego antecedens, non ſolùm propter traditas rationes, ſed etiam quia relationes diuinæ, per ſolam exiſtentiam abſolutam, non poſſunt conſtitui, in eſſe formaliter actuales reſpectus. Ergo non ſufficit.

Ad 3. Nego conſequentiam. Quamuis enim Bannes q. 29. ar. 3. dixerit, *quòd hæc propoſitio, in Deo ſunt tres eſſentiæ relatiuæ, poſſit aliqua ratione concedi*; tamen quia conſtans eſt Catholicorum opinio, per multiplicationem relatiuorum non multiplicari in Deo abſoluta, ideo recipio vt oraculum effatum Iuſtiniani, in edicto fidei, *nemo vmquam auſus eſt in catholica eccleſia dicere, quòd ſicut ſunt tres ſubſiſtentiæ, ſic & tres na-*

natura ſunt Sancta Trinitatis; tres enim naturas in Sancta Trinitate ſolus Arrius auſus eſt dicere. Quare vt ſaluetur Bãnes, dicendum eſt, nomine eſſentiæ intellexiſſe quidditates ipſarum relationum, impropriè tamen locutus eſt. Quia ergo relationes diſtinguuntur virtualiter intrinſecè à diuina eſſentia, ideo, ſicut earum quidditatiua multiplicatio, non multiplicat eſſentiam, ita nec multiplicatio earum exiſtentiarum, quibuſcum illæ virtualiter intrinſecè identificantur, multiplicat eſſentiam. Et ratio à priori eſt, quia (vt videbimus) nihil poteſt multiplicari per formam, quæ non ſit eiuſdem ordinis. Sed abſolutum eſt diuerſi ordinis à reſpectiuo. Ergo ſicut multiplicitas abſolutorum non multiplicat reſpectiua, ita nec multiplicitas reſpectiuorum multiplicat abſoluta.

Vnde patet reſponſio ad 4. Quamuis enim Suar. to. 1. in 3. p. diſp. 11. ſect. 2. dicat, poſſe abſolutè concedi tres æternitates relatiuas, realiter diſtinctas, de quibus ait, non loqui Athanaſium in ſuo ſymbolo, tamen placet eius cautionem admittere, dum ſubdit, *ſed quia in hac materia, oportet cautiſſimè loqui, mihi magis placet negare ſequelam*. Et dico cum Faſolo hic q. 30. ar. 1. n. 32. poſſe quidem concedi tres infinitates, immutabilitates, & alios huiuſmodi perfectiones, quæ cõueniunt Perſonalitatibus, etiã vt præciſis à natura communi, non tamen tres ſapientias, tres actus puros, &c.

que

quæ predicata non conueniunt Perſonis, niſi vt identificatis cum eſſentia, quæ ſemper eſt vna, & eadem in omnibus.

Ad 5. Nego antecedens. Cùm enim detur in Deo ſubſiſtere relatiuum, & multiplex, à fortiori poteſt dari multiplex exiſtere relatiuum, in quo non ita clarè importatur eſſe in ſe, ſicut in ſubſiſtere. Et ratio eſt, quia exiſtere dicitur per ordinem ad ens, in quantum ens. Ergo cùm ens diuidatur in abſolutum, & reſpectiuum, etiam exiſtere diuiditur in abſolutum, & reſpectiuum. Ad 1. probationem nego antecedens. Quamuis enim diuinæ Perſonæ non habeant eſſe ad aliud, vt exiſtunt in eſſentia, & vt comparatæ cum illa, habent tamen eſſe ad aliud, vt exiſtunt in via originis, & cum termino comparatæ. Ad 2. Dico, Perſonas opponi, non ſecundum exiſtentiam abſolutam, ſed ſecundùm relatiuas, quibus præciſis, non opponerentur. Ergo hinc probatur oppoſitum. Ad 3. Dico, non ſolùm non eſſe abſurdum quòd in Perſonis dentur exiſtentiæ incommunicabiles, ſed eſſe ab omnibus concedendas, vt dictum eſt, ad ſaluendas reales earum proceſſiones, quæ cùm non poſſint terminari ad exiſtentiam abſolutam, debent terminari ad relatiuas. Sicut ergo vna relatio eſt in vna Perſona, & non in alia; ita & exiſtentia relatiua, quæ nõ diſtinguitur ab ipſa relatione.

Ad 6. Dico, verum eſſe, non poſſe aliquid poni extra nihil per plures formas

rea-

realiter diſtinctas, [& ſucceſſiuè, ita vt priùs ponatur per vnam, & deinde per aliam; poſſe tamen vel per plures formas diſtinctas ſimul poni, vt eſt omne totum actuale, quod ponitur ſimul extra cauſas per ſingulas partes inadæquatè, & per omnes adæquatè; vel per plures virtualiter diſtinctas, quæ ſint realiter vna tantùm, cuiuſmodi ſunt exiſtentia abſoluta, & relatiuæ in Deo, quæ ad inuicem comparatæ, non faciunt numerum, niſi virtualem, vt dictum eſt.

Ad 7. Nego antecedens. Ad authoritatem diui Thomæ, dico illum loqui de relatione ſecundùm genus accidentis vt ſic, quatenus concipitur vt accidens ſubiecto, ſecundùm quam conſiderationem, quia non habet niſi inhærere, ideo non refertur ad terminum, ſed ad ſubiectum, non autem ſecundùm ſpecificam, & propriam rationem relationis, ſecundùm quam eſt ad aliud extra ſubiectum. Quod colligitur ex ijs, quæ docet in 1 d.33.q.1. ar.1.ad 1. vbi ait, *relatio habet eſſe ex his, quæ cauſant ipſam in ſubiecto, ſecundum quod eſſe non refertur ad aliud, ſed ad ſubiectum, ſicut quodlibet accidens.* Ergo non negat, quòd habeat exiſtentiam ſecundùm aliam conſiderationem, ſecundùm quam eſt ad aliud à ſubiecto.

Ad 8. Primò contra Gonet retorqueo argumentum, eſſentia per ipſum, & ſuos communiter Thomiſtas, ſubſiſtit per ſubſiſtentiam propriam abſolutam, & tamen ſubſiſtit etiam per relatiuas. Er-

go

go etiam relationes exiſtunt per exiſtentiam communem abſolutam, & per proprias relatiuas. Deinde dico, exiſtentias relatiuas eſſe realiter idem cum abſoluta, licèt virtualiter diſtinguantur. Ergo non daretur actualitas actualitatis ſecundùm rem, & in ſenſu reali, ſed ſolùm ſecundùm rationem, per ſolam diſtinctionem virtualem, eo modoquo datur ſubſiſtentia ſubſiſtentiæ, in tali ſententia. 3. Sicut eſſentia ita tota ſubſiſtit in Patre, vt non totaliter in illo ſubſiſtat; ita relatio tota exiſtit per exiſtentiam abſolutã, vt non totaliter per illam exiſtat, ſed etiã per propriam relatiuam, tâquàm per vnã exiſtentiam adæquatam. Demum quod eſt vltimum determinatiuum formale in aliquo genere, poteſt per aliud in alio genere determinari, vt patet in vnione animæ cum corpore in Chriſto, quæ fuit vnita cum Verbo per aliam vnionem, nempe per hypoſtaticam, vt probaui in diſp. met. lib. 1. diſp. 2. ar. 1. Ergo licèt exiſtentia ſit vltima actualitas, in genere abſolutorum, poteſt per aliam actuari in genere reſpectiuorum, ita vt per primam relatio actuetur ad ſe in eſſentia, & per ſecundam actuetur ad terminum in Perſona.

DI-

DISPVTATIO XII.

De Relationibus, vt ad inuicem comparatis.

POſtquam comparauimus diuinas relationes cum eſſentia, perfectione, & exiſtentia, debemus illas comparare ad inuicem, & cum Perſonis, quorum primum præſtabimus hic, & aliud in diſp. ſequenti. Quæremus ergo 1. An ab inuicem realiter diſtinguantur? Et deinde an communis ſpiratio diſtinguatur à paternitate, & filiatione? 3. An generatio paſſiua, & ſpiratio paſſiua diſtinguantur ab inuicem? 4. An vna producatur ab alia? 5. An Paternitas, & generatio actiua diſtinguantur in Patre?

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An diuinæ relationes realiter ab inuicem diſtinguantur?

VIdentur non diſtingui, Primò quia ſi realiter ab inuicem diſtinguerentur, non eſſent realiter Deus. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo non diſtinguuntur ab inuicem realiter. Probatur maior, quidquid realiter diſtinguitur à Deo, non eſt realiter Deus. Sed paternitas vt diuina relatio, eſt realiter Deus; & ideo dicitur *paternitas eſt eſſentia: eſſentia eſt Deus*. Ergo ſi relatio filiationis realiter ab illa diſtingueretur, realiter diſtingueretur à Deo; & per conſequens non eſſet Deus. Et idem dico de paternitate, reſpectu filiationis, &c.

2. Quæ ſunt realiter idem cum tertio, ſunt realiter idem inter ſe; aliter corrueret primum principium, in quo ſubſternitur tota vis ſyllogiſtica, vt dictum eſt in logicis. Sed diuinæ relationes ſunt idem realiter cum eadem eſſentia. Ergo & inter ſe.

3. Ea ſola diſtinguuntur realiter, quæ diſcrepant in prædicatis perfectiuis, vt probatum eſt in diſp. met. lib. 1. diſp. 2. ar. 1. Sed hæc diſcrepantia non poteſt eſſe in diuinis, quorum ſingula debent includere omnem perfectionem. Ergo neque realis diſtinctio.

4. Plurificatis realiter relationibus, plu-

§. *dixi equidem* recipitur tamquàm de fide aſſertum hoc Ioannis theologi, *ſola namque relatio apud omnes, tàm Græcos, quàm Latinos Doctores, diuina proceſſione Perſonas multiplicat*; *ita vt non vlla alia ratione, quàm vi relationis, Pater à Filio, & vna Perſona ab alia differant*. Et in Lateranenſi ſub Innoc. 3. cap. *firmiter* ſub init. dicitur, *Sancta Trinitas ſecundùm communem eſſentiam indiuidua, & ſecundùm perſonales proprietates diſcreta*. Vnde emanarunt illa duo axiomata, tamquàm oracula recepta à theologis, ex Boetio lib. de Trin. c. 12. & Anzelmo de proceſſione Spiritus Sancti c. 3. *ſola relatio multiplicat Trinitatem*: & aliud, *in diuinis omnia ſunt vnũ, vbi non obuiat relationum oppoſitio*. Sed hæc non eſſent, niſi relationes oppoſitæ ab inuicem realiter diſtinguerẽtur; quomodo enim poſſent diſtingui Perſonæ per ea, quæ in ſe non habent diſtinctionem? Ergo inter ſe realiter diſtinguuntur, ex vi illius axiomatis philoſophici, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*.

Probatur 2. Ratione à priori, ea realiter diſtinguuntur, quæ diſcrepant in prædicatis perfectiuis, ita vt vnum poſſit in recto negari de alio, per mutuam negabilitatem, vt fusè probauimus ex definitione; & conceptu quidditatiuo diſtinctionis realis, in diſp. met. lib. 1. diſp. 2. ar. 1. Sed ita ſe habent ad inuicem reales relationes oppoſitæ in diuinis,

nam

nam verè poteſt dici, paternitas non eſt realiter filiatio, & econtra, & vtraque eſt perfectio, vt probatum eſt diſp. 10. ar. 4. Ergo diſcrepant in prædicatis perfectiuis; adeoque realiter ab inuicem diſtinguuntur.

Dices, ideo relationes ab inuicem diſtinguuntur, quia ſunt perfectiones diſcrepantes, & ideo ſunt perfectiones diſcrepantes, quia diſtinguuntur. Ergo committitur circulus vitioſus, quia explicatur idem per idem.

Diſtinguo antecedens, ſi ly *ideo* dicat rationem formalem intrinſecam obiectiuam, concedo: ſi dicat rationem formalem extrinſecam, ſeu definitionem intentionalem, nego antecedens. Et diſtinguo conſequens, committitur circulus in primo ſenſu, concedo: in 2. nego conſequentiam. Explico diſtinctionem, quia definitio obiectiua debet eſſe idem cum obiecto definito, dicitur cum illo ad conuertentiam. Atque adeo idem reſpectu eiuſdem, poteſt habere rationem conditionis, & abſoluti, per varias circulationes intentionales, obiectiuè ſumptas. Nam ſicut eſt verum, homo eſt homo, quia eſt animal rationale, ita eſt verum, eſt animal rationale, quia eſt homo. Et hic circulus tantum abeſt quòd ſit vitioſus, vt ſit omninò neceſſarius, inter definitionem obiectiuam, & obiectum definitum, vt fusè probauimus in organo lib. 2. ar. 6. Quia verò definitio formalis extrinſeca, quatenùs dicit actũ in-

intellectus definientis, non eſt idem cum obiecto definito, ideo non dicitur ad conuertentiam cum illo. Et præterea quia ſemper obiectum eſt aliquod prius, quia concurrit ad talem actum intellectus, per ſpeciem ſui, ideo non committitur circulus, quia ſuppoſito obiecto ſub conceptu formali hominis, illud poſtea explicatur per definitionem animalis rationalis, quæ definitio non explicatur per conceptum formalem hominis, quia conceptus clarior non explicatur per obſcuriorem. Hoc poſito, relationes diuinæ, de quibus affirmatur quòd ſint diſtinctæ, quia diſcrepantes, vel accipiuntur obiectiuè, ſecundùm conceptus obiectiuos diſtinctionis, & diſcrepantiæ, vel formaliter, ſecundùm formales? Si primum hæc omnia ſunt vnum, & idem in illis, & dicuntur ad conuertentiam per circulum eſſentialem, cùm idem ſit in illis exiſtere, eſse perfectiones diſcrepantes, & ab inuicem diſtingui. Si ſecundùm, quia ſunt conceptus explicantes diſtinctionem obiectiuam, reſultantem ex oppoſitione perfectionum ſimplicium, ſunt illa poſteriores, neque per illas explicantur; & ideo non dicuntur ad conuertentiam, neque ſit circulus.

AR-

ARTICVLVS II.

Soluuntur argumenta contraria.

AD 1. Nego maiorem, cuius probationem diſtinguo, quidquid realiter diſtinguitur à Deo diſtinctione adæquata, non eſt realiter Deus, concedo: diſtinctione inadæquata, nego maiorem. Et conceſsa minori, diſtinguo conſequens, relatio filiationis diſtingueretur à Deo adæquatè, hoc eſt ab omni eo, quod eſt realiter Deus, nego: diſtingueretur inadęquatè, hoc eſt ab aliquo, quod eſt realiter Deus, concedo conſequentiam. Vnde non ſequitur, quòd non ſit realiter Deus, immò oppoſitum, cùm ſit impoſſibile, non eſse realiter Deum quod realiter identificatur cum aliquo, quod eſt realiter Deus, iuxta illud, quæ ſunt idem in vno tertio, ſunt idem inter ſe.

Ad 2. Reſpondet Caietanus q.28.ar.3. contra Capreolum, illud axioma valere ſolùm ſecundùm id, ſecundùm quòd extrema identificantur cum medio, non autem ſecundùm alia, ſecundùm quæ non identificantur. Sed hæc reſponſio auget, non tollit difficultatem; nam ſtatim poteſt retorqueri contra ipſum, Pater, & Filius identificantur cum eadem eſsentia, ſecundum relationes. Ergo ſecundùm eaſdem identificantur inter ſe. Reſpondeo igitur diſtinguendo maiorem,

rem, quæ ſunt realiter idem cum tertio identitate adæquata, & omnibus modis, ſunt realiter idem inter ſe, concedo: idētitate inadæquata, nego maiorem. Et conceſſa ſola identitate inadæquata relationum cum eſſentia, nego conſequentiam. Non quòd tota eſſentia non communicetur Perſonis, ſed quòd non communicetur totum illud, quod eſt in illa; & ideo communicatur tota, ſed non totaliter.

Dices, ideo paternitas, & filiatio non ſunt idem inter ſe, quia licèt ſint idem cum eadem eſſentia, non ſunt idem cum illa adæquatè. Sed neque paternitas, & aliquid quod eſt realiter Deus, identificantur adæquatè cum eſſentia. Ergo paternitas, & aliquid quod eſt realiter Deus, non ſunt idem inter ſe. Vnde corruit reſponſio primi argumenti. Vel enim requiritur identitas adæquata extremorum cum medio, vt inferatur identitas extremorum inter ſe, vel non? Si primum, ergo quia paternitas, & Deus non identificantur adæquatè cum eſſentia, non ſunt idem inter ſe; & ſic recurrit primum argumentum. Si ſecundum, ergo quia relationes identificantur inadæquatè cum eſſentia, identificantur inter ſe.

Nego conſequentiam, quæ facit tranſitum ex ſecundùm quid, ad ſimpliciter. Ex eo enim quòd paternitas, & aliquid quod eſt realiter Deus, non ſint idem adæquatè cum eſſentia, infert quòd nullo modo ſint idem inter ſe. Dico ergo

ex vi illius principij ſolùm ſequi identitatem extremorum inter ſe, in eo genere, in quo identificantur cum tertio. Quia ergo illa duo extrema identificantur ſolùm inadæquatè cum tertio, ideo ſolùm inadæquatè identificantur inter ſe. Et quia identitas inadæquata eſt ſolùm ſecundùm aliquid, & non ſecundùm omnia, ideo poſſunt duo, vt paternitas, & filiatio identificari ſecundùm aliquid, nempe ſecundùm eſſentiam, & eſſe formaliter Deus, & ſecundùm aliquid non identificari, nempe ſecundùm relationes, & realiter diſtingui. Vide in 1. diſ. ar. 1. ad 1. vbi ſoluitur alio modo hoc argumentum.

Ad 3. Nego minorem. Quamuis enim in diuinis non poſſit eſſe diſcrepantia, ſecundùm perfectiones ſimpliciter ſimplices, quæ ſunt abſolutæ, tamen poteſt eſſe ſecundùm perfectiones ſimplices, quæ ſunt relatiuæ, vt probauimus in loco cit. ab arguente. Ad eius probationem toties reſpondimus, ad rationem deitatis ſufficere cumulum perfectionum ſimpliciter ſimplicium. Ergo poteſt deitas admittere diſcrepantiam ſecundùm alias.

Ad 4. Diſtinguo maiorem, plurificarentur Perſonæ quoad eſſentiam, & perfectiones abſolutas, nego: quoad relationes, & perfectiones relatiuas, concedo maiorem. Et admiſſa minori, nego conſequentiam, quæ ſolùm valeret, quando multiplicaretur Deitas, quæ non ſe-

ſequitur multiplicationem relationum. Ergo non ſunt plures Dij.

Ad 5. Diſtinguo minorem, vna relatio non poteſt ab alia oriri, tamquam à principio *quo*, nego: tamquam à principio *quod*, & ſubdiſtinguo, ſi relatio accipiatur in abſtracto, concedo, quia non verè dicitur, *paternitas generat*, eò quia actio ſit ſuppoſiti: ſi accipiatur in concreto, nego minorem, & cum illa conſequentiam. Ad probationem minoris nego ſequelam, quia cùm relatio non multiplicetur, niſi per origines, cùm hæ non poſſint in infinitum multiplicari, neque ipſæ relationes. Deinde nego conſequentiam, quæ non benè ſequitur ex præmiſſis malè diſpoſitis, & non diſtribuentibus medium. Et ratio negationis eſt, quia (vt ait diuus Thomas 1. p.q.28.ar.3.ad 3.) quamuis relationes ab inuicem non orirentur, quia tamen accipiuntur per oppoſitum, ideo ratione oppoſitionis, haberēt ſe inuicem excludere, adeòq; realiter diſtingui, cùm excluſio vnius perfectionis ab alia, non poſſit eſſe abſque reali diſtinctione.

Neque obſtat contra primam reſponſionem, quòd diuus Tho. loco cit. dicat, *relationes propriè loquendo non oriri, aut procedere ab inuicem*, quia Hylarius 4. de Trin. ſępè docet, *quidquid eſt in filio natum eſt*. Et ipſemet diuus Thomas q.27. probat, vnam Perſonam ab alia procedere, quod eſt de fide. Cum ergo Perſona non poſſit procedere ſecundum

P 2 eſ-

eſſentiam, quæ neque generat, neque generatur, ſequitur quòd procedat ſecundùm relationem. Præterea cùm Perſona non producat aliam, niſi per ea, ex quibus conſtat, cùm conſtituatur relatione, per illam producit, tamquàm per principium formale *quo*, & ipſa Perſona eſt principium *quod*. Verùm de hoc inſtituemus infra ſpecialem quæſtionem.

Ad 6. Nego maiorem. Ad cuius probationem dico, quòd cùm communis ſpiratio ſit vna, & eadem numero in Patre, & filio, non habet vllas formalitates oppoſitas, ſicut non habet eſſentia, quæ proinde non dicitur improducta vt eſt in Patre, & producta vt eſt in Filio, quamuis Filio communicetur per realem productionem. Communicatur ergo filio ſpiratio actiua à Patre, & quia realiter diſtinguitur à filiatione, in eſſe relationis, neque habet formalitatem productæ per eſſentiam filij; neque per eius relationem, à qua diſtinguitur; atque adeo non habet eſſe ab alio, licèt ab alio per generationem communicetur, vt probabimus in loco. Hoc tamen argumentum validè vrget eos, qui dicunt, communem ſpirationem eſſe realiter idem cum paternitate, & filiatione, quia ſemper poſſet vrgeri, eſſe improductam in Patre, & productam in filio; adeòque habere formalitates oppoſitas. Neque valet prò illis inſtantia de eſſentia, primò quia non eſt reſpectiua. Et deinde quia non oppo-

ponitur ſpirationi paſſiuæ. Ergo non eſt paritas. Verùm de hoc infra.

ARTICVLVS III.

An ſpiratio actiua realiter diſtinguatur à paternitate, & filiatione?

VIdetur non diſtingui, vt acerrimè propugnant omnes Thomiſtæ, eorumque ſectatores, quorum aliqui notam inurunt contrariæ opinioni, illam vocantes cum Ruiz diſp 17. ſect. 3. n. 18. *periculoſam*: cum Bannes q. 32. ar. 3. dub. 2. concl. 2. *errorem*: cum Zumel hic ar. 2. diſp. 1. concl. 1. *fortè erroneam, & vt minimum errori proximam*: cum Suar. lib. 5. de Trin. c. 5. n. 6. *errorem in fide*: cum Molina q. 32. ar. 2. diſp. 3. *parum tutam in fide, immò meo iudicio erronea poſſet appellari*, & cum Arubal diſp. 102. n. 23. *temerariam, & periculoſam in fide*. Eorum fundamenta reducuntur ad hæc.

1. Admiſſa hac diſtinctione reali, daretur in Deo quaternitas. Sed hæc reijcitur in c *damnamus* de ſumma Trin. ac fide cath. eò quia daretur quarta Perſona, nempe ſubſtantia perfecta per ſe ſubſiſtens, quod includit hæreſim manifeſtam. Ergo non poteſt admitti.

2. In diuinis nulla eſt realis diſtinctio, niſi inter oppoſita relatiuè, iuxta illud commune axioma theologorum, *in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat oppoſitio relatiua*. Sed paternitas, & ſpi-

ratio actiua non opponuntur relatiuè. Ergo neque realiter diſtinguuntur.

3. Quæ ſunt in diuinis ſuppoſitis, non differunt in illis realiter. Primò quia ex hoc ipſo eſſent incompoſſibilia. 2. quia facerent compoſitionem in illis. Et demum quia Spiritus Sanctus eſſet ſimplicior Patre, & filio, quæ ſunt abſurda. Sed ſpiratio actiua eſt in ſuppoſitis Patris, & filij. Ergo non facit in illis diſtinctionem.

Priuſquam reſoluam quæſtionem hãc difficillimam, vt omnes intelligant, me tramitem tam præcipitem ſine duce non inceſſurum. Primò in medium proferam quid alij ſenſerint ſuper hoc, & præcipuè D. Thomas. Deinde dicam quid poſſet aſſeri pro hac materia, iuxta catholicam veritatem. Et demum dicam quid ſentiam, ſalua ſemper honorificentia, quæ debetur diuo Thomæ, alijſque claſſicis Authoribus, tàm benè meritis de fide catholica.

§. Primus.

Quid ſenſerit D. Thomas de hac quæſtione,

Videtur ſenſiſſe, quod hæ relationes diſtinguantur ab inuicem realiter, Primò quia 1.p.q.28. ar.1. in littera ait, *Pater non dicitur, niſi paternitate, & filius filiatione. Si igitur paternitas, & filiatio non ſunt in Deo realiter, ſequitur*

quod

quòd Deus non ſit realiter Pater, aut filius, ſed ſecundùm rationem intelligentiæ tantum, quod eſt hæreſis Sabelliana. Et in fine corporis, *cùm igitur proceſſiones in diuinis ſint in identitate naturæ, neceſſe eſt, quòd relationes, quæ ſecundùm proceſſiones diuinas accipiuntur, ſint relationes reales.* Sed niſi ſpiratio actiua realiter diſtingueretur à paternitate, & filiatione, non eſſet relatio realis, ſed rationis tantùm, eò quia ſola ratio conciperet in paternitate, & filiatione reſpectum ad Spiritum Sanctum, quem ex ſe, vt formaliter tales, non important. Ergo ſpiratio actiua non eſſet relatio realis. Atque adeo contra ipſam valeret argumentum eiuſdem, ſi ſpiratio actiua non eſt realiter in Patre, & Filio, Pater, & Filius non ſunt realiter principium Spiritus Sancti, quod eſt hæreſis Sabelliana.

Neque obſtat, quòd attributa ſint realiter in Deo, licèt realiter ab inuicem non diſtinguantur. Siquidem attributa, cùm ſint perfectiones abſolutæ, non inducunt multiplicitatem in Deo, ſecundùm realitatem, ſed ſolùm ſecundùm rationem; & ideo quia non plurificantur, niſi per rationem, vt plu a, hoc eſt quatenus reduplicant pluralitatem, non ſunt in Deo realiter, quia ipſa pluralitas reduplicata non eſt realis, ſed rationis tantùm, quatenus videlicèt noſter intellectus in eadem vna, & ſimpliciſſima diuina eſſentia, per diuerſas comparationes

cum extrinſecis connotatis, diſtinguit plures perfectiones, quarum ſingulas attingit ſingulis conceptibus inadæquatis. Hoc non valet de relatiuis, quæ cùm debeant realiter plurificare Perſonas, debent ab inuicem realiter diſtingui, cùm ſit impoſſibile, haberi in terminis diſtinctionem realem per principia, ſola ratione diſtincta, vt patet in attributis, quæ ſicut ab inuicem ſola ratione diſtinguuntur, ita non faciunt principium iuſtitiæ diſtinctum à principio miſerendi, niſi per rationem. Ergo debent eſſe vt realiter in ſe plura, & non plurificari in Deo per ſolam aliquam diſtinctionem rationis.

Hoc totum deſumitur ex eodem loco, in quo docet Angelicus, *qui reſpectus aliquando eſt in ipſa natura rerum, vipote quando aliqua res ſecundùm ſuam naturam ad inuicem ordinata ſunt; & huiuſmodi relationes oportet eſſe reales. Aliquando verò reſpectus ſignificatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid, eſt tantùm in ipſa apprehenſione rationis, conferentis vnum alteri; & tunc eſt relatio rationis tantùm.* Et deinde applicans doctrinam generalem, concludit. *Cum aliquid procedit à principio eiuſdem naturæ, neceſſe eſt, quod ambo, ſcilicet procedens, & id, à quo procedit, in eodem ordine conueniant; & ſic oportet quòd habeant reales reſpectus ad inuicem.* Sicut ergo Spiritus Sanctus non refertur ad Patrem, & filium, vt generantem, & genitum; ita

vt

vt eius reſpectus terminetur realiter ad generationem actiuam, & paſſiuam, ita neque Pater, & Filius referuntur ad illum, per generationem actiuam, & paſſiuam, ſed per ſpirationem, quæ ſit realiter ab vtraque diſtincta.

2. In eadem quæſtione ar. 3. in littera ait, *contra quod dicit Boetius lib. de Trinit. quòd ſubſtantia in diuinis continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatē. Si ergo relationes non diſtinguuntur ab inuicem realiter, non erit in diuinis Trinitas realis, ſed rationis tantùm, quod eſt Sabelliani erroris*. Et in fine corporis, *Vnde oportet, quòd in Deo ſit realis diſtinctio, non quidem ſecundùm rem abſolutam, quæ eſt eſſentia, in qua eſt ſumma vnitas, & ſimplicitas, ſed ſecundùm rem relatiuam*. Quia ergo loquitur vniuerſaliter, dicendum eſt, quòd omnes diuinæ relationes, per comparationem cum eſſentia, in qua ſunt vnum, non diſtinguantur, & per comparationem vnius cum alia, realiter diſtinguantur.

3. In ead. q. ar. 4. In concluſ. *In Deo quattuor tantùm reales relationes ſunt, paternitas, filiatio, ſpiratio, & proceſſio*. Et in corpore, *ſecundùm quamlibet autem proceſſionem oportet duas accipere relationes oppoſitas, quarum vna ſit procedentis à principio, & alia ipſius principij*. Sed ſi ſpiratio eſſet realiter paternitas, & filiatio, non eſſent quattuor relationes reales, ſed tantum tres, nēpe pa-

ternitas, filiatio, & proceſſio, quibus ſola ratio ſuperadderet ſpirationem. Ergo ad ſaluandam realem quaternitatem relationum, admittenda eſt realis diſtinctio ſpirationis à paternitate, & filiatione. Præterea, ſi non admittatur hæc diſtinctio, in proceſſione per voluntatem, non darentur duæ relationes reales, ſed vna tantum, nempe ſpiratio paſſiua, eò quia ſpiratio actiua ſecũdùm realitatem confunderetur cum generatione actiua, & paſſiua, à quibus ſola ratione diſtingueretur. Ergo non eſſent duæ relationes reales, ſecundùm quàmlibet proceſſionem, vt docet diuus Thomas. Probatur euidenter conſequentia ex eius doctrina, quam ſupra retulimus; eò quia reſpectus ſignificatus per ſpirationem, eſſet tantum in ipſa apprehenſione rationis, diſtinguente talem relationem ſpirationis à generatione, à qua ſecundùm ſe non diſtingueretur. Ergo in proceſſione per voluntatem eſſet vna tantùm relatio realis, nempe proceſſio, & altera eſſet rationis, nempe ſpiratio. Immò ex hoc ipſo neq; ipſa proceſſio eſſet realis, quia cùm opponeretur relationi rationis, non poſſet eſſe realis; vnde corrueret realis diſtinctio Spiritus Sancti à Patre, & Filio, quod eſſet Sabellianiſmus.

4. In q.32.ar.2.in corp. ait, *Vna perſona inuenitur in diuinis referri ad duas Perſonas, ſcilicet Perſona Patris ad perſonam Filij, & perſonam Spiritus Sancti; non autem vna relatione, quia ſic ſe-*

queretur, quòd etiam Filius, & Spiritus Sanctus vna, & eadem relatione referrentur ad Patrem. Et ſic cùm ſola relatio in diuinis multiplicet Trinitatem, ſequeretur, quòd Filius, & Spiritus Sanctus non eſſent dua Perſona. Neque tamen poteſt dici (vt Prapoſitiuus dicebat) quòd ſicut Deus vno modo ſe habet ad creaturas, cùm tamen diuerſimodè creatura ſe habeant ad ipſum; ſic Pater vna relatione refertur ad Filium, & Spiritum Sanctum, cùm tamen illi duo duabus relationibus referantur ad Patrem. Quia cùm ratio ſpecifica relatiui conſiſtat in hoc, quòd ad aliud ſe habet, neceſſe eſt dicere, quòd dua relationes non ſunt diuerſa ſecundùm ſpeciem, ſi ex oppoſito vna relatio eis correſpondeat.

Hìc tria dicit D. Thomas. Primum eſt, in Patre eſſe duas relationes reales. Secundùm eſt, quòd ex earum diſtinctione ſequitur diſtinctio Filij à Spiritu Sancto, ex illo principio, quòd ſola relatio multiplicat Perſonas. Et tertium, quòd vni relationi ſecundùm speciem non poſſunt correſpondere plures relationes ſpecie differentes.

Quoad primum, omnis dualitas vel eſt in ipſis rebus, independenter ab operatione noſtri intellectus, & eſt realis diſtinctio; vel habetur formaliter per ipſam noſtram operationem intellectiuam, & quia eſt in ipſa apprehenſione, eſt diſtinctio rationis. De qua ergo dualitate hìc eſt ſermo? Si de prima. Ergo admit-

titur diſtinctio realis inter generationẽ, & ſpirationem. Si de ſecunda, ergo admittitur ſola diſtinctio rationis. Hæc autem *non eſt ad propoſitum* (vt obſeruat hic Caietanus) *tùm quia*(vt ipſe ait) *de rebus in hac ratione eſt ſermo, quæ ex natura relationum procedit. Tum quia ex præmiſſis prædicta rationis manifeſtè ſequitur, ſi eſt valida, quòd diuerſis ſpecie relationibus oportet diuerſas ſpecie relationes correſpondere. Conſtat autem, quòd ad diuerſitatem ſpecificam in rerũ natura, non ſufficit diſtinctio rationis.* Et demum quia etiam Filius, & Spiritus Sanctus duabus relationibus rationis referrentur ad Patrem; & ſic ſola ratione diſtinguerentur, quod eſt hæreticum. Ergo excluſa diſtinctione rationis, ſola remanet diſtinctio realis, iuxta doctrinam D. Thomæ.

Dices, generari, & ſpirari, licèt ſint relationes ſpecie differentes, quia vna procedit per intellectum, & alia per voluntatem, poſſunt ab inuicem realiter diſtingui, & referri ad generare, & ſpirare, tanquam ad vnam realiter relationem, ſed virtualiter duplicem. Ergo non eſt neceſſe, quòd correſpondeant duabus realiter diſtinctis.

Sed contra eſt, primò quia diſtinctio virtualis vel eſt in ipſis rebus, independenter ab operatione intellectus, & eſt realis; vel habetur formaliter per ipſam rationem, & eſt rationis. Hæc autem apertè excluditur à D. Thoma, vt inſufficiens.

ciens.

ciens. Cùm enim contra Præpoſitiuum conceſſiſſet, Deum vna relatione reſpicere multiplicem relationem creaturarũ, apertiſſimè negat, vnam Perſonam terminare per vnam relationem, multiplicem relationem aliarum Perſonarum. Et affert euidentem diſparitatem, *quia in Deo nõ requiritur relatio realis ad creaturas, relationem autem rationis in Deo multiplicare non eſt inconueniens. Sed in Patre oportet eſſe relationem realem, qua refertur ad Filium, & Spiritum Sanctum.* Ergo loquitur de relatione reali ad Filium, & reali ad Spiritum Sanctum, vt opponitur relationi rationis, & virtuali; aliter nulla eſſet diſparitas; & concludit, quòd ſicut in Deo multiplicantur relationes rationis ad creaturas, ita in Deo Patre debent multiplicari relationes reales ad Filium, & Spiritum Sanctum, vt docet infra, *Vnde ſecundùm duas relationes Filij, & Spiritus Sancti, oportet intelligi duas relationes in Patre, quibus referatur ad Filium, & Spiritum Sanctum.* Deinde quia menſura dualitatis relationum in Patre, debet deſumi ex dualitate relationum, quæ ſunt in Filio, & Spiritu Sancto, & ideo dicitur, *vnde ſecũdùm duas relationes, &c.* Ergo ſicut in his eſt dualitas realis, ita debet eſſe in Patre; aliter in Patre non eſſent relationes reales, ſed rationis.

Vnde obiter infer, quàm parùm ſolidè Valentia 1.p.to.2.diſp.2.q.6.p.2. ad 1. vocet has relationes reales, non quia ſint rea-

realitates diſtinctæ, ſed quia terminentur ad terminos reales, nempe ad Filium, & S. Spiritum. Siquidem admiſſa hac doctrina, etiam relatio Dei ad creaturas eſſet realis, quia cùm creaturæ ſint termini reales, terminatur ad realia, quo admiſſo diſparitas diui Thomæ corrueret. Ergo quando D. Thomas ait, *in Patre oportet eſſe relationem realem, qua refertur ad Filium, & Spiritum Sanctum*, non poteſt intelligi de realitate terminatiua, ſed de formali, fundata in dualitate reali.

Callidè igitur Caietanus loc. cit. cùm promouiſſet difficultatem, illam verbis eludit, aſſerendo quod negat, his verbis *affirmare verò quòd ſunt dua formalitates, ſecundùm rationem tantum* (loquendo de generatione, & ſpiratione in Patre) *non quietat multorum intellectũ, quia eſſe duo ſecundùm rationem, non eſt eſſe duo, ſed intelligi duo, ſicut eſſe quantum ſecundum rationem, non eſt eſſe quantum, ſed intelligi quantum*. Ecce quomodo excludit diſtinctionem rationis, vt inſufficientem. Et deinde pergit. *Vnde cùm nulla ſit actualis diſtinctio, prater realem, aut rationis, reſtat quòd ſint dua virtualiter, ideſt perinde ſe habent, ac ſi eſſent dua. Et hoc conſonat excellentia diuina rei, vt eſt in rerum natura, abſque omni operatione intellectus, ſufficitque propoſito, reliquiſque difficultatibus ſoluendis*. Eludit (inquam) primò quia ait, nullam eſſe actualem

lem diſtinctionem, præter realem, & rationis. Vel ergo hæ relationes actu diſtinguuntur, vel non? Si primum, ergo vel diſtinguuntur realiter, vel ratione? Hoc ſecundùm reijcitur ab ipſo vt inſufficiens, vt ſupra vidimus. Ergo vel admittit diſtinctionem realem, ſub tegmine diſtinctionis virtualis. Vel admittit ſolam diſtinctionem rationis, quam reiecerat, & iuxta eius doctrinam, non ſoluit difficultatem. Si ſecundum, ergo contradicit diuo Thomæ, docenti, has relationes actu diſtingui in Patre, ſicut oppoſitæ actu diſtinguuntur in Filio, & Spiritu Sancto. Deinde cum ait, ſe loqui *de re diuina, vt eſt in rerum natura, abſque omni operatione intellectus*, vel comprehendit etiam diſtinctionem virtualem, & erit diſtinctio realis; vel illam non comprehendit, & nihil ad rem, quia licèt ſint in diuina natura generatio, & ſpiratio, adhùc non diſtinguuntur, niſi per operationem intellectus, & redimus ad puram diſtinctionem rationis ab ipſo reiectam. Ergo per diſtinctionem virtualem non ſaluat dualitatem relationũ in Patre, aſſertam à D. Thoma, niſi illam explicet per diſtinctionem realem, vel per formalem Scotiſticam, quam toties ipſe vt chimæricam exhibilauit.

Quoad ſecundùm, illatio diui Thomæ ita procedit, ſi Pater haberet vnam tantùm relationem ad Filium, & Spiritum Sanctum, etiam Filius, & Spiritus Sanctus haberent vnam, & eamdem rela-

ſibi correſpondente, vt mox patebit. Ergo non potuiſſet inferre D. Thomas, quòd Filius non diſtingueretur à Spiritu Sancto, niſi ex hypotheſi quòd ſpiratio actiua non diſtinguatur realiter à generatione, tàm actiua in Patre, quàm paſſiua in Filio.

Probo ſecundum, inhærendo ſemper doctrinæ eiuſdem. *Ratio ſpecifica relatiui* (vt ipſe docet ibid.) *conſiſtit in hoc, quòd ad aliud ſe habet*. Ergo ſicut vnicum ſpecie relatiuum eſt ad vnicum ſpecie correlatiuum, ita multiplex ſpecie relatiuum eſt ad multiplex ſpecie relatiuum, vt aduertit Caietanus in hunc locum. Sed generari, & ſpirari ſunt duo ſpecie relatiua. Ergo debent eſſe ad duo ſpecie correlatiua, nempe ad generare, & ſpirare. Sed hoc non eſſet, ſi eſſent realiter idem, nam multiplicitas realis non poteſt correſpondere multiplicitati rationis, per modum correlatiui. Ergo generare, & ſpirare debent realiter diſtingui ab inuicem; aliter neque diſtinguerentur generari, & ſpirari, cùm vnius correlatiui diſtinctio ſequatur diſtinctionem alterius in eodem genere.

Quoad tertium, quòd eidem relationi ſecundùm ſpeciem non poſſunt correſpondere plures termini diuerſarum ſpecierum, occurrit dubium motum à Caietano ex 3.p.q.35.ar.5. in quo docet diuus Thomas, *vnitas relationis, vel eius pluralitas non attenditur ſecundùm terminos, ſed ſecundùm cauſam, vel ſubie-*

ictum. Et hoc probat ex abſurdo cōſequentis, *ſi enim ſecundùm terminos attenderetur, oporteret quòd quilibet homo in ſe duas filiationes haberet, vnam; qua refertur ad patrem, & aliam, qua refertur ad matrem*. Vnde videtur corruere totus proceſſus D. Thomæ, quo probat dualitatem relationum in Patre, nempe quòd vnitas, vel ſpecifica pluralitas relationum habeatur à termino, & non à fundamento.

Ad hoc dico Primò, D. Thomam non ſibi contradicere, ſed loqui diuerſimodè, ſecundùm diuerſitatem cauſarum partialium, ex quarum complexione habetur cauſa adæquata ſpecificæ identitatis in relationibus. Quia ergo relatio ſpecificatur per fundamentum proximum, & per terminum, ideo hìc locutus eſt de ſpecificatiuo partiali, quod reſultat ex termino, & in loco cit. 3. p. locutus eſt de alio, quod reſultat ex fundamento proximo, ſumendo cauſas diſtinctionis, prout ſibi conducebant ad intentum. Atque adeo quia hic ad probandam aſſertam dualitatem ſufficiebat diſtinctio termini, illam ſolam adduxit; & quia in 3. p. ad probandam vnam filiationem in Chriſto, ſufficiebat vnitas fundamenti, nempe diuinæ Perſonæ, ideo de illa ſola locutus eſt, ſupponendo quòd ſoli Perſonæ conueniant natiuitas, & filiatio.

Quòd autem ita ſit exponendus Diu. Thomas (quidquid incontrarium contendat vtrobique Caietanus) patet euiden-

denter ex ipſo textu. Nam probans ſuum dictum, affert exemplum Magiſtri, & Patris, *ſi aliquis eſt aliquorum magiſter in grammatica, & aliorum in logica, alia eſt ratio magiſterij vtriuſque; & ideo relationibus diuerſis vnus, & idem homo poteſt eſſe magiſter, vel diuerſorũ, vel eorumdem, ſecundùm diuerſas doctrinas*. Et deinde tranſit ad Patrem, *contingit autem, quòd aliquis habet relationem ad plures ſecundùm diuerſas cauſas, eiuſdem tamen ſpeciei, ſicut cum aliquis eſt pater diuerſorum filiorum, ſecundùm diuerſos generationis actus, vnde paternitas non poteſt ſpecie differre, cùm actus generationum ſint ijdem ſpeciei*. Ergo nomine cauſæ diuerſificantis ſecundùm ſpeciem relationes, intelligit fundamentum proximum, ſeu proximam rationem fundandi, quæ eſt doctrina in magiſtro, & generatio in Patre. Hoc poſito, quia ad identitatem ſpecificam relationum, requiritur eadem ratio proxima fundandi, & idem terminus, alterutro deficiente, tollitur hæc identitas; & loco illius ſequitur diſtinctio ſpecifica. Vnde optimè ſaluatur vtraque doctrina D. Thomæ, & neutra repugnat alteri.

Dices, per illud ſolùm habetur ſpecifica diſtinctio, quo ſolo ablato, tollitur identitas, ſeu vnitas ſpecifica. Sed hæc aufertur per ſolam ablationem fundamenti. Ergo per illud ſolùm habetur vnitas.

Ne-

Nego maiorem. Cùm enim plura requirantur ad conſtitutionem, quàm ad deſtructionem, vnde emanauit adagium, bonum ex integra cauſa, & malum ex ſingulis defectibus, ideo ad vnitatem ſpecificam requiruntur vnitas fundamenti, & vnitas termini, & ad diuerſitatem ſpecificam ſufficit defectus alterutrius.

Vrgebis, ergo homo per ſolam ablationem animalitatis differret ſpecie à bruto; & per ſolam animalitatem differret ſpecie à planta.

In primis concedo conſequentiam. Siquidem quæ non conueniunt in *aliqua* ſpecie, vtiquè differunt. Ergo quia rationale non conuenit cum irrationali, neque animal cum non animali, vtique differunt. Deinde nego conſequentiam, ſi loquamur de ſpecie logica, quia cùm hæc habeatur per differentiam in eodem genere proximo (vt diximus in logica) ablato genere proximo, non poteſt remanere differentia ſpecifica, ſed generica. Sed hinc nihil euincitur in re præſenti, in qua ſolùm quærimus diſtinctionem relationum diſparatarum, quæ ſi promouetur per diuerſitatem ſpecificam, multò magis promoueretur per genericam.

Deinde dico, D.Thom. loc. cit. ex 3.p. loqui in ſenſu aliorum, vt patet ex textu. Nam initio ait, *Alij verò attendentes ad ſubiectum filiationis, quod eſt perſona, ponunt in Chriſto vnam tantum filiationem; vnitas enim relationis non atten-di-*

ditur, etc. Et in reſolutione ait, *& ſic quãtum ad aliquid vtraque opinio verum dicit*. Ergo non approbat hanc doctrinam, niſi quoad vnitatem filiationis in Chriſto. Et deinde in reſp. primi rediens ad ſuam doctrinam de relationibus, ait, quòd iuxta illam, ex dualitate natiuitatis, ſequeretur in Chriſto duplex filiatio, niſi obſtaret incapacitas ſubiecti, Ait enim, *natiuitas temporalis cauſaret in Chriſto temporalem filiationem realem, ſi eſſet ibi ſubiectum huius filiationis capax. Ipſum enim ſuppoſitum æternum non poteſt eſſe ſuſceptiuum relationis temporalis*. Quia ergo in 1. p. loquitur in propria ſententia, hinc eius doctrina, de multiplicatione relationis ex termino, non infirmatur.

His poſitis, remanet in ſuo robore argumentum D. Thomæ, eadem ſpecie relatio non opponitur pluribus relationibus diuerſæ ſpeciei. Sed generari, & ſpirari ſunt duæ relationes ſpecie differentes differentia reali. Ergo debent correſpondere duabus relationibus ſpecie differentibus differentia reali, adeòque generare, & ſpirare debent realiter inter ſeſe differre, iuxta doctrinam D. Thomæ.

§. Pri-

§. Secundus.

Quid ſenſerit Durandus.

DVrandus in 1. d. 13. q. 2. propoſito titulo quæſtionis, vtrum generatio filij, & proceſſio Spiritus Sancti ſint emanationes diſtinctæ, n. 3. ait, *In contrarium eſt, quia ſecundum vnam proceſſionem eſt tantum vnum procedens. Sed in diuinis ſunt duæ perſonæ procedentes realiter diſtinctæ. Ergo ſunt duæ proceſſiones realiter diſtinctæ.* Sed hæ proceſſiones ſunt generatio, & ſpiratio. Ergo &c.

Deinde poſtquam retulit opinionem oppoſitam, n. 14. ait, *Quantum ad 2. ſciendum, quòd alijs, & magnis viſum eſt* (Vbi aduertatur, nō eſſe ſolam eius opinionem, ſed aliorum) *& adhuc videtur, quod prædicta opinio deficit in poſitione, & rationibus. In poſitione quidem quantum ad hoc quòd ponit, quòd generare, & generari nullo modo differunt realiter à ſpirare, nec per conſequens paternitas, & filiatio differunt realiter à communi ſpiratione, quia idem eſt iudicium de emanationibus, & relationibus.* Aſſerta diſtinctione reali ſimpliciter, inter relationes diſparatas, illam probat multiplici medio.

1. *Illa, quæ non poſſunt conuenire eidem reſpectu eiuſdem, non ſunt vnum, &*

idem

idem realiter, ſaltem re relata, quia relationis eſt ad aliud eſſe. Sed Spirare, vel generare, vel generari non poſſunt conuenire eidem reſpectu eiuſdem; generare enim competit Patri reſpectu filij tantum, ſpirare autem non competit Patri reſpectu filij, ſed ſolùm reſpectu Spiritus Sancti. Rurſus generari, & ſpirare competit filio, ſed generari tantùm reſpectu Patris, ſpirare tantùm reſpectu Spiritus Sancti. Ergo ſpirare non eſt idem realiter, ſaltem re relata, cum generare, & generari. Vbi aduertatur, quòd quando dicit, quòd realiter diſtinguantur *re relata*, intelligitur ſecundùm relationes diſparatas, vt ſe explicat initio, cum ait, *ſaltem re relata, quia relationis eſt ad aliud eſſe.*

2. Probat ex abſurdo, quod ſequitur ex oppoſita ſententia, quòd videlicet (vt intulit D. Thomas) non admiſſa hac reali diſtinctione, filius non diſtingueretur realiter à Spiritu S. & ita arguit, *ſicut ſe habet generare ad generari, ita ſpirare ad ſpirari. Ergo permutata proportione, ſicut ſe habet generare ad ſpirare, ita ſe habet generari ad ſpirari. Sed generare, & ſpirare non differunt realiter, vt iſti dicunt. Ergo nec generari, & ſpirari, cuius oppoſitum dicunt*, adeoque adiguntur ad concedenda contradictoria.

3. Vtitur medio diui Thomæ de correſpondentia relationum ſpecie differentium tali pacto, *duabus relationibus*

de.

diſparatis ſpecie, vel quaſi ſpecie diffe-rentibus correſpondent duæ relationes di-ſparatæ ſpecie, vel quaſi ſpecie realiter differentes. Sed generari, & ſpirari ſunt duæ relationes ſpecie, vel quaſi ſpecie dif-ferentes realiter. Ergo relationes, quæ eis correſpondent, ſcilicet generare, & ſpirare, ſpecie, vel quaſi ſpecie differunt, & ita realiter differunt, cùm ſint rela-tiones rei, non rationis. Maior patet, quia eadem relatio ſecundùm ſpeciem nõ opponitur pluribus relationibus ſecundùm ſpeciem. Minor etiam de ſe patet, & ex dicto aduerſiorum. Quare, &c.

4. Probatur ex abſurdo conſequentis, quod ſequitur ex oppoſita ſententia, quod inculcauit etiam 2. arg. *Quæcum-que vni, & eidem ſunt eadem, inter ſe ſunt eadem, ſaltem illo modo, quo ſunt eadem in tertio; & hoc eſt neceſſarium, cùm oppoſitum implicet contradictio-nem. Cùm ergo ſecundùm iſtos genera-re, & generari ſint idem cum ſpirare, non ſolùm re abſoluta, ſed etiam re rela-ta, ſequitur quòd generare, & generari ſint idem inter ſe, non ſolùm re abſoluta, ſed etiam relata, & ita eſſent penitùs idem, quod eſt abſurdum. Ergo illud eſt abſurdum, ex quo ſequitur, ſcilicèt quòd ſpirare ſit idem realiter cum generare, vt ipſi ponunt.*

5. Ex actione, & paſſione, *ab vna actione non poſſunt eſſe immediatè duæ paſſiones. Sed generari, & ſpirari ſunt duæ paſſiones, vel emanationes dictæ paſ-ſiuæ.*

ſua. Ergo non poſſunt eſſe ab vnica actione immediatè. Sed generari immediatè eſt à generare, & ſpirari eſt immediatè à ſpirare. Ergo generare, & ſpirare non ſunt vnica actio realiter.

6. Ex ratione productionis, *Impoſſibile eſt, eſſe eamdem relationem producentis, & producti, etiamſi idem ſit producens, & productum, reſpectu diuerſorum. Sed ſpirare, & generari ſunt relationes producentis, & producti in eodem, reſpectu diuerſorum. Ergo impoſſibile eſt, quòd ſint vna relatio, ſed neceſſariò ſunt duæ.* Quibus addit duo alia argumenta, nempe ſeptimum, & octauum.

Tranſit deinde ad ſolutionem argumentorum oppoſitorum. Et ad 1. Quòd daretur quarta perſona, n. 22. negat ſequelam, eò quia ad multiplicationem perſonarum requiritur multiplicabilitas formalitatum incommunicabilium, cuiuſmodi non eſt ſpiratio communis. Vnde infert, & ideo non eſt diſtinctum ſuppoſitum à Patre, & filio.

Ad 2. quòd ſpiratio communis habeat mutuam affirmabilitatem in recto, cum relatione paternitatis, n. 25. Negat ſuppoſitum, & dicit, non eſſe veram hanc propoſitionem, *paternitas eſt ſpiratio*, & viceuerſa. Vnde retorquetur argumentum, cùm ex mutua negabilitate in recto arguatur diſtinctio, vt dictum eſt in diſp. met.

Ad 3. quòd paternitas, & filiatio ſe habeant ad communem ſpirationem, ſi-

cut ad eſſentiam, n. 26. Negat paritatem dicens, *non eſt ſimile de eſſentia reſpectu relationum, & de communi ſpiratione, reſpectu paternitatis, & filiationis, quia eſſentia eſt quid abſolutum, communis autem ſpiratio eſt relatio. Magis tamen implicat oppoſitum, quod vna relatio ſit duæ relationes, quàm quòd vnum abſolutum ſit plura relata.*

Ad 4. Quòd in diuinis non ſit realis diſtinctio, niſi per oppoſitionem relationum, n. 27. ait, hoc eſſe verum de diſtinctione ſuppoſitorum, non autem de ijs, quæ ſunt in ſuppoſitis. *Licèt enim* (ſunt eius verba) *in diuinis non ſit diſtinctio ſecundùm ſuppoſita, niſi per relationes oppoſitas, tamen in eodem ſuppoſito eſt aliquorum realis diſtinctio per diſparata. Non enim ſunt incompoſſibilia in eodem ſuppoſito quæcumque realiter diſtinguuntur.*

Ad 5. Quòd perſonæ conueniunt in omnibus, in quibus non opponuntur, n. 28. Reſpondet, *hoc eſſe intelligendum de alijs à proprietate perſonali; illa enim ſemper eſt incommunicabilis, ſicut perſona dicit quid incommunicabile. Omnia autem alia ſunt communicabilia, quæ tamen realiter differunt in eodem ſuppoſito, ab eo quod eſt incommunicabile.* Quia ergo eſt proprietas perſonalis Patris paternitas, & filij filiatio, ideo communicatur filio ſpiratio, & non paternitas, quod potiùs probat aſſertam diſtinctionem. Et vt reſpondeat omnibus alijs ſimi-

milibus argumentis, concludit, *Ex his facilè ſoluuntur rationes probantes, quòd ſpirare ſit idem realiter cum generare, & generari; omnes enim aſſumunt vnam de prædictis falſis ſuppoſitionibus, ſcilicèt quòd ea, quæ ſunt in eodem ſuppoſito, non poſſunt differre realiter, aut quòd in diuinis nulla ſit realis diſtinctio, niſi per oppoſitiones relatiuas.*

Poſtea n.29. probat per extenſum, huic opinioni nullo modo obſtare auctoritatem illam Concilij, reprobantis in diuinis quaternitatem, vt habetur in decretalibus in c. *damnamus*, extra de ſumma Trin. quod multis rationibus probat, eſſe intelligendum de quaternitate Perſonarum, & non relationum, vt videbimus infra, cum talem auctoritatem examinabimus. Et ideo concludit, n.30. *de differentia relationum diſparatarum nihil eſt determinatum per quodcumque Concilium, ſed eſt materia opinabilis, & prò, & contra, & quod cum determinatione vltimi Concilij Lugdunenſis, magis concordat opinio ponens, eas differre, realiter, quàm oppoſita.*

Et n. 32. Ponens iterum ſuam aſſertionem ait, *reſtat vt declaretur veritas quæſtionis. Eſt ergo intelligendum, quòd generare, & ſpirare realiter differunt. Ratio autem huius differentiæ non eſt ſumenda ex parte ſuppoſitorum, tum quia in diuerſis ſuppoſitis inuenitur aliquid vnum, & idem numero, vt eſſentia diuina. Et rurſus in eodem ſuppoſito ſunt plu-*

ra, quæ realiter differunt. Tum quia ſuppoſita non poſſunt eſſe prima diſtinguentia, &c. quod probat ſatis acutè.

Et n. 33. *Item nec ratio diſtinctionis proceſſionum, vel relationum (quia idem eſt iudicium in re) totaliter ſumenda eſt ex natura oppoſitionis, quia licèt omnia oppoſita ſint diſtincta, tamen non omnia diſtincta ſunt oppoſita, neque in formis abſolutis, neque in relationibus, vt patet in creaturis. In plus enim eſt diſtingui, quàm opponi.*

Et n.34. *Si quæratur ratio diſtinctionis, dicendum, quòd ſe ipſis diſtinguunt, & non per aliud, alioquin eſſet abire in infinitum. Sed huiſmodi relationes ſunt quædam prima ſimplicia. Ergo ſeipſis diſtinguuntur.*

Et demum n.36. examinans dictum Boetij, ſiue Anzelmi, *quòd omnia ſunt vnum, vbi non obuiat oppoſitio relationis,* ait, *dicendum quòd Boetius loquitur de ſola identitate quoad ſuppoſitum*, hoc eſt quòd ſuppoſita non multiplicentur, niſi per oppoſitionem relatiuam, in via originis, non autem de identitate in ipſo ſuppoſito.

Ex dictis infer, Durandum non latuiſſe Concilium Lugdunenſe, decretalem illam contra quaternitatem, dictum Boetij, *quòd omnia ſunt vnum, &c.* & tamen conſideratis omnibus, non incidenter, ſed ex profeſſo admiſiſſe diſtinctionem realem ſimpliciter, inter relationes diuinas diſparatas, nempe inter generare,

&

& ſpirare in Patre, & inter generari, & ſpirare in Filio. Et nullus vnquam vſq; adhùc illum vt errantem condemnauit, niſi aliquis ex Recentioribus, qui magis attendens ad corticem concluſionis materialiter ſumptæ, quàm ad pondus rationum, quod ſibi non arriſit, non vt fidei diſſonum, ſed vt ſibi contradicens, & vt minimè ſuis principijs conſentaneum reprobauit. Cum Durando ſenſiſſe plures alios, apertè conceditur à Capreolo, quid in 1.d.13.q. vn.ar.2.§. *ſed con. Primam,* ait, *Et prò hac ſententia ſunt multi alij,* ſupprimendo nomina.

§. Tertius.

Quid ſenſerit Scotus cum ſuis.

SCotus quodlib.5.ar.2.ait, *proprietates in eadem Perſona differunt ex natura rei, præter conſiderationem intellectus,* hoc eſt differunt ex ſeipſis, & non per operationem intellectus. Sed ſpiratio actiua, & generatio, tàm actiua, quàm paſſiua ſunt proprietates, illæ in Patre, & hæ in Filio. Ergo in vtroque differunt ab inuicem ex natura rei, abſque vlla operatione noſtri intellectus. Et in terminis paſſim docent Scotiſtæ, ſpirationem actiuam diſtingui ex natura rei, à parte rei, vt docet Scotus quodl.5. ar.2.ſub finem, quam diſtinctionem declarans Maſtrius in 1.diſp.2.q.2.ar.1.n. 17. ait, *illam eſſe mediam inter diſtin-*

ctionem ſimpliciter realem, & rationis, vel per participationem extremorum, quatenus vtriuſque aliquid participat, de reali quidem, quatenus actualiter anteuertit omne opus intellectus, & non fundamentaliter tantum, vel virtualiter, vt de diſtinctione virtuali dicitur; de diſtinctione verò rationis, quatenus ſtat cum identitate reali. Et paucis interiectis, *extrema diſtinctionis formalis* (ſeu ex natura rei, quæ per ipſos eſt vna, & eadem) *ſunt realitates, & formalitates, ideſt varij gradus eſſentiæ eiuſdem rei.* Et hanc eamdem diſtinctionem admittunt inter eſſentiam, & attributa, & inter ipſa attributa, quod Maſtrius ibid. probat multis argumentis ar. 2. & ſeqq.

Verùm quia initio q. 2. cōſiderat, Vaſquium aſſeruiſſe, hanc ſententiam coincidere cum illa, quæ fuit damnata in Abbate Ioachim à Later. extra de ſum. Trin. c. *damnamus*, n. 7. ait, *Verum ab hac ingenti calumnia valde accuratè Scotum emacularunt Egid. Luſit. Smiſingh, & Brancaſius.* Et poſt relatam opinionem damnatam, ſub finem n. 8. acriter inuehens ſtylum in Vaſquez, & alios, ait, *O vtinam Vaſquez, Canar., Bannes, Zumel, Molina, & alij, qui adeo acriter Doctorem noſtrum ſugillant in hac materia, piam regulam obſeruaſſent à Scoto traditam in* 1. *d.* 8. *q.* 5. *non enim adeo faciles forent, & prompti in ſugillandis, & inſimulandis, Claſſicorum Doctorum ſententijs, velut erroneis, & parum in fi-*

de

de tutis, vel temerarijs (ſunt autem illæ cenſuræ, quæ dantur diſtinctioni reali inter hæc) *cum potius ipſi in huiuſmodi cenſuris ferendis, dicendi ſint immodeſti, ac temerarij.*

Deinde diſp. 7. q. 4. ar. 4. examinans illud commune axioma, *in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio*, (quod vnicè contra talem diſtinctionem opponitur), ait, *probare contendo, celeberrimum illud, et commune theologorum axioma, omnia ſunt vnum, &c. ſi in eo rigore intelligatur, vt intelligi debeat de oppoſitione relatiua, (vt aduerſarij volunt) nõ eſſe vniuerſaliter verum; quia de facto datur diſtinctio realis in diuinis, ſine oppoſitione relatiua; paternitas ſiquidem, & filiatio defacto realiter diſtinguuntur à Spiritu Sancto, & à ſpiratione paſſiua, & tamen illi relatiuè non opponuntur; huic enim relatiuè opponitur ſola actiua ſpiratio, & in concreto ſpirator.* Et ar. 6. n. 255. ait, *Vnde liquet, oppoſitionem relatiuam producentis, & producti non eſſe immediatam rationem realis diſtinctionis, quod valde notandum eſt.* Et ar. 7. n. 267. ait, *hanc reſponſionem ſufficientiſſimam eſſe, ad explicanda teſtimonia Conciliorum, & Patrum, cum dicunt, perſonas diſtingui originibus, aut etiam ſolis originibus, non eſſe ita intelligendos, vt affirmare voluerint, quòd diſtinguantur præcisè ſolis originibus oppoſitis, ſed quòd ſolis originibus diſtinguantur, vel oppoſitis, vel*

ſaltem diſparatis; qua expoſitio deducitur ex Scoto loc. cit. (nẽpe ex 1. d. 11. q. 2.) *vbi eodem modo exponit Boetij authoritatem, quòd relatio multiplicat Trinitatem, nam ſenſus eſt (inquit Scotus) quòd relationes, vel oppoſita, vel ſaltem diſparata, perſonas diſtinguunt, quod etiam in ſenſu accommodo debet intelligi, ſingula ſingulis tribuẽdo; nam prima perſona diſtinguitur à ſecũda per relationem originis oppoſitam, prima verò, & ſecunda, loquendo de per ſe, & prima diſtinctione, à tertia diſtinguuntur per relationes diſparatas à ſpiratione paſſiua, nẽpe per paternitatem Pater, & per filiationem Filius.*

Tranſit deinde ad Concilium Toletanum, & inquit, *Et per hoc optimè à Scotiſtis exponitur Conc. Tol. Cùm enim ait ex D. Aug. Perſonas hoc ſolo numerũ inſinuare, quòd ad inuicem sũt, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, ex hoc ſolo numerum facere, quia ſunt relatiua, quod de relationibus, nedùm directè oppoſitis, ſed etiam diſparatis poteſt intelligi.* Quod probat expẽdendo verba Concilij, & Auguſtini.

Et nè videretur omittere Concil. Flor. n. 268. de illo ſic loquitur, *Ad teſtimoniũ Io: theologi in Conc. Flor. dicimus, intentionem eius non fuiſſe, qualis refertur ab Aduerſarijs, quaſi nequeat eſſe diſtinctio inter diuinas Perſonas, niſi relatiuè opponantur, aliâquin ſibi expreſsè contradiceret, nam paulò ſuperius dixerat, vt igitur Perſonæ differant inter ſe, neceſſe eſt, vt hypoſtatica, perſonaleſque proprietates incom-*

communicabiles ſint. Si autem sẽſus eſſet in teſtimonio adducto, quòd Filius per actiuam ſpirationem perſonaliter à Spiritu S. diſtingueretur, iam non per proprietates incommunicabiles differentiam diuinarum Perſonarum aſſignaret, cùm actiua ſpiratio communis ſit Patri, & Filio. Intentio itaque illius theologi erat oſtendere, S.S. accipere eſſe idem omninò à Patre, & Filio. Et eodem modo explicat teſtimonium Nyſſeni.

Et ar.8.n.276. Ad cõmunem obiectionem, quòd in diuinis ſola oppoſitio relatiua diſtinguat, Reſpondet, *Ad cõfirmationem negatur, diſtinctionem realem in diuinis oriri præcisè ex oppoſitione relatiua producentis, & producti; quandoquidẽ oriri poteſt etiam ex diſparata relationũ incompoſſibilium, quã diuina infinitas impedire non poteſt, nè tollatur Perſonarum Trinitas.* Ergo etiam poſt Concil. Flor. admittit, poſſe, immò dari de facto in diuinis diſtinctionem realem, ſine oppoſitione relatiua in via originis, per ſolas relationes diſparatas, ſeu per oppoſitionẽ relatiuam, extra viam originis.

Deinde n.300. Soluit aliud argumentum, petitum ex ſimplicitate diuinarum perſonarum. Reſpondet, *Ad 1. negatur aſſumptum; nam ad excludendam omnẽ compoſitionẽ ſufficit, quòd omnes formalitates in vna perſona reperta coeant in ſũmam realem identitatem, vel per propriam infinitatem, vel ſaltem ratione infinitatis eſſentiæ, merito cuius omnia in*

ſaltem diſparatis; qua expoſitio deducitur ex Scoto loc. cit. (nēpe ex 1. d. 11. q. 2.) *vbi eodem modo exponit Boetij authoritatem, quòd relatio multiplicat Trinitatem, nam ſenſus eſt (inquit Scotus) quòd relationes, vel oppoſita, vel ſaltem diſparata, perſonas diſtinguunt, quod etiam in ſenſu accommodo debet intelligi, ſingula ſingulis tribuēdo; nam prima perſona diſtinguitur à ſecūda per relationem originis oppoſitam, prima verò, & ſecunda, loquendo de per ſe, & prima diſtinctione, à tertia diſtinguuntur per relationes diſparatas à ſpiratione paſſiua, nēpe per paternitatem Pater, & per filiationem Filius.*

Tranſit deinde ad Concilium Toletanum, & inquit, *Et per hoc optimè à Scotiſtis exponitur Conc. Tol. Cùm enim ait ex D. Aug. Perſonas hoc ſolo numerū inſinuare, quòd ad inuicem ſūt, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, ex hoc ſolo numerum facere, quia ſunt relatiua, quod de relationibus, nedùm directè oppoſitis, ſed etiam diſparatis poteſt intelligi.* Quod probat expēdendo verba Concilij, & Auguſtini.

Et nè videretur omittere Concil. Flor. n. 268. de illo ſic loquitur, *Ad teſtimoniū Io: theologi in Conc. Flor. dicimus, intentionem eius non fuiſſe, qualis refertur ab Aduerſarijs, quaſi nequeat eſſe diſtinctio inter diuinas Perſonas, niſi relatiuè opponantur, alioquin ſibi expreſsè contradiceret, nam paulò ſuperius dixerat, vt igitur Perſonæ differant inter ſe, neceſſe eſt, vt hypoſtatica, perſonaleſque proprietates incom-*

communicabiles ſint. Si autem sēſus eſſet in teſtimonio adducto, quòd Filius per actiuam ſpirationem perſonaliter à Spiritu S. diſtingueretur, iam non per proprietates incommunicabiles differentiam diuinarum Perſonarum aſſignaret, cùm actiua ſpiratio communis ſit Patri, & Filio. Intentio itaque illius theologi erat oſtendere, S.S. accipere eſſe idem omninò à Patre, & Filio. Et eodem modo explicat teſtimonium Nyſſeni.

Et ar.8.n.276. Ad cōmunem obiectionem, quòd in diuinis ſola oppoſitio relatiua diſtinguat, Reſpondet, *Ad cōfirmationem negatur, diſtinctionem realem in diuinis oriri præcisè ex oppoſitione relatiua producentis, & producti; quandoquidē oriri poteſt etiam ex diſparata relationū incompoſſibilium, quā diuina infinitas impedire non poteſt, nè tollatur Perſonarum Trinitas.* Ergo etiam poſt Concil. Flor. admittit, poſſe, immò dari de facto in diuinis diſtinctionem realem, ſine oppoſitione relatiua in via originis, per ſolas relationes diſparatas, ſeu per oppoſitionē relatiuam, extra viam originis.

Deinde n.300. Soluit aliud argumentum, petitum ex ſimplicitate diuinarum perſonarum. Reſpondet, *Ad 1. negatur aſſumptum; nam ad excludendam omnē compoſitionē ſufficit, quòd omnes formalitates in una perſona reperta coeant in ſūmam realem identitatem, vel per propriam infinitatem, vel ſaltem ratione infinitatis eſſentiæ, merito cuius omnia in*

ſe abſorbet realiter, ac identicè, quæ idẽtitas ſufficit, vt vna formalitas poſſit de alia prædicari, etiam in abſtracto. Ergo dummodo retineatur identitas realis relationum diuinarum cum eſſentia, licèt realiter inter ſe diſtinguantur, vel (vt ipſe ait) formaliter ex natura rei, in eadem Perſona, non proinde derogatur eius ſummæ ſimplicitati.

Demum quia adhùc videbat, nonnullos doctrinæ ſoliditate non acquieſcere, ſed fundatos in praua intelligentia Conciliorum Toletani, & Florentini, erumpere in varias cenſuras contra illam, dicta diſp. 7. q. 4. ar. 4. n. 232. inquit, *Poſtremò patet ex hactenus dictis, quàm irrationabilis, & temeraria ſit cenſura, quam Recentiores quidam nullius ferè auctoritatis, in noſtram ferunt ſententiam* (nempe de diſtinctione ex natura rei inter relationes diſparatas, & alia, quæ non faciunt ad rem præſentem) *appellando eam, nedùm improbabilem, ſed etiam erroneam, parùm in fide tutam, periculoſam &c. vt videre eſt apud Vaſquez, & Zumel, qui tamen eam ab omni cenſura liberant, eò quod nullum ſit contra eam apertum Eccleſiæ, aut Conciliorum teſtimonium. Verùm ex dictis conſtat, non ſolum non habere definitiones Conciliorum contrarias, ſed potiùs omninò fauentes* (vt probat ex Concilijs Tolet. & Flor.) *Ergo ſententia noſtra cõformior eſt definitionibus Conciliorum, quàm oppoſita. Quid ergo blaterant eam*

*nebulones quidam temerariam, ſuſpe-
ctam? Potiùs temerarij ſunt ipſi, qui abſ-
que vllo fundamento ſententias grauiſſi-
morum auctorum ita ſugillant.* Vbi ad-
uertatur, eſſe omninò eaſdem cenſuras,
quæ feruntur à Vaſquio, & ab aliquibus
alijs recentioribus, contra diſtinctionem
formalem Scotiſticam inter relationes
diſparatas, cum ijs, quæ feruntur contra
diſtinctionem realem, quæ ab illis cen-
ſetur eadem cum Scotiſtica. Et ideo
Maſtrius vtitur ijſdem terminis, ad illas
confutandas. Ne tamen videatur ſolus
in pugna tanti momenti, recenſet vt claſ-
ſiarios Lichetum, Tartaretum, Vigeriū,
Bargium, Baſſolum, Sghammam, Radam,
Luſitanum, Fabrum, Mayronem, Smi-
ſingh, Saxium, Poſnanum, Vulpem,
Brancaſium, Scherium, Ocham, Rubi-
onem, & vniuerſam Scotiſtarum nume-
roſam, & doctam ſcholam, vt videre eſt
penès ipſum in 1. diſp. 2. q. 2. ar. 2. & diſp.
7. q. 4. ar. 1. & 2. & alibi paſſim.

§. Quartus.

*Quid ſenſerint Baſſolus, Henricus, & Ra-
da, Riccardus, Syluester, Bo-
nauentura, Albertus &c.*

IOannes de Baſſolis celeberrimus inter
Scotiſtas, examinans, an in eadem
Perſona diuina poſſint admitti plures
formalitates obiectiuæ realiter inter ſe
diſtinctæ? in 1. d. 13. q. vn. ar. 1. reſpondet

affirmatiuè; neque hoc contentus, ait hãc eſſe opinionem communem, & omnibus patentem. In qua aſſertione puto, illum loqui cum ſuis, & cum reſtrictione ad ſuam ſcholam, in qua omnes admittunt inter illas diſtinctionem actualem ex natura rei, vt patet ex §. 3. quam ipſe fortè confundit cum diſtinctione reali, ſicut communiter confunditur ab alijs extra talem ſcholam, & nos probauimus lib. 1. diſp. met. diſp. 2. ar. 4. eſſe omnino realem. Ait ergo in loco citato. *Dico, quòd omnibus conſtat, quòd generatio actiua, & ſpiratio actiua realiter differunt, & diſtinguuntur*. Et in fine ſubdit, *iſta conceditur ab omnibus*. Et nè videretur loqui de his relationibus ſolùm, vt cum terminis comparatis, vt contendit Faſolus q. 28. ar. 4. dub. 2. ſed ſecundùm comparationem vnius cum alia, adeòque ſecundùm vtramque rationem eſſendi *ad*, & *in*, ſe explicat in probationibus.

Probat ergo 1. ſuum dictum (refero eius verba) *Relationes reales oppoſita relationibus oppoſitis, & realiter diſtinctis, realiter diſtinguuntur, quia impoſſibile eſt, quod eadem relatio realiter opponatur pluribus per ſe, & directè. Sed generatio, & ſpiratio opponuntur per ſe, & directè filiationi, & ſpirationi paſſiuæ, quæ ſunt realiter diſtinctæ, quia ſunt conſtitutiua diuinorum ſuppoſitorum realiter diſtinctorum, ſcilicet filij, & Spiritus Sancti. Ergo realiter, diſtinguuntur*.

Hoc

Hoc argumentum coincidit cum eo, quod retulimus ex D. Thom. & Durando, quòd eadem relatio ſecundùm ſpeciem non opponitur pluribus relationibus ſpecie differentibus. Vnde inferebatur earum realis diſtinctio.

2. Probat, *Relationes, quarum vtraq; eſt realis, et vna eſt conſtitutiua, et alia non eſt conſtitutiua, diſtinguuntur realiter. Sed ſic eſt de generatione actiua, et ſpiratione, vt patet. Ergo, etc.* Vbi ſupponit, generationem eſſe conſtitutiuam, & ideo à D. Thoma dicitur proprietas perſonalis, ſpiratio autem quia intelligitur aduenire perſonæ, iam in ſuo eſſe conſtitutæ, ideò dicitur ab eodem proprietas perſonæ, ſed non perſonalis.

3. *Illa, quorum neutrum eſt formaliter infinitum, et ambo ſunt poſitiua, et vnum non eſt communicabile, et aliud eſt communicabile, differunt realiter. Sed ſic eſt de generatione actiua, et ſpiratione actiua, quarum prima eſt incommunicabilis, et ſecunda communicabilis filio. Ergo, etc.* Vbi ſupponit, quòd relatio vt talis, non ſit ratione ſui formaliter infinita, ſed præſcindat à ratione finiti, & infiniti, ſicut præſcindit à ratione perfectionis.

4. *Quæcumque dicunt aliquod poſitiuum extra intellectum, et vnum non poteſt prædicari de alio, ſi accipiatur in vltimata abſtractione, differunt realiter, quia, da oppoſitum, quòd non differant, dico, quòd cùm res non repugnat, nec*

nec modus ſignificandi, quia accipiuntur in abſtracto, vnum poterit verè prædicari de alio. Sed generatio actiua non poteſt verè prædicari de ſpiratione actiua, & ſunt aliqua realia. Ergo &c. Et deinde concludit, *Iſta ergo conceditur ab omnibus, licèt non omnes eam probent per prædicta media.*

Deinde tranſit ad ſolutionem obiectionum, quarum prima eſt, *generatio per hoc diſtinguitur in creatis ab alijs mutationibus, quia eſt ad ſubſtantiam. Ergo omnis productio terminata ad ſubſtantiam, eſt generatio. Ergo ſimiliter in diuinis. Sed vtraque prædictarum terminatur ad ſubſtantiam. Ergo &c.*

Reſpondet, *Dico quòd generatio Verbi eſt mutatio, vel quaſi mutatio argutiuè, vnde diſtinguitur ab alijs mutationibus, per hoc quòd eſt ad ſubſtantiam. In diuinis autem dico, quòd non eſt mutatio, nec quaſi mutatio. Dico etiam, quòd in natura diuina poſſunt eſſe duæ productiones alterius rationis, habentes prò termino ſubſtantiam, ratione ſummæ perfectionis diuinæ, quia natura ex ſua infinitate, non ſolùm eſt communicabilis hoc modo, ſed etiam alio modo.*

Secundum eſt, *Generatio, & ſpiratio ſunt productiones vniuocæ. Ergo non differunt realiter.* Reſpondet, *quod in diuinis productio non eſt eiuſdem, & vnius rationis ſpecialis, ſed in communi tantũ, ſicut relatio. Ergo poſſunt realiter multiplicari.* Atque hæc de Baſſolo.

Hen-

Henricus Gandauenſis 2. p. ſummæ ar. 60. q. 2. ſub initium ait, *Generatio, & ſpiratio ſunt proceſſiones diſtinctæ inter ſe realiter, non re abſoluta, ſed re relationis*; hoc eſt, quòd non diſtinguuntur ſecundùm abſoluta, ſupponendo identitatem realem vtriuſque cum eadem eſſentia, ſed ſolùm ſecundùm reſpectiua. Et ideo addit, *& hoc non niſi penès rationem originis, quòd hoc eſt ab hoc, & vnum eorum ab alio ſuam trahit originem, vt ſit quodammodo hoc ab hoc*, ideſt quòd ſpiratio diſtinguatur à generatione actiua in Patre, quatenus hęc generatio eſt id, per quod ſpiratio communicatur filio, & à paſſiua in filio, quatenus eſt in illo, qui eſt à Patre. Et hoc repetit infra, dicens, *de quibus dico, quòd diſtinguantur realiter, etiam re relatiua*; Et affert rationem, poſt multa valdè cõfuſa, *ſecundo autem modo diſtinguendi relatiua, & reali diſtinctione, ſecundùm quam ſcilicet hoc habet eſſe ab hoc, quia hoc eſt præuium ad illud, diſtinguitur generatio ſimpliciter à ſpiratione ſimpliciter, quia ſpiratio ſimpliciter originem trahit à generatione ſimpliciter, in hoc ſcilicèt, quòd generatio tàm actiua in Patre, quàm paſſiua in filio, præuia eſt, vel quaſi ad ſpirationem, & actiuam, et paſſiuã*; hoc eſt quia ſpiratio ſubſequitur ad generationem, quæ requiritur vt præuia, ſeu quaſi præuia ad illam, ideo ſpiratio ſiue actiua in Patre, & Filio, ſiue paſſiua in Spiritu Sancto, realiter

ter diſtinguitur à generatione actiua in Patre, & paſſiua in filio, adeòque comparando generationem ſimpliciter, quatenus comprehendit actiuam, & paſſiuam, cum ſpiratione ſimpliciter, quatenus comprehendit actiuam, & paſſiuam, ſunt formalitates obiectiuæ realiter diſtinctæ, ex vi originis, quatenus videlicèt, ſpiratio actiua ita originem trahat à generatione, ſicut ſpiratio paſſiua à ſpiratione actiua; nõ quòd ſpiratio actiua producatur à generatione, ſed quòd ex illa, vt neceſſario præuia ſubſequatur. Et hoc ex vi illius principij, quòd operatio volũtatis neceſſariò ſit operatio ſecũda, ſupponẽs operationẽ intellectus, quæ ſẽper præcedit omnẽ operationẽ volũtatis.

Ad oppoſitionẽ, quòd non detur diſtinctio realis in diuinis, niſi per oppoſitionem relatiuam; Reſpondet, quòd licèt generatio, & ſpiratio non habeant oppoſitionem ſecundùm rationẽ originandi hoc ab hoc primo modo, hoc eſt per originẽ directam, & immediatam, habent tamen ſecundo modo, hoc eſt indirectè, & mediatè, quatenus ſpiratio paſſiua nõ originatur à Patre, & filio, niſi quaſi media generatione, quòd ait ſufficere, ad hoc vt ſpiratio dicatur *ſuam originem trahere à generatione, vt ſit quodammodo hoc ab hoc*, nempe quòd ſpiratio paſſiua ſit directè à ſpiratione actiua, & ſpiratio actiua quaſi indirectè, à generatione, in qua fũdatur, & quam vt præuiam ſupponit neceſſariò, quatenus videlicèt Pater non

ſpi-

ſpiraret, niſi priùs generaſſet, & filius non ſpiraret, niſi fuiſſet genitus,. Et hęc ſufficiant prò Henrico.

Rada controu. 27. in 1. appendice §. *Aliter*, citans prò ſe Varronem ait. *Proprietates in eadem perſona differunt ex natura rei, præter cõſiderationem intellectus,* vtens terminis Scoti. Sed in eadem perſona nõ ſunt, niſi generatio, & ſpiratio. Ergo differunt inter ſe ex natura rei.

Riccardus penès Dyoniſ. Carthuſianũ in 1. d. 27. q. 1. poſt med. ait, *Quamuis autẽ actiua ſpiratio non diſtinguatur à Patre, diſtinguitur tamen à generatione actiua, quoniam Amor nõ procedit, niſi ſimul à mente, & à mentis conceptu, ideo actiua ſpiratio, quæ eſt productio Amoris, & actiua generatio, quæ eſt productio illius conceptus, qui Verbũ eſt, inter ſe habent diſtinctionẽ.* Sed hìc non poteſt loqui de diſtinctione aliqua rationis, aliter non potuiſſet illam negare inter ſpirationẽ actiuam, & Patrem, qui verè ratione diſtinguuntur, tamquam includens ab incluſo. Ergo debet loqui de diſtinctione actuali, & à parte rei, nẽpe de reali, vel de formali Scotiſtica, ſeu ex natura rei. Et illi cõcinit ipſe Carthuſ. loc. cit. quibus nõ diſsẽtiunt Heruæus, qui quodl. 7. apertè ait, citatas relationes diſparatas diſtinguiab inuicẽ realiter. Et Sylueſt. qui 1. p. cõſl. q. 32 ar. 2. §. 3. ait, *paternitas, et ſpiratio actiua diſtinguũtur realiter, per terminos cõnotatos diſtinctos realiter; ũde sũt duæ relationes reales, diſtinctæ realiter nõ diſtinctione*

rerum, ſed

rerũ,ſed relationũ Et S. Bonauentura in 1. d. 13. ar. vn. q. 3. Et Albertus d 27. q. 1. ſub finem, docent, realiter diſtingui, vt ait Ruiz. hìc diſp. 26. ſect. 4. Qui proinde ſectione 2. diſp. 17. ait, *hæc ſententia propter auctoritatem tot, tamque nobilium Scholaſticorum, & propter argumentorum pondus, valde probabilis cenſeri potuiſſet, niſi fundamenta multò firmiora certam redderent contrariam, &c.* Et ideo refutata cenſura Molinæ quòd ſit erronea, ſect. 3. n. 18. illam ſolùm vocat periculoſam. Quorum auctoritate motus Cardinalis Pallauicinus in aſſert. theol. lib. 8. c. 59. nu. 447. apertiſſimè ait, illas diſtingui realiter, quamuis deinde nè diſsentiret Vaſquio, & Suario, n. 453. palinodiam canens, ſe retractauerit.

§. Quintus.

Quid ſenſerint Egidius, & Alexander penes Argentinam.

THomas de Argentina in 1. d. 12. & 13. q. 1. ar. 2. Ponit quæſitum, *vtrum generatio, & ſpiratio differant realiter?* Et deinde ad reſolutionem præmittit, *Dicendum, quòd omnes catholici Doctores in hoc conueniunt, quòd duæ ſint verè, & reales productiones in diuinis, puta productio Filij, quæ dicitur generatio, & productio Spiritus Sancti, quæ dicitur ſpiratio. Sed in modo declarandi diſtinctionem iſtarum proceſſionum, Doctores variantur.*

Dein-

Deinde referens opiniones aliorum, refert 1. opinionem Egidij Columnæ: deinde D. Thomæ: & demum Alexandri de Marſia, & aliorum. Quoad Egidium ait, *Dicit Doctor noſter, quòd relationes oppoſitæ in diuinis diſtinguuntur ſecundùm ſe, ſuppoſita verò diſtinguuntur, per tales oppoſitas relationes; diſparatæ verò relationes diſtinguuntur eo, quòd immediatè fundantur in ſuppoſitis diſtinctis, oppoſitis relationibus; & ideo cùm generatio, & ſpiratio ſint in duobus ſuppoſitis, relationibus oppoſitis realiter diſtinctis, ideo huiuſmodi relationes realiter ſunt diſtinctæ.* Et hanc doctrinam amplectitur dicens, *ſed contra iſtum modum, quem credo eſſe verum, arguit quidam Doctor, etc.* Sed hæc doctrina non ſolùm probat, generari, & ſpirari, quatenus ſunt in Filio, & Spiritu Sancto, diſtingui ab inuicem realiter, ſed etiam generare, & Spirare quatenus ſunt in Patre, & Filio, diſtingui realiter inter ſe. Ergo iuxta doctrinam Egidij, & Argentinę, generare, & generari diſtinguuntur realiter à ſpirare. Probo minorem, Pater, & Filius ſimul ſumpti nõ ſunt idem ſuppoſitum, ac ſit alteruter ſeorſim ſumptus. Sed generare eſt in ſolo Patre, generari in ſolo Filio, & ſpirare in vtroque ſimul. Ergo ſunt in diſtinctis ſuppoſitis, & per conſequens realiter ab inuicem diſtinguuntur.

Quoad D. Thomam ait, *Doctor etiam communis* (ſic enim obſequij gratia appellat D. Thomam) *in diuerſis ſuis dictis,*

ctis, & ſcriptis, diuerſimodè nititur declarare modum diſtinctionis illarũ proceſſionum; namquè dicit, quòd diſtinguuntur, per comparationes ad terminos, quia proceſſiones ſe habent, per modum motus; omnes autem motus, & mutationes, ſpecificantur, & diſtinguuntur ex terminis. Ergo cùm illarum proceſſionum termini ſint realiter diſtincti, puta Filius, & Spiritus Sanctus, & ipſæ proceſſiones realiter diſtinguuntur. Ergo per Argentinam D. Thomas admiſit diſtinctionem realem inter proceſſionem Filij, & Spiritus Sancti, adeòque inter generationem, & ſpirationem actiuam, iuxta dicta in §. 1. ex illo fundamento, quod ibi adduximus locis citatis.

Quoad Alexandrum de Marſia, referens eius doctrinam ex quodlib. 3. q. 3. hæc habet d. 11. ar. 3. *Dicit, quòd ſicut relatio habet propriam quidditatem, ſic habet proprium eſſe, aliàs eſſet dare aliquam quidditatem, ſine proprio indiuiduo, quod eſt inconueniens. Et addit, quod quidditas relationis, non eſt niſi eſſe relationis, in ordine ad terminum; & ideo ſi manet ſecundùm quidditatem, etiam manet ſecundùm eſſe. Vnde ad quidquid comparatur relatio, ſemper manet ſecundùm ſuam propriam realitatem, quæ ſpecificatur per aliud. Et concludit, dicens quòd cùm ita ſit quòd relatio, non ſolùm in comparatione ad oppoſitum, ſed etiam ad quidquid comparetur, ſemper tenet ſuam realitatem, ideo non*

ſo-

ſolùm relatio oppoſita diſtinguitur (nempe diſtinctione reali) *ſed etiam diſparata*. Et d.27.ar.2. affert quinque argumenta, quibus hic auctor cum alijs (quos refert ſuppreſſo nomine) conatur probare quaternitatem realem diuinarum relationum, quibus ſuperaddit hæc alia.

1. *Illa, quæ non poſſunt conuenire eidem reſpectu eiuſdem, non ſunt idem realiter. Sed communis notio, & paternitas non poſſunt conuenire Patri reſpectu eiuſdem, quia paternitas competit ſibi reſpectu Filij, & communis notio reſpectu Spiritus Sancti. Ergo non poſſunt eſſe idem realiter, ad minus re relata.*

2. *Sicut ſe habet Paternitas ad filiationem, ſic ſe habet communis notio ad paſſiuam ſpirationem. Ergo commutatim ſic ſe habet paternitas ad communem notionem, ſicut ſe habet filiatio ad paſſiuam ſpirationem. Sed filiatio, & paſſiua ſpiratio ſunt duæ res. Ergo paternitas, & communis notio ſunt duæ res.*

3. *Generatio actiua eſt alia res ab actiua proceſſione. Ergo paternitas eſt alia res à communi notione. Conſequentia patet, quia ſicut generatio actiua eſt realiter idē quòd paternitas; ſic proceſſio actiua eſt realiter idem quòd communis notio. Antecedens probatur, quia duæ paſſiones non poſſunt eſſe immediatè ab vna actione. Sed generatio paſſiua, & proceſſio paſſiua ſunt duæ emanationes paſſiuæ. Ergo generatio actiua, & proceſſio actiua*

non

non poſſunt eſſe vna actio, & per conſequens nec vna res.

4. *Impoſſibile eſt, eſſe eamdem relationem producentis, & producti, etiam dato quòd idem ſit producens, & productum reſpectu diuerſorum, Sed filiatio eſt relatio producti, & communis notio eſt relatio producentis. Ergo videtur quòd in filio communis notio, & filiatio differunt realiter.*

Neque obſtat, quod ipſe Argentinas loc.cit. impugnet talem ſententiam dicens, *Sed iſtis non obſtantibus, prædictam tenebo concluſionem* (nempe quòd relationes diuinæ non ſint quattuor res, ſed tantùm tres, licèt ſint quattuor relationes reales) *eò quòd magis conformis catholicæ fidei videatur. Et quia totum pondus in hoc conſiſtit, quod ipſi nituntur probare, quòd communis notio differat à paternitate vt eſt in Patre, & à filiatione vt eſt in filio, tamquam res a re.* Nam primò ſufficit, quòd illam referat vt probabilem, aliter non diceret, quod oppoſita ſit magis conformis catholicæ fidei, cùm magis, & minùs non conueniant, niſi participantibus rationem cōmunem. Ergo cenſet, quòd etiam alia ſit conformis fidei catholicæ. Deinde ipſe citatur vt hiſtoricus fide dignus, Ergo per ipſum D. Thomas, Egidius, & Alexander, cum alijs propugnarunt hanc realem diſtinctionem,

AR-

ARTICVLVS IV.

Quid poſſit deduci ex definitionibus Eccleſiæ contra realem diſtinctionem relationum diſparatarum.

QVantum ego potui colligere ex Auctoribus claſſicis, quos non paucos vidi, nihil habemus in definitionibus Eccleſiæ, vnde poſſit hæc diſtinctio labefactari, niſi caput *Damnamus* ex Lateranenſi, & axioma illud, quòd ſola oppoſitio relatiua diſtinguat in diuinis, quibus aliqui addunt nonnullas definitiones Florentini, & Toletani. Vt ergo appareat veritas noſtræ fidei, & quid poſſit tutò dici in hac materia, abſque vlla ſuſpicione erroris, breuiter omnia, & ſingula examinabo.

§. Primus.

Examinantur caput Damnamus, *&* *axioma*, omnia ſunt vnum, &c.

VErba Lateranenſis, quæ referuntur in decretalibus in cap. *Damnamus* de ſum. Trin. & fide cathol. ſunt hæc, *Nos autem ſacro approbante Concilio, credimus, & confitemur vna cum Petro* (hoc eſt cum Petro Lombardo, qui dictus eſt Magiſter ſententiarum) *quòd vna quædam ſumma res eſt, incomprehen-*

henſibilis quidem, et ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres ſimul Perſonæ, ac ſigillatim quælibet earumdem. Et ideo in Deo ſolummodo Ternitas eſt, & non quaternitas, quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura diuina. Videbimus ergo quódnam fuerit motiuum, ſiue occaſio condendi hanc definitionem, & quid per illam fuerit definitum, vt hinc conijciatur, an ſub illa definitione comprehendatur quaternitas relationum, de qua hìc diſputamus?

Quoad primum. Dico, motiuum Concilij fuiſſe, ad explodendum errorem Abbatis Ioachimi, qui ponens diſtinctionem realem relationum ab eſſentia, ponebat in Deo quaternitatem, non quidem relationum in eſſentia, ſed relationum cum eſſentia, vnde inferebat, diuinas Perſonas eſſe vnum tantùm collectiuè, ſicut plures homines ſunt vnus populus. Et ideo ait Durandus in 1. d. 13. q. 2. n. 29. *Cauſa edendi illam conſtitutionem fuit error Ioachim, quia ponebat quòd Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non ſunt vnum in natura, niſi collectiuè, ſicut multi homines ſunt vnus Populus, quod videbatur probare per multas auctoritates ſcripturæ, vt patet intuenti textum.* Et vt ſuum tueretur errorem, conabatur multò peiorem impingere magiſtro ſententiarum, quòd videlicèt admitteret quattuor Perſonas. Cùm enim

enim diceret, quòd eſſentia neque generet, nec generetur, vel procedit, videbatur eſſe quarta Perſona. Et ideo dicitur in tali decretali, *Aliud autem imponebat Magiſtro ſen. qui dicit in ſuis ſententijs, quòd quædam ſumma res eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non eſt generans, neque genita, neque procedens; vnde ex hoc aſſumebat Ioachim, quòd Magiſter ſent. non tàm Trinitatem, quàm quaternitatem adſtruebat in Deo, videlicèt tres Perſonas, & illam communem eſſentiam, quaſi quartam*, hoc eſt Perſonam.

Ad hoc probandum, refert ibid. Durandus argumentum Ioachimi, *Nam videbatur ſibi, quòd quantum differt Pater à Filio, & vterque à Spiritu Sancto, quia vnus eſt generans, & non genitus, alius non generans, ſed genitus, tertius nec generans, nec genitus, ſed procedens, tantùm differebat eſſentia communis, quæ non eſt generans, vt Pater, nec genita, vt Filius, nec procedens, vt Spiritus Sanctus, à quolibet illorum, & ab omnibus ſimul*. Quare finis Concilij fuit damnare Ioachim, & liberare Petrum a calumnia, approbando eius doctrinam. Præſtat primum per illa verba, *vna quædam res eſt Pater, Filius, &c*. Niſi enim haberent identitatem realem cum vna, eademque diuina eſſentia, non eſſent ſimul, & ſingillatim vna res. Et ſecundum per ſubſequentia, *& ideo in Deo ſolummodò ternitas eſt, et non quaternitas*.

Stabilita enim reali identitate eſſentiæ cum Perſonis, non poteſt illa facere numerum cum Perſonis.

Quoad ſecundum dico, ex dictis Patere quid definierit hoc Concilium, nempe quòd eſſentia non diſtinguatur realiter à Perſonis, & quòd non ponat numerum cum illis, per hoc quòd neque generat, nec generetur, nec ſpirat, nec ſpiretur. Illud primum, vt explodatur error Ioachimi, & hoc ſecundum vt approbetur doctrina Magiſtri ab illo ſugillata. Numquàm ergo tale Concilium loquitur de relationibus, vt ad inuicem comparatis, ſed ſolùm vt comparatis cũ eſſentia, neque de relationibus in abſtracto, ſed in concreto, quatenus conſtituũt diuinas Perſonas. Atque adeo cum ait, dari ternitatem, & non quaternitatem, duo dixit, vnum directè, quòd non ſit quaternitas Perſonarum, eò quia definit, eſſentiam eſſe de intronettate Perſonæ; & aliud indirectè, nempe Perſonas, ſeu relationes in cõcreto non facere numerum cum eſſentia. Quia ergo vna relatio in abſtracto non eſt de intronettate alterius, ideo concludit Durandus, *Concilium non ſe intromiſit de pluralitate diuinarum relationum. Quin immo omnes Doctores fatentur, quattuor relationes reales eſſe in diuinis; ideo nec directè, nec expreſsè, nec cõcomitatiuè condemnatur ibi quaternitas realium relationum; et dicere oppoſitum, eſt adinuentio irrationalis, cùm ſolemnes Doctores, quos*

quos non latuit prædicta decretalis, po-ſuerunt quòd paternitas, & communis ſpiratio differunt in Patre realiter.

Et deinde n. 30. ſubdit, *Aduertant il-li, qui friuola, & leui ratione volunt pro-bare, quòd illa Decretalis (Damnamus) excludat quaternitatem realium rela-tionum, quàm efficaci ratione conuinci-mus, eos eam in hoc malè intelligere, quia conſtat, quòd diuina ſpiratio quædam re-latio realis eſt, & vnica, ſicut Concilium generale Lugdunenſe determinat, extra de ſum. Trin. c. fideli lib. 6. Ex quo ſic ar-guitur, ſicut ſe habet abſolutum ad abſo-luta, ita relatio ad relationes. Sed eſ-ſentia diuina vna exiſtens non poteſt eſſe eadem realiter cum pluribus abſolutis realiter inter ſe diſtinctis, immò hoc po-nere eſſet contradictio. Ergo à fortiori, ſpiratio actiua exiſtens vnica relatio, quæ vt relatio eſt, non eſt infinita ſimpliciter, alioquin eſſent plura infinita ſimpliciter, & plures infinitates non poſſunt eſſe ea-dem realiter cum paternitate, & filiatio-ne, quæ ſunt plures relationes inter ſe re-aliter differentes. Et ſic iſti malè exponentes Concilium primum, impin-gunt in ſecundum.* Quibus bene perpen-ſis, tandem concludit.

Vnde credo, quòd de differẽtia relatio-num diſparatarum nihil eſt determina-tum per quodcumque Concilium, ſed eſt materia opinabili, et prò, et contra, et quòd cum determinatione vltimi Cõcilij

Lugdunenſis magis concordat opinio ponens, eas differre realiter, quàm oppoſita.

Nec quidquam probat Faſolus q. 28. ar. 4. dub. 2. nu. 10. quòd dicta decretalis debeat intelligi de quacumque quaternitate, etiam relationum, vt probet, doctrinam Durandi eſſe falſam; Siquidem euincit aliquid contra Durandum, non quia admiſerit diſtinctionem realem, ſimpliciter, inter relationes diſparatas, contra quam nihil omnino facit definitio hæc Lateranenſis, ſed quia ex hac diſtinctione tranſierit ad aliam, nempe ad diſtinctionem realem modalem ipſarum relationum ab eſſentia, in quo videbatur ſentire cum Ioachimo, & per conſequẽs videtur cadere etiam contra ipſum definitio illa Lateranenſis in cap. *Damnamus*, vt probauimus diſp. 9. ar. 2. Quicumque ergo vellet admittere diſtinctionem realem inter relationes diſparatas, in ſenſu Durandi, hoc eſt admittendo etiam earumdem realem modalem diſtinctionem ab eſſentia, meo quidem, iudicio erraret cum Porretano, vel adminus cum Ioachimo. Et in hoc ſenſu fuit hæc opinio ab aliquibus, & meritò, vt periculoſa, erronea, vel ſaltem vt errori proxima reprobata, & à nobis etiam fuit loc. cit. reprobata. Cæterùm ſi quis, admiſſa identitate reali relationum cum eſſentia, vellet tueri earum ab inuicem realem diſtinctionem, longiſſimè abeſſet, non ſolùm à Porretano, & Ioachimo,

mo, ſed etiam ab ipſo Durando. Ergo nullam poſſet mereri cenſuram, & nihil contra ipſum faceret citatum caput *Damnamus*, in quo ſolùm damnatur diſtinctio realis relationum ab eſſentia, & non vnius relationis ab alia, vt patet ex illis verbis, *in Deo ſolummodo trinitas eſt, non quaternitas, quia qualibet trium perſonarum eſt illa res, videlicèt eſſentia*, nulla facta comparatione vnius perſonæ, ſeu relationis cum alia, ſed cum ſola eſſentia; aliter cauſalis non eſſet vera, vt patet conſideranti, nec per talem definitionem promoueretur intentum Concilij, quod fuit damnare Ioachim, & abſoluere Magiſtrum à calumnia ab illo inflicta, quod totum præſtatur per vnitatem relationum cum eſſentia, licèt hęc neque gignat, neque gignatur.

Quoad illud axioma, *omnia sũt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio*, quia euidenter probauimus §. 3. ex illo nihil deduci contra diſtinctionem realem, ſeu ex natura rei, inter relationes diſparatas, non eſt cur in eius vlteriori explicatione immoremur. Vnùm tantùm addo ex Maſtrio inibi laudato. Is enim diſp. 7. q. 4. ar. 6. n. 255. poſtquam fusè probauit, dari in diuinis diſtinctionem ex natura rei, ex ratione conſtitutiui, & proprietatis incommunicabilis, tandem concludit, *vnde liquet, oppoſitionem relatiuam producentis, et producti, non eſſe immediatam rationem realis diſtinctionis.* Ergo putat, poſſe dari diſtinctionẽ

realem, etiam inter ea, quæ non opponuntur relatiuè in via originis. Et ideo addit, *quod valde notandum eſt, quia hinc deijcitur præcipuũ, vel potius vnicũ fundamentum Aduerſariorum.* Et deinde explicans Florentinum, ſubdit, *Vnde quando Patres probant, diuinas perſonas eſſe ab inuicem realiter diſtinctas, quia vna producit aliam, et inter producens, et productum diſtinctio realis neceſſariò intercedit, non eſt accipienda illa ratio, tamquàm omninò prima, et immediata, quia adhùc illius realis diſtinctionis inter producens, et productum aſſignatur alia ratio prior, quia nempe numquam producens communicet producto totum ſuũ eſſe, nempe differentiam indiuidualem, ſeu perſonalem proprietatem, quæ eſt omninò incommunicabilis.* Et hanc ait eſſe rationem omninò primam, & immediatam diſtinctionis realis inter producens, & productum. Ergo ſupponit duo, vnũ, quòd non omnis diſtinctio realis habeatur per oppoſitionem relatiuam, vt fusè probauimus §. 3. & aliud quòd antecedenter ad omnem oppoſitionem relatiuam, datur aliqua proprietas in producente, diſtincta ex natura rei ab alia, quarum prima ſit incommunicabilis, & ſecunda communicabilis, cuiuſmodi ſunt in Patre generatio, & ſpiratio.

Et hoc confirmat infra ar. 7. n. 267. *Reſp. hanc communem Scotiſtarũ reſponſionẽ ſufficientiſſimã eſſe, ad explicãda teſtimonia Conciliorum, et Patrum, nimirum*

cum

cum dicunt, Perſonas diſtingui originibus, aut etiam ſolis originibus, non eſſe ita intelligendos, vt affirmare voluerint, quòd diſtinguantur præcisè ſolis originibus oppoſitis, ſed quòd ſolis originibus diſtinguantur, vel oppoſitis, vel ſaltem diſparatis.

Ad Florentinum, & Toletanum, & quidquid aliud afferri poteſt ex Concilijs, & Patribus, ſufficienter ſatisfactum eſt §. 3. Vnde ſequitur, nullam omninò cenſuram cadere ſupra diſtinctionem realem, vel ex natura rei relationum diſparatarum.

§. Secundus.

An poſſit rationibus theologicis labefactari?

CONciliatis ſcripturis, Concilijs, & Patribus, ſupereſt nunc vt ſoluamus præcipua argumenta, quæ poſſunt, iuxta principia theologica, adduci contra diſtinguentes relationes diſparatas.

Obijcies Primò, quæ ſunt in diuinis ſuppoſitis, non differunt in illis realiter. Hoc autem probatur 1. Quia ex hoc ipſo eſſent incompoſſibilia. Deinde quia facerent compoſitionem in illis. Et demum quia Spiritus S. eſſet ſimplicior Patre, & filio, quæ ſunt abſurda. Sed ſpiratio eſt in ſuppoſitis Patris, ac Filij. Ergo non facit in illis diſtinctionem.

Nego antecedens. Ad cuius primam

probationem, nego ſuppoſitum, cùm gratis dicatur, ea quæ ſunt realiter diſtincta, eſſe incompoſſibilia, cùm oppoſitum doceat fides, ſecundùm quam tres diuinæ Perſonæ realiter diſtinctæ, ſunt ſimul in eadem eſſentia, cum qua realiter ſimul identificantur. Ad 2. Nego ſequelam, Primò quia compoſitio phyſica non fit ſine mutua perfectibilitate, vel ſaltem ex vna parte, quæ non datur in diuinis relationibus diſparatis. Deinde quia debent ad inuicem ſe habere vt actus, & potentia, non autem vt duo actus, ſicut ſe habent hæ relationes. Et demum quia licèt diſtinguantur ab inuicem, non tamen diſtinguuntur à communi eſſentia, & ideo non ſunt ad inuicem adæquatè diſtinctæ, quod eſt neceſſarium ad compoſitionem phyſicam; aliter etiam Perſonæ facerent compoſitionem, quod negatur ab omnibus. Ad 3. Nego ſequelam, Primò quia vna Perſona non eſt ſimplicior tota Trinitate, licèt tota Trinitas ponat in eſſentia tria realiter diſtincta, quod non facit vna Perſona. Et deinde quia ſimplicitas non attenditur penès relatiua, ſed ſolùm penès abſoluta, quæ cũ hinc nullo modo multiplicentur, ex multiplicatione plurium formalitatum relatiuarum in Patre, & filio, non minuitur in illis ſimplicitas, præ Spiritu Sancto.

Ob. 2. Suppoſitum, ſeu Perſona nihil eſt aliud, quàm eſſentia, & relatio. Ergo tot ſunt Perſonæ, quot reales rela-

tio-

tiones. Ergo ſi ſpiratio communis ſit realiter diſtincta ab alijs tribus, eſt quarta Perſona, quod eſt hæreticum.

Nego primam conſequentiam, quæ quia ſæpè recurrit in hac materia, ideo placet illam radicitus euellere. Verùm eſt, relationem in eſſentia facere perſonam, non tamen eſt verum, quòd omnis relatio in eſſentia diſtinguit Perſonam, ſed ſolùm illa, quæ de ſua ratione intrinſeca eſt formaliter incommunicabilis, quod non conuenit, niſi tali relationi ſecundùm ſpeciem, ſeu quaſi ſpeciem. Cùm ergo ſpiratio actiua ſit communicabilis Patri, & Filio, ideo non conſtituit ſuppoſitum ab illis diſtinctum, de cuius ratione formali intrinſeca eſt incommunicabilitas, vt fusè oſtendimus in diſp. met. Quia ergo illa conſequentia facit tranſitum ex termino communi genericè multiplicato, ad multiplicationem ſingularium, ſecundùm ſpecies contentas ſub tali genere, ideo eſt falſa, eo modo, quo eſt falſa hæc, *homo nihil eſt aliud, quàm compoſitum ex anima, & corpore. Ergo tot ſunt homines, quot compoſita ex anima, & corpore*, eò quia etiam bruta ſint compoſita ex anima, & corpore.

Et ratio à priori eſt, quia ſingularia, ſeu indiuidua hominum dicunt vltimas differentias, à quibus præſcinditur in tali antecedenti. Et ideo conſequentia tranſit ab eſſe generico ad ſpecificum,

per variationem ſuppoſitionis formalis, quod non eſſet, ſi in antecedenti prædicatio procederet ſecundùm animam rationalem. Idem proportionaliter dico de illo antecedenti, *Perſona nihil eſt aliud, niſi eſſentia, & relatio*, non determinando per vltimam differentiam ſpeciem relationis. Et ideo non ſequitur conſequentia, prò multiplicatione Perſonarum, ſicut ſequeretur, ſi ly *relatio* contraheretur ad vltimam differentiam incommunicabilitatis, in quo caſu negaretur poſtrema conſequentia, quia ſpiratio communis non eſt incommunicabilis.

Præterea non valet illa conſequentia ex alio capite, quia videlicèt committit fallaciam accidentis, ſicut hæc, *homo eſt albus, ergo quot homines, tot alba*, quia ly *homo* in antecedenti ſupponit prò homine, vt ſubſtante albedini, & in concluſione prò homine, vt ſeparato ab albedine. Cùm ergo ratio incommunicabilis ſit veluti accidentalis relationi vt ſic, eò quia poſſit ab illa ſeparari, ideo ad hoc vt ex numero relationum, inferatur numerus Perſonarum, de quarum ratione formali intrinſeca eſt incommunicabilitas, debet ly *relatio* in antecedenti accipi, vt affecta ratione incõmunicabilitatis, quod nõ euenit in præſentia. Quòd ſi quæras, cur ſit communicabilis Patri, & filio, & non Spiritui Sancto? Reſp. rationem eſſe, quia huic opponitur, & non illis,

illis, ſicut dicitur de potentia ſpiratiua; communicatur autem per identitatem eiuſdem naturæ.

Ob. 3. Perſona Patris diſtinguitur realiter à paternitate. Ergo non poteſt verè dici, *paternitas eſt Pater*, ſicut non poteſt dici, *homo eſt humanitas*. Sed hoc vt abſurdum reijcitur à D. Thom. q. 32. ar. 2. ad 2. dicente, *poſſumus enim dicere, paternitas eſt Deus, & paternitas eſt Pater*. Ergo non diſtinguitur.

Nego conſequentiam. Et dico, quòd D. Thomas loc. cit. nomine paternitatis intelligit abſtractum Patris, vt eſt prima Perſona, non autem vt eſt formaliter Pater, cum præciſione ad rationem ſpiratoris. Quatenus autem tale includit abſtractum, tàm generationis, quàm ſpirationis actiuæ ſimul. Cum autem hæ ſimul ſumptæ cum eſſentia, verè ſint idem atque Pater, vt eſt prima perſona, ſicut totum eſt idem cum complexo partium, ideo eſt vera illa prædicatio. In concluſione autem ly *paternitas* accipitur pròvt diſtincta à ſpiratione, & ly *Pater* accipitur pròvt eſt prima Perſona; & ideo ſub tali formalitate non poteſt conuerti cum Patre, ſecundùm totum id, quod dicit, vt eſt prima Perſona. Ad exemplum allatum dico, ideo hominem non eſſe ſuam humanitatem, quia natura hominis importata per ly *homo*, realiter diſtinguitur à ſua ſubſiſtentia, importata per ly *humanitas*. At in Perſona Patris, vt Pater eſt, eius natura non diſtin-

ſtinguitur realiter à ſua ſubſiſtentia, & ideo dicitur cum illa ad conuertentiam.

Dices, Pater vt Pater diſtinguitur realiter à Patre, vt eſt prima Perſona, quia vt prima perſona includit ſpirationem actiuam, quam non includit vt Pater. Ergo ſunt duæ Perſonæ. Quod idem valet de filio, vt eſt filius, & ſecunda Perſona; quo admiſſo, eſſent quinque Perſonæ, quod eſt error.

Nego conſequentiam, quia eſſe primã Perſonam, includit formaliter intrinſecè, eſſe Patrem, ſicut eſſe Petrum ſubſiſtentem, includit formaliter eſſe Petrũ. Id autem, quod eſt de intronecitate alicuius, ab illo non diſtinguitur, niſi per modum includentis, & incluſi. Ergo cùm incluſum, licèt diſtinctum inadæquatè ab includente, non ſit aliud ab illo, neque Pater, vt incluſus in prima Perſona, eſt alia Perſona à prima. Atque adeo ſicut Petrus incluſus in Petro ſubſiſtente, non facit alium Petrum, ſub diſtinctione Petri, & ſubſiſtentis; ita neque Pater, ſub diſtinctione Patris, & primæ Perſonæ, facit alium Patrem, ſeu aliam perſonam. Pater ergo diſtinguitur inadæquatè à prima perſona, quatenus paternitas, per quam conſtituitur adæquatè pater, non conſtituit adæquatè primam perſonam, quæ conſtituitur etiam per ſpirationem communem, quæ vt talis formaliter, eſt extra conceptum formalem proprium Patris, vt Pater eſt, ſicut eſt extra conceptum formalem filij, vt filius eſt. Et vt

ma-

magis pateat euidentia reſponſionis, homo conſtat ex anima, & corpore, à quorum ſingulis ſeorſim diſtinguitur inadæquatè. Ea ergo, quæ adæquatè conſtituunt animam, non conſtituunt hominem adæquatè, non tamen faciunt alium hominem, ſed ſolùm vnum ex hominis prædicatis. Ita & proportionaliter in caſu noſtro.

Ob. 4. Omnis diuina relatio ad intra eſt ſubſiſtentia. Ergo in Patre ſunt duæ ſubſiſtentiæ. Et idem dico de filio.

Nego antecedens, quia ſubſiſtentia dicit incommunicabilitatem, quam non habet ſpiratio communis. Ergo hæc ſubſiſtit in Patre per ſubſiſtentiam paternitatis, & in filio per ſubſiſtentiam filiationis.

Dices, ergo ſpiratio communis ſubſiſtit per ſubſiſtentias realiter à ſe diſtinctas; & per conſequens non eſt aliquid diuinum, quia non eſt per ſe ſubſiſtens, ſed per aliud diſtinctum.

Diſtinguo primò conſequens, ſubſiſtit per ſubſiſtentias realiter à ſe diſtinctas diſtinctione adæquata, nego: inadæquata, concedo conſequentiam. Ex quo non ſequitur veritas alterius conſequentiæ, quæ ſolùm valeret in caſu diſtinctionis adæquatæ. Cùm ergo hæc relatio ſubſiſtat per paternitatem, & filiationem, quæ ſunt realiter idem ſecundùm eſſentiam cum illa, ideo ſubſiſtit per ſubſiſtentias realiter identificatas cum ſua eſſentia; adeòque per ſe ſubſiſtit, quatenus

nus non emendicat ſubſiſtentiam extra ſuam eſſentiam, vt faciunt creaturæ.

Ob. 5. Spiratio communis realiter diſtinguitur á Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Ergo à tota Trinitate; atque adeo eſt aliquid illi deforis adueniens, quod fuit damnatum in Porretano.

Diſtinguo antecedens, diſtinguitur inadæquatè, concedo; adæquatè, nego antecedens. Et admiſſa diſtinctione inadæquata illius à tota Trinitate, per modum incluſi ab includente, nego poſtremam conſequentiam, quia Porretanus diſtinguebat adæquatè relationes à Perſonis, adeòque etiam quoad eſſentiam, & quoad omnia abſoluta, in quo errauit.

Dices, ergo hæc relatio eſt aliquod abſolutum, quia diſtinguitur ab omnibus relatiuis omnium Perſonarum.

Nego conſequentiam, Primò quia diſtinguitur ab omnibus alijs à ſe, non autem ab omnibus relatiuis ſimpliciter. Et hoc eſt commune omnibus alijs, cùm omnia relatiua ſeorſim ſumpta diſtinguantur ab omnibus extra ſe. Deinde cùm opponatur Spiritui Sancto, & habeat eſſentialiter, & formaliter eſſe ad illum, neque eſt formaliter eſſentia, neque aliquod abſolutum, ſed eſt quarta relatio diſtincta ab alijs tribus, identificata cum eadem aliarum eſſentia, identitate reali.

§. Ter-

§. Tertius.

An poſſit ſuſtineri opinio Durandi?

DVrandus duo dicit, nempe relationes diſparatas diſtingui realiter ſimpliciter ab inuicem in eadem Perſona: & præterea dicit, eaſdem diſtingui realiter modaliter ab eſſentia. Quoad primum puto, Durandum damnari non poſſe, ſed ſolùm quoad ſecundùm, in quo videbatur ſentire cum errantibus.

Probo primum, quia contra eius primum dictum nulla extat vel ſcriptura, vel Concilium, vel alia quæcumque Eccleſiæ definitio, vt vidimus in 2. §. Ergo cum eius opinionem ſequantur tot celebres auctores inter catholicos, nempe Baſſolus, Hericus, Rada, Riccardus, Alexander de Marſia, Heruęus, & alij plures, quos retulimus vſque adhùc, quibus non diſſentit D. Tho: vt probatum eſt §. 1. licèt illam expreſsè non poſuerit, ſub proprijs terminis, videtur eſſe immunis ab omni cenſura theologica. Neque obſtāt cenſuræ, quas retulimus initio ar. 3. ex Ruiz. Molina, Suario, & alijs Recentioribus; ſiquidem non cadunt ſupra Durandum, vt purè admittentem realem diſtinctionem inter relationes diſparatas, ſed vt illas realiter modaliter diſtinguentem ab eſſentia. Ergo quoad primum dictum, vt ſeparatum à ſecundo, non meretur tales cenſuras; ea planè ratio-

tione, qua Caluinus non damnatur ex eo, quòd ponat prædeſtinationem Deo arbitrariam, in quo concordant plures, & inſignes Doctores catholici, ſed quia admittit, ex illa ſequi neceſſitatem ad taliter operandum, in quo diſcordat ab omnibus catholicis.

Probo ſecundum, potiſſima diſceptatio, quæ fuit in Eccleſia inter catholicos, & hæreticos de diuinis relationibus, non fuit de illis, vt inter ſe comparatis, ſed vt comparatis cum eſſentia, & cum Perſonis, ſecundùm quàm comparationem, præcipui errores fuere Giliberti Porretani, & Abbatis Ioachimi, quorum primus dixit, illas realiter ab eſſentia diſtingui, licèt deinde in Conc. Rhemenſi opinionem retractauerit, vt fusè oſtendi, cum talis erroris confutatione, diſp. 9. ar. 1. Cui errori alium ſuperaddens, dixit, illas diſtingui etiam realiter à Perſonis diſtinctione adæquata, quibus proinde dixit eſſe veluti deforis aſſiſtentes, vt retulimus diſp. 13. ar. 1. Et alter abiens in partem oppoſitam, putauit relationes eſſe, ita cum eſſentia identificatas, vt nullo modo ab illa diſtinguantur. Vt ergo ſaluaret diſtinctionem Perſonarum, poſuit diſtinctionem in ipſa eſſentia, quam multiplicauit in ſingulis Perſonis, quas proinde dicebat eſſe vnum Deum ſolùm collectiuè, ſicut plures homines ſunt vnus populus, qui error fuit damnatus in Conc. Lateran. ſub Innoc. 3. c. 2. & nos contra illum toties in hoc tractatu diſ-

putauimus. Quia ergo Durandus admittendo diſtinctionem realem modalem inter relationes, & eſſentiam, videtur ſentire cum Porretano, vt fusè probauimus diſp. 9. ar. 2. ideo quoad hoc ab omnibus, & meritò reprobatur. Atque adeo quicumque retenta identitate reali relationum cum eſſentia, admitteret relationum realem quaternitatem, etiam cum reali diſtinctione unius ab alia, meo iudicio, nullam mereretur cenſuram theologicam.

Vnde patet reſponſio ad argumenta initio articuli propoſita.

§. Quartus.

An poſſit ſuſtineri opinio Scotiſtarum de diſtinctione formali, ſeu ex natura rei?

VIdetur poſſe, Primò quia hæc diſtinctio (vt ipſi aiunt) eſt quidem maior omni diſtinctione rationis, numquam tamen attingit diſtinctionem realem. Ergo eſt compatibilis cum identitate reali. Nullum autem eſt abſurdum dicere, diuinas relationes diſparatas diſtingui ab inuicem ex natura rei, poſito quòd non multiplicent in Perſonis realitates. Ergo hoc dicere nullum trahit abſurdum.

2. Relationes diſparatæ maiorem habent connexionem cum eſſentia, quàm inter ſe, eò quia comparatæ cum eſſentia,

tran-

tranſeant in illam, quæ ſecum illas identificat; vna autem non tranſit in aliam, cum qua comparatur; neque enim paternitas tranſit in ſpirationem actiuam, vel hæc in illam, quæ ſe mutuò formaliter non identificant. Ergo ſi non obſtante maiore connexione cum eſſentia, diſtinguuntur ab illa ex natura rei, vt apertiſſimè docet Scotus in 1.d.2.q.7. & d.8.q.4. & alibi, multò magis eadem diſtinctione ab inuicem diſtinguuntur.

Hæc opinio poteſt conſiderari philoſophicè, & theologicè. Philoſophicè nullo modo ſuſtineri poteſt, vt probauimus in diſp.met.lib.1. diſp.2.ar.4. Et ratio potiſſima eſt illa, quam in 1.§. deſumpſimus ex D.Thoma, omnis diſtinctio vel eſt in rebus materialiter, & ſpecificatiuè ſumptis, ita vt poſſit vna negari in recto de alia, vel non, ſed & in ſola apprehenſione, vt loquitur D.Thomas? Si primum, eſt realis. Si ſecundùm, eſt rationis. Ergo nulla datur media inter has, quæ ad neutram reducatur. Atque adeo ly *formalis*, additum diſtinctioni, vel eſt terminus diſtrahens, & transfert diſtinctionem rationis ad realem, & viceuerſa, vel eſt terminus diminuens, & reſtringit diſtinctionem realem ad minimam ſpeciem in tali genere, & ſic per tale inuolucrum, admittitur diſtinctio realis.

Dices, relatio, & eſſentia diſtinguuntur in diuinis vt duæ res materialiter, & ſpecificatiuè ſumptæ, neque enim ſunt

duæ

duæ res per noſtram apprehenſionem, ſed in ſe ipſis à parte rei; & tamen non realiter diſtinguuntur. Ergo regula fallit.

Inprimis Nego antecedens. Nam (vt probauimus diſp. 9. ar. 5.) relatio, & eſſentia non ſunt duæ res à parte rei, ſed ſolùm per ordinem ad intellectum. Deinde negò conſequentiam, quia licèt admittantur vt duæ res, non tamen poteſt vna negari in recto de alia; neque enim poteſt dici, eſſentia non eſt Paternitas, vel paternitas non eſt eſſentia. Quia ergo ad realem diſtinctionem requiritur vtraque conditio, ideo regula non fallit.

Si verò conſideretur theologicè, vel conſideratio procedit ſecundùm comparationem vnius relationis cum alia, vel ſecundùm comparationem relationum cum eſſentia? Si primum, redimus ad ſententiam Durandi, licèt terminis inuolutam. Si ſecundum, impingimus in Porretanum. Ergo hæc ſententia nihil noui dicit in theologia, niſi terminos inexplicabiles; adeòque niſi deflectat ad ſententiam Thomiſtarum, de diſtinctione rationis ratiocinatæ, non video quomodo poſſit eximi, quin reipſa proruat ad Durandum, vel Porretanum.

Ad 1. Nego antecedens, cùm ſit repugnantia in terminis, aliquas formalitates obiectiuas diſtingui pluſquàm ratione, & realiter non diſtingui. Et ratio eſt, quam innuimus in §. 1. quia omnis diſtinctio, vel eſt realis, vel rationis. Ergo

go non datur hæc diſtinctio media.

Dices cum Maſtrio, diſtinctio formalis participat de reali, quatenus eſt à parte rei, independenter ab intellectu, inter formalitates obiectiuas, & participat de diſtinctione rationis, quatenus eſt compatibilis cum identitate reali. Ergo eſt media inter vtramque.

Nego antecedens, quod euidenter petit principium. Cùm enim quæritur, an hæc diſtinctio formalis ſit realis, reſpondetur negatiuè; quia eſt compatibilis cū identitate reali, quod eſt idem ac dicere non eſſe realem. Ergo niſi aſſignetur ratio propria, & quidditatiua illius, aſſignatur idem per idem. Præterea, identitas realis dicit ſummam communicationem in prædicatis obiectiuis, vt dictum eſt in met. Ergo excludit omnem pluralitatem obiectiuam; aliter non eſſet ſumma vnitas, nec poſſet cum illa conuerti. Ergo eſt impoſſibile, quòd plura ex parte obiecti ſint realiter idem. Ergo hæc diſtinctio formalis inuoluit contradictionem.

Ad 2. Nego conſequentiam, retorquendo argumentum, habent maiorem connexionem cum eſſentia, quàm inter ſe. Ergo non diſtinguuntur ab illa eodem modo, ſicut vna relatio diſtinguitur ab alia. Sed ab eſſentia per Scotum diſtinguuntur ex natura rei, cum retentione realis identitatis. Ergo vt magis diſtinguantur ab inuicem, debent diſtingui diſtinctione excludente realem identi-

ti-

titatem, quæ alia non poteſt eſſe, niſi realis; vel ſi ab inuicem diſtinguuntur ex natura rei, compatibili cum identitate reali, debent minùs diſtingui ab eſſentia, adeòque ſola diſtinctione rationis. Atque adeo hoc argumẽtum vel nimis probat, quia probat cum Durando diſtinctionem realem relationum diſparatarum, vel nihil probat prò Scoto, quia nihil facit ad adſtruendam diſtinctionem formalem.

§. Quintus.

Quid ſit dicendum in hac materia.

EXaminatis aliorum opinionibus, tandem concludendum eſt, quid dicere debeamus. Priùs ergo exponam quid olim ſenſerim, & deinde quid modò ſentiam.

Placuit olim ſequi ſententiam affirmatiuam, de reali diſtinctione ſpirationis actiuæ à paternitate, & filiatione, non ſolùm propter inſignes auctoritates, ſed etiam propter pondus rationum, quæ videntur inſolubiles, & quia hinc ſaluantur plures aliæ quæſtiones, quæ in oppoſita ſententia eluduntur potiùs terminorum ambagibus, quàm ſoluantur. Omiſſis ergo auctoritatibus, & rationibus aliorum, quas expendimus vſque adhùc, paucis referam quæ mè potiſſimum mouerint ad hoc dicendum.

Primò quia eſt ita certum penès Ca-

tholicos, dari in Deo quattuor relationes reales, vt Canarienſis, & Zumel penes Faſolum q. 28. ar. 4. dub. 3. dixerint, *eſſe de fide*, & Molina vocauerit ſententiam oppoſitam *errorem in fide*, nulla habita ratione, quòd inter alios oppoſitum ſentientes ſint Ochamus in 1. d. 27. quæſt. 1. ad 1. & Gabriel in 1. quæſt. 1. ar. 2. dicentes, *non eſt concedendum, quòd paternitas, filiatio, ſpiratio actio, & ſpiratio paſſio ſint quattuor relationes, verumtamen quattuor ſunt nomina importantia relationes*. Vbi obiter obſerua, quàm facili negotio huiuſmodi authores erumpant in cenſuras aliorum opinionum. Sed non poſita reali diſtinctione inter aſſerta, non eſſent quattuor reales relationes, ſed ſolùm tres, niſi admittamus cum Ochamo quaternitatem purè verbalem, ſeu nominalem, vt patet. Ergo realiter diſtinguuntur.

2. Illa realiter diſtinguuntur, quæ diſcrepant in prædicatis perfectiuis, vt probauimus in diſp. met. lib. 1 diſp. 1. ar 2. Sed ſpiratio, & paternitas diſcrepant in prædicatis perfectiuis. Ergo diſtinguuntur realiter inter ſe: & idem dico de ſpiratione, & filiatione. Probatur minor, omnes diuinæ relationes, ratione ſui formaliter, dicunt perfectionem ſimplicem poſitiuam diſtinctam à cæteris, vt probauimus diſp. 10. ar. 4. Ergo ſi diſcrepant inter ſe, diſcrepant ſecundùm perfectiones poſitiuas. Quòd autem diſcrepent, patet, quia vna eſt communi-

cabilis, & alia incommunicabilis: vna eſt ad filium, & alia ad Spiritum Sanctũ. Ergo habent formalitates diſcrepantes. Hoc non valet de eſſentia, comparata cum relatione, quia cùm hæc illam formaliter includat, non poteſt ab illa diſcrepare, niſi ſecundùm rationem præciſiuam, quæ non poteſt inferre, niſi diſtinctionem rationis, quam nos admittimus.

3. Generari, & ſpirari ſunt duæ quaſi paſſiones, ſeu productiones paſſiuæ, iuxta aſſerta diſp.5.ar.4. Ergo non poſſunt eſſe immediatè ab vna, eademque actione. Ergo quia generari immediatè eſt à generare, & ſpirari à ſpirare, generare, & ſpirare non ſunt realiter vnica actio, ſed duæ. Probo conſequentiam, alioquin ſicut generare, & ſpirare ſunt vna actio realiter, solùm virtualiter duplex; ita generari, & ſpirari eſſent realiter vna quaſi paſſio, ſolùm virtualiter duplex, quod tolleret realem diſtinctionem Filij à Spiritu Sancto. Neque poteſt recurri ad oppoſitionem relatiuam; nam ſicut generare, & ſpirare non opponuntur relatiuè, ita neque opponuntur generari, ſpirari, quæ ſe habent ad inuicem vt duo diſparata. Ergo par ratio.

4. Si per impoſſibile Spiritus S. produceret quartam Perſonam, non produceret illam per ſpirationem paſſiuam, quę de ſe habet formaliter conſtituere vltimum terminum Trinitatis. Ergo adueniret illi alia relatio actiua ad talem

per-

perſonam. Sed etiam filius per generari, habet formaliter eſſe terminum actionis paternæ. Ergo ad hoc vt producat cum Patre Spiritũ Sanctum, debet ab illo accipere relationem actiuam realiter diſtinctã à generari. Præterea ſi per impoſſibile Pater non ſpiraret Spiritum Sanctum, adhuc filium generaret. Ergo eius generatio non eſt realiter ſpiratio Spiritus Sancti; aliòquin Pater per eamdem actionem generaret, & ſpiraret; & ſic filius eſſet Spiritus Sanctus, & hic eſſet Filius, quia ſicut Filius procederet à Patre per actionem realiter ſpiratiuam; ita Spiritus Sanctus, procederet à Patre per actionem realiter generatiuam; & vterque eſſet genitus, & ſpiratus, quæ ſunt abſurda. Ergo immediatum principium formale *quo* Filij, debet eſſe realiter diſtinctum ab immediato principio formali *quo* Spiritus Sancti.

Confirmatur, vel generans, & ſpirans dicit duas formas realiter diſtinctas, vel non? Si primum, ergo generatio realiter diſtinguitur à ſpiratione. Si ſecundum, ergo neque illas dicunt genitus, & ſpiratus; adeòque ſicut non multiplicantur in Patre principia formalia *quæ*, ita nec multiplicantur termini, & per conſequens Filius non diſtingueretur à Spiritu Sancto. Sicut enim eadem actio eſſet realiter generans, & ſpirans, *vt quo*, ita idem terminus eſſet realiter genitus, & ſpiratus, *vt quod*.

5. Filius eſt terminus intrinſecus intel-

tellectionis notionalis Patris, ſicut Spiritus S. eſt terminus intrinſecus voluntatis notionalis Patris, & Filij. Sed eſt impoſſibile, quòd eidem actioni correſpodeat diuerſus terminus intrinſecus. Ergo intellectio notionalis non eſt realiter vna actio, cum volitione notionali, ſed duplex. Ergo ideo earum termini ſunt realiter diſtincti, quia ita procedunt à ſuis principijs, in diuerſitate principij *quo*, vt terminent actiones realiter diſtinctas, nempe generationem, & ſpirationem.

6. Quia ſapientia eſt realiter idem cũ bonitate, eſt vera hæc propoſitio, *ſapientia eſt bonitas*, & viceuerſa. Ergo ſi generatio eſſet realiter idem cum ſpiratione, poſſet dici, *paternitas eſt ſpiratio*, & econuerſo. Sed hoc non admittitur à D.Thom. 1. p. q. 32. ar. 3. ad 3. Ergo generatio, ſeu paternitas non eſt idem realiter cum ſpiratione. Quòd ſi dicas cum Valentia, hanc propoſitionem eſſe veram obiectiuè. Contra eſt, nam cùm ſpiratio in ſenſu obiectiuo ſit à Patre ſolum inadæquatè, non poteſt cum illo conuerti. Ergo neque obiectiuè eſt vera.

7. Omnia, quæ Patris ſunt, Pater ipſe vnigenito filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem, vt definitur in Concil. Lugdun. collat. 22. Sed Pater dedit filio ſpirare Spiritum Sanctum. Ergo ſpirare non eſt idem cum eſſe Patris; aliòquin non potuiſſet filio communicari. Ne-

que poteſt recurri ad diſtinctionem virtualem; nam rediret argumentum ſupra factum. Si enim *eſſe Patrem*, ſolùm virtualiter diſtinguatur à *ſpirare*, etiam *generari* virtualiter tantùm diſtingueretur à *ſpirare*; & ſic filius eſſet realiter Pater; eò quia generare, & generari eſſent idē realiter, & ſolùm virtualiter diſtinguerentur in tertio, quod eſt abſurdum. Ergo non poteſt eſſe vera definitio Lugdunenſis, niſi ſpirare diſtinguatur realiter à generare, & generari, vt infert Card. Pallau. lib. 8. c. 59. n. 447.

Neque valet inſtantia communis eſſentiæ. Nam cùm hæc ſit abſoluta, non habet formalitates oppoſitas; & ideo poteſt identificari cum relatiuis oppoſitis, quod non valet de duobus relatiuis, vt ſupra dictum eſt.

Dices, admiſſa hac doctrina, euerteretur Trinitas Perſonarum. Sicut enim in eadem Perſona Patris, dantur duæ relationes actiuæ realiter diſtinctæ, nempe generare, & ſpirare, ita in eodem filio darentur duæ relationes paſſiuæ realiter diſtinctæ, nempe generari, & ſpirari. Et ſic darentur duæ ſolæ Perſonæ, videlicèt Pater generans, & ſpirans, & filius genitus, & ſpiratus. Ergo non eſt vera.

Nego antecedens. Ad cuius probationem nego ſequelam, Primò quia eſt de ratione filij, vt eſt formaliter filius, ſpirare Spiritum Sanctum, vt probauimus diſp. 20. ar. 5. Ergo ſi ſupponamus in illo eſſe ſpirari, eſſet ſimul cum ſpirare,

rare, nempe principium, & terminus: actio, & paſſio, quæ ſunt oppoſita. Deinde eſt de ratione formali ſpirationis actiuæ non eſſe in ſolo Patre, vt ibid. probauimus, & de ratione formali Spiritus Sancti, vt procedat à Patre, & filio, vt probauimus diſp. 22. ar. 7. Ergo eſt impoſſibile, quòd eidem filio conueniant generari, & ſpirari; aliter eidem ſimul conueniret, quòd ſit principium, & terminus reſpectu ſui, quod repugnat. Ex eo igitur quòd eidem Perſonæ conueniant duæ relationes actiuæ realiter diſtinctæ, vt Patri, & vna paſſiua, & altera actiua, nempe generari, & ſpirare, vt filio, non ſequitur quòd poſſint conuenire duæ paſſiuæ, quod ſolum fortaſsè valeret, ſi ſpiratio actiua eſſet adæquatè in ſolo Patre. Ergo hæc retorſio nihil valet.

Ad alias rationes oppoſitas, quæ ducuntur ex c. *Damnamus*, ex definitione Florentini, Lugdunenſis, Anzelmi, & Boetij, facilè reſpondebam, iuxtà dicta §. 2. & 3. Vnde inferebam, nihil eſſe, vnde poſſit hæc doctrina labefactari. Quia tamen ſeneſcente iam ætate, placent ſemper ſaniora conſilia, ideo exempla ſecutus tot illuſtrium Auctorum, & præcipuè Cardinalis Pallauicini, mei olim amantiſſimi præceptoris, dicam breuiter quid ſentio in hac materia.

ARTICVLVS V.

Reſoluitur ſtatus quaſtionis, & affertur vera ſententia de relationibus diſparatis.

DIco igitur, ſpirationem actiuam in eſſe rei, eſſe omninò idem cum paternitate, & filiatione, tamen ab illis realiter diſtingui, in eſſe relationis. Eſt in terminis Hyeronimi Faſoli in 1. p. q. 28. ar. 4. dub. 3. num. 42. Vbi hæc habet, *Quamuis relatio ſpirationis actiua, in eſſe rei, ſit omninò idem cum paternitate, & filiatione, tamen quia ab illis realiter diſtinguitur, in eſſe relationis, inde ſequitur, iſtas propoſitiones, paternitas eſt relatio ſpirandi, & econuerſo, nè identicè quidem eſſe veras, ſicut vera ſunt, Deitas eſt paternitas, ſapientia eſt potentia, & alia ſimiles. Eſt S. Tho. q. 32. ar. 3. ad 3. & in 1. d. 27. q. 1. ar. 1. ad 3. Bonau. d. 33. ar. vn. q. 3. in fine corp. & q. 4. tota, Scoti quodlib. 5. ar. 2. circa fin. Egidij in 1. d. 27. p. p. q. 1. ad 3. Baſſoli d. 13. q. vn. ar. 1. §. 1. fine, Capreoli q. 1. ar. 2. cõcl. 3. Caietani q. 32. 1. p. ar. 3. ad 3. & poſteriorũ omnium*, hoc eſt omnium Recentiorum.

Hoc autem probat ex eo, quia prædictæ relationes non ſolùm important id, quòd intrinſecè ſunt in ſe ipſis, ſed etiam extrinſecos terminos, qui inter ſe realiter diſtinguuntur, & explicitè conſignificantur, Vnde infert, ab hac extrinſe-

ca

ca terminorum diſtinctione, ipſas relationes denominari realiter plures, & inter ſe diſtinctas, ſecundum proprium earum eſſe ad aliud.

Sed hæc probatio, niſi caſtigetur, ſubſiſtere non poteſt, Primò quia etiam relatio Dei ad creaturas, cùm ſit ad terminos conſignificatos realiter diſtinctos, eſſet realis, & realiter multiplex, ſecundùm eſſe ad aliud, iuxta multiplicitatem termini, quod ab ipſo, & ab alijs communiter reijcitur. Deinde quia vel hæc diſtinctio haberetur per puram denominationem extrinſecam à terminis, vel per propriam entitatem relationum? Si primum, ergo eſſet diſtinctio rationis, & non realis, ſicut eſt inter attributa. Si ſecundum, ergo non ſolum eſt realis ſecundum *eſſe ad*, ſed etiam ſecundùm *eſſe in*, quod ab ipſo negatur. 3. Vel *eſſe ad*, ſpirationis actiuæ diſtinguitur ab eſſe ipſius, vel non? Si primum, ergo eſſe ipſius non eſt per ſe, & formaliter relatiuum, ſed ſolùm per reſpectum ſuperadditum, de quo rediret argumentum, tàm in ordine ad diſtinctionem, quàm in ordine ad eſſe relatiuum. Hoc autem traheret duplex abſurdum. Primum, quia multiplicaret entitates in Deo. Et alterum, quia faceret originem ex ſe non reſpectiuam. Si verò dicatur non diſtingui, ergo quidquid affirmatur de vno, debet etiam affirmari de alio. Atque adeo quia de ſpiratione actiua affirmatur diſtinctio, ſecundum *eſſe ad*, debet etiã

 affir-

affirmari ſecundum *eſse* ipſius, quod ab ipſo negatur.

Relicta igitur huiuſmodi probatione, ita probo concluſionem, Dantur in Deo quattuor relationes reales, vt communiter admittitur à theologis, de quarum realitate Ruiz diſp.9.ſect.6.n.14. ait, *errorem eſſe dicere, illas non eſse reales*, vt probat ex D. Thom. q. 8. de potentia ar.1. initio corporis. Sed niſi realiter multiplicarentur ſecundùm *eſse ad*, non eſſent quattuor, ſed tres, nempe paternitas ad filium, filiatio ad Patrem, & ſpiratio paſſiua ad Patrem, & filium. Ergo debent tot eſſe, quot ſunt modi eſſendi ad terminos intrinſecos, qui cùm ſint quattuor, totidem debent eſſe reales relationes. Pobatur minor, ſi ſpiratio actiua, ſecundùm eſſe ad Spiritum Sanctum, non ſit realiter diſtincta à paternitate, & filiatione, ſecundùm eſſe ad filium, & Patrem, eius *eſſe ad*, non eſſet reale, ſed rationis tantùm, vtpote quod per ſolam rationem intelligeretur ſuperadditum paternitati, & filiationi: Ergo non eſſet realis relatio illis ſuperaddita, ſed eſſent illæ ſolæ, cum reſpectu rationis ad alium terminum. Probatur conſequentia, relationes diuinæ ſecundùm *eſſe in*, quia realiter identificantur cum eadem communi eſſentia, non poſſunt ab inuicem diſtingui, cùm ſit impoſſibile, diſtingui in eo, in quo in vnum confunduntur. Ergo debent diſtingui per *eſse ad*, quod proinde diſp.8. ar.4. diximus

ximus eſſe reale. Sed eſt impoſſibile, quòd duabus relationibus realibus conueniat vnum, & idem realiter *eſſe ad*, quod eſt vnicum earum diſtinctiuum. Ergo debet eſſe realiter duplex, quod quia eſt eſſe formale relationis, ideo per ſui realem duplicitatem, geminat ipſas relationes reales, in eſſe relationis tantùm.

Confirmatur, Non poteſt vna, & eadem numero relatio eſſe ad duplicem terminum, ex quo ſumit ſuum ſpecificatiuum. Ergo multò minùs poteſt eſſe ad triplicem terminum. Sed niſi ſpiratio actiua, in eſſe relationis, diſtingueretur à paternitate, & filiatione, eadem numero relatio eſſet ad triplicem terminum, nam vt ſpiratio eſſet ad Spiritum Sanctum, vt paternitas ad filium, & vt filiatio ad Patrem. Ergo vt eſt ad Spiritum Sanctum, debet conſtituere diſtinctam relationem à paternitate, & filiatione. Sicut enim quia habent communem eſſentiam, non diſtinguuntur per *eſſe in*, ita nec diſtinguerentur per *eſſe ad*, ſi haberent communem entitatem relatiuam, vt formaliter talem, & ideo diximus in concluſione, illas non diſtingui in eſſe rei, ſed in eſſe relationis, vt longè eſſemus ab opinione Durandi, quam impugnauimus ex profeſſo diſp.9.ar.2. contra cuius opinionem meritò cadunt omnes illæ cenſuræ, quas retulimus initio articuli tertii, vt patet ex verbis illam reprobantium. Nam Lodouicus Molina

in 1.p.q 32.artic.2. §.*contraria ſententia*, apertiſſimè ait, *opinio Durandi eſt parum tuta in fide; immo meo iudicio erronea poſset appellari*: & Arrubal diſp. 102. n. 23. ait, *communiter exiſtimatur ſententia Durandi temeraria, & periculoſa in fide.* Et Bannes q.32.ar.3.dub.2. concl.2. illam expreſsè vocat *errorem*, cui concordant Suarez, & Zumel, quorum primus lib.5.de Trin. c. 5. n. 6. illam vocat *errorem in fide*, & alter q.32.ar.2, diſp. 1. concl.1. *fortè erroneam, & vt minimum errori proximam*, quorum cenſuras mitiùs interpretatus eſt Ruiz, qui diſp. 17. ſect.3.n.18. contentus eſt, illam dicere *periculoſam*. Ergo neque hi auctores, neque vllus alius, quem ego viderim, vllo pacto cenſurant quaternitatem realem diuinarum relationum, in eſſe formali relationum, hoc eſt per comparationem cum ſuis terminis, in quo ſenſu admittitur ab omnibus (quidquid in oppoſitum ſenſerint Molina, Arrubal, & Florauantius, penès Faſolum q. 28. ar.4. dub.3.n.42.) ſed ſolùm in eſſe rei, hoc eſt per comparationem cum eſſentia, ſecundùm quàm non ſunt plures, niſi virtualiter, vt fusè probauimus diſp. 9. ar.5. Et ideo in hac diſp.9. ar.1. confutauimus errorem Porretani, de diſtinctione reali ſimpliciter: in ar. 2. ſententiam Durandi, de diſtinctione reali modali: in 3. opinionem Scotiſtarum, de diſtinctione formali, ſeu ex natura rei: in 4. ſententiam Thomiſtarum, de diſtinctione

ra-

rationis ratiocinatæ: & concluſimus in ar.5.pro virtuali.

Quòd autem hæc quaternitas, taliter explicata, nullam mereatur cenſuram theologicam, patet expreſsè ex cap. *damnamus*, de ſum. Trin. quod vnice poſſet obijci ex Concilio Later. vbi dicitur, *Credimus, & confitemur cum Petro, quod vna quadam ſumma res eſt, qua veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres ſimul Perſonæ, & ſigillatim qualibet earumdem. Et ideo in Deo ſolummodò trinitas eſt, non quaternitas, quia qualibet trium perſonarum eſt illa res, videlicèt ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura diuina.* Vbi patet, à Concilio non definiri, niſi ſummam vnitatem diuinarum Perſonarum, & omnium, quæ ſunt in Perſonis, cum diuina eſſentia, vt tolleret errorem Abbatis Ioachimi, qui ponebat diſtinctionem in ipſa eſſentia, quam triplicabat in Perſonis, vt vidimus ar.4.§.3. Dummodo ergo retineatur vnitas in eſſentia, & omnium, quę ſunt in Deo, cum vna, & eadem communi eſſentia, ita vt eſſentia non faciat numerum cum Perſonis, ſeu perſonalitatibus, ſeu relationibus, retinetur illa trinitas, quæ ſtatuitur à Lateranenſi, & exploditur illa quaternitas, quæ opponebatur Petro Lombardo. Immò (ſi res ſubtiliùs conſideretur) ex ipſa aſſerta Perſonarum Trinitate, elicitur euidenter quaternitas relationum. Quælibet enim auferatur ex his, non poſſet retine-

ri trinitas perſonarum, vt probauimus diſp.8.ar.3. Sed Trinitas hæc eſt realis, & non figmentum rationis, vt ſomniabant Sabelliani. Ergo debet fundari in reali quaternitate relationum, per quas ſolas ab inuicem diſtinguuntur perſonæ. Hæc autem quaternitas, quia ex vna parte multiplicat realiter tres perſonas, & ex alia non multiplicat earum diuinitatem, quæ eſt vnca, & eadem diuina eſſentia in omnibus, & ſingulis, ideo relationes debēt quidem eſſe realiter quattuor, cum reali diſtinctione vnius ab alia, non tamen in eſse rei, quod debet eſse vnum, & idem omnibus commune, ſed in eſse relationis tantùm, hoc eſt quatenùs cum ſuis terminis comparantur.

Dices, In diuinis relationibus non diſtinguitur *eſſe ad*, ab *eſſe in*. Ergo ſi diſtinguuntur realiter ſecundùm vnum, debent etiam diſtingui ſecundùm aliud. Quia ergo per comparationem ad terminum dicunt *eſſe ad*, non poſsunt ſecundùm illam diſtingui, niſi diſtinguantur etiam ſecundùm comparationem cum eſsentia, adeòque ſecundùm *eſſe in*, ſeu eſse rei.

Nego conſequentiam. Quamuis enim non diſtinguantur realiter, quia tamen diſtinguuntur virtualiter intrinſecè, ideo poſsunt de illis verificari contradictoria, ſicut diximus de Perſonis, quæ ita realiter identificantur cum eadem communi eſsentia, vt quia earum relationes diſtinguuntur ab illa virtualiter

in-

intrinſecè, poſſint ipſæ Perſonæ diſtingui ab inuicem diſtinctione reali.

Vrgebis, diſtinctio realis non poteſt fundari in diſtinctione rationis. Sed diſtinctio virtualis intrinſeca eſt diſtinctio rationis, vt dictum eſt diſp. 9. ar. 5. Ergo non poteſt fundare diſtinctionem realem.

Reſpondeo primò, verùm eſſe, diſtinctionem realem non poſſe fundari immediatè, & proximè in diſtinctione virtuali, poſſe tamen radicaliter, & mediatè, quatenùs videlicèt illa poſita, verificantur contradictoria, & oppoſitio relationum, vnde proximè, & immediatè habetur diſtinctio realis. Deinde dico, in hoc conſiſtere ineffabilitatem huius altiſſimi myſterij, ſuperantis humanum captum, quòd videlicèt vnum, & idem in ſe indiuiſibile, includat plura ſecum identificata, realiter tamen inter ſe diſtincta. Sicut ergo eadem indiuiſibilis eſſentia ſecum identificat plura ſuppoſita realiter diſtincta; ita idem eſſe paternitatis, & ſpirationis actiuæ in Patre, ſecum identificat duo *eſſe ad*, realiter diſtincta, in eſſe relationis; & hoc ex vi diſtinctionis virtualis intrinſecæ, quæ datur inter *eſſe in*, & *eſſe ad*, taliũ relationum, ratione cuius verificantur actu hæc duo, quæ videntur contradictoria, quòd hæ relationes diſtinguantur ſecundum vnum, & non ſecundùm aliud.

Dices 3. Paternitas, & ſpiratio non

opponuntur relatiuè. Ergo etiam in eſſe relationis non diſtinguuntur, niſi virtualiter.

Nego conſequentiam. Et dico, non eſse neceſsariam relatiuam oppoſitionem ad realem diſtinctionem, ſed ſufficere oppoſitionem relationum, vt aduertit Maſtrius diſp.7.q.4.ar.3. nu.117. his verbis, *Non dicit Anzelmus (vt aduertunt hic paſſim Scotiſtæ omnes) quòd omnia in diuinis ſint vnum, vbi non obuiat relatiua oppoſitio, ſed relationis oppoſitio. Eſt autem relationis oppoſitio, etiam inter relationes diſparatas, minimèque oppoſitas relatiuè, & hanc oppoſitionem diſparatarum relationum manifeſtè comprehendit Anzelmus, ſub nomine oppoſitionis relationum, eamque ſufficere cenſet ad diſtinguendas perſonas relationibus diſparatis conſtitutas.* Hæc autem oppoſitio conſiſtit in hoc, quòd relationes ſint ad terminos oppoſitos, vt ſunt Filius, & Spiritus Sanctus, reſpectu paternitatis, & ſpirationis actiuæ, licèt ipſa ſpiratio non opponatur paternitati. Et hoc modo ſoluũtur omnes aliæ obiectiones ſimiles.

Dices 4. Magis diſtinguitur in eſſe relationis, paternitas à filiatione, quàm à ſpiratione. Sed hoc non eſſet, ſi realiter diſtingueretur à ſpiratione, eò quia in diſtinctione reali non dentur gradus. Ergo neque in eſſe relationis, paternitas diſtinguitur realiter à ſpiratione.

Nego minorem. Ad cuius probationem

nem dico, verum eſſe in diſtinctione reali non dari gradus, ſi retineantur eadem extrema, & principia diſtinctiua, non autem ſi varientur. Quia ergo ſpiratio non diſtinguitur realiter à paternitate, per eſſe ad ipſam filiationem, ſed per eſſe ad proceſſionem, ideo variantur extrema, & principia diſtinctiua. Nam paternitas comparatur cum ſuo termino, & ſpiratio cum diſparato. Hoc poſito, quia ratio diſtinctiua relationum eſt eſſe ad terminum, non poteſt ſpiratio retinere principium diſtinctionis, ſi comparetur cum paternitate, ſicut retinetur ab hac, vt comparata cum filiatione, ad quam terminatur. Ergo tantum abeſt, quòd ſub tali comparatione ęqualiter diſtinguantur, vt ſpiratio nullo modo realiter diſtinguatur à paternitate, licèt ipſa paternitas diſtinguatur à filiatione. Quòd ſi retineatur vtriuſque diſtinctiuum, & conſideretur ſpiratio vt eſt ad proceſſionem, & paternitas vt eſt ad filiationem, tum dico, ſpirationem diſtingui realiter à paternitate, & proceſſione, ſed diuerſimodè; ſiquidem à proceſſione diſtinguitur, non ſolùm in eſſe relationis, ſed etiam in eſſe rei relatiuæ; à paternitate verò ſolùm in eſſe relationis. Ergo minùs diſtinguitur à paternitate, quàm à proceſſione, & ideo non facit quartam perſonam, quæ vt formaliter talis deberet multiplicare rem relatiuam, ſicut multiplicatur in tribus alijs relationibus.

Ex quo ſequitur, diſtinctionem hanc, in eſſe relationis, & non in re relata, ſeu relatiua, non facere in Deo quaternitatem realitatum, ſiue abſolutarum, ſiue relatiuarum, ſed ſolam quaternitatem realem relationum, retenta ſemper ſola trinitate realitatum relatiuarum, aſſerta in c. *damnamus*, toties citato.

Dices 5. Eſt impoſſibile, quòd multiplicentur relationes reales, non multiplitatis realitatibus relatiuis. Ergo vel hæ relationes non ſunt reales, vel multiplicant realitates.

Nego antecedens. Et ratio eſt, *quia* cùm diuinæ relationes ſint veluti tranſcendentales, adæquatè identificantur cũ ſuis fundamentis, adæquatione ſe tenente ex parte ipſarum relationum. Non eſt autem abſurdum, quòd idem per eamdem numero entitatem referatur ad plura, per plures relationes reales; nam intellectus creatus per eamdem numero entitatem refertur ad Deum vt creatorem, ad ſcibile vt obiectum, & ad ſpecies vt principium formale determinatiuum. Ergo etiam Pater, & Filius, per eamdem entitatem relatiuam, referuntur vt ſpirator ad Spiritum, & ad ſe mutuò paternitate, & filiatione, quæ ſolæ ratione oppoſitionis plurificantur, retenta identitate cum eadem communi ſpiratione. Quòd autem ſint reales relationes diuinæ, patet ex eruditiſſimo Ruiz, qui diſp. 9. ſect. 6. n. 14. ait, *Conuincitur enim, errorem eſſe dicere, relationes Dei ad intra*

tra non eſſe reales. Nam S Tho: de pot. q.8.ar.1. ait, ſententiam fidei ſequentes, oportet dicere, in diuinis relationes reales eſſe. Quod idem ſentiunt omnes Scholaſtici in 1.d.33 Vnde ſequitur, periculoſum, & errori proximum eſſe dicere, non eſſe reales, ſecundùm formaliſſimam rationem relationis, ſiue ſecundùm eſſe ad aliquid.

In quo obiter obſerua, quòd hic auctor loquens de opinione Durandi, illam primò eximit à cenſura Molinæ, quòd ſit parum tuta in fide, & deinde illam ſolùm appellat periculoſam, vt videre eſt penes ipſum diſp.17.ſect.3.n.18. nunc autem de opinione negante realitatem relationum, ait, illam non ſolùm eſſe periculoſam, ſed etiam errori proximam. Et initio ſectionis quartæ n.1. loquens in ſpecie de realitate ſpirationis actiuæ, ait, *ex toto diſcurſu præſentis, & præcedentis ſectionis colligitur, realitatem ſpirationis actiuæ certam eſſe, ita vt eam negare temerarium ſit, & periculoſum; quoniam nõ ſolùm efficaciter infertur ex multis dogmatibus theologiæ communiter receptis, & corroboratur auctoritate Patrum*(quorum ipſe longum inijt cenſum in citatis ſectionibus) *ſed etiam vt certa recipitur expreſsè, vel tacitè ſupponitur ab omnibus ſcholaſticis in 1.d.13. & d.26. ac 28. & 1.p.q.28.ar.4. & q.32. ar.2. & 3. quibus in locis etiam expreſsè probat S.Thomas.* Et n.2. addit, *Quod autem S.Thomas de pot.q.8.ar.1. dicere*

vi-

videtur eſse de fide, in diuinis relationes eſse reales, verificatur ſufficienter de tribus relationibus conſtitutiuis perſonarum, nec habet eumdem gradum certitudinis circa relationem ſpirationis actiuæ. Hoc autem dicit, quia S. Thomas in tali loco non facit mentionem ſpecialem ſpirationis actiuæ. Quia tamen loquitur vniuerſaliter, *ſententiam fidei catholicæ ſequentes, oportet dicere, in diuinis relationes reales eſſe*; ideo Ruiz concludit, *Sed de hac cenſura diximus diſp. 9. ſect. 6. in fine*, & eſt illa, quam modò retulimus in reſp. quinti, in qua loquitur de omnibus, non excluſa ſpiratione actiua. Ergo putat, magis recedere à doctrina catholica de SS. Trinitate, negantes realitatem ſpirationis actiuæ, vt ab alijs diſtinctæ, in eſſe formaliſſimo relationis, quàm negantes eius idẽtitatem realem cum paternitate, & filiatione in eſſe rei. Et hoc propter neceſſitatem quaternitatis relationum, ad adſtruendam Perſonarum Trinitatem. Vnde confirmatur fundamentum cõcluſionis. Quomodo autem in triplici entitate relatiua, habeatur quaternitas relationum, per ſolam diſtinctionem virtualem intrinſecam ſpirationis à paternitate, & filiatione, patet ex dictis.

Hanc ſententiam amplexus ſum, non vt notam, ſeu cenſuram infligem ſententiæ aduerſæ, ſed vt in omnibus meis libris nihil ſit, quod poſſit offendere aures theologicas. Vbicumque ergo in-

uenitur, ſiue in hoc, ſiue in quocumque alio meo libro, relationes diuinas diſparatas, nempe ſpirationem actiuam realiter diſtingui à paternitate, & filiatione, intelligi debet de diſtinctione, in eſſe relationis tantùm, iuxta ſenſum hìc explicatum.

ARTICVLVS VI.

An generatio tàm actiua, quàm paſſiua, & ſpiratio paſſiua diſtinguantur ab inuicem, per oppoſitionem relatiuam?

VIdentur non diſtingui per oppoſitionem relatiuam, Primò quia plures cum diuo Thoma illas diſtinguunt per diuerſum modum emanandi, ſeu procedendi à ſuo principio actiuo, cùm vna ſit per intellectum, & altera per voluntatem. Alij per ordinem ad principium *quo*, quod eſt velle, & intelligere. Cùm ergo velle dicat ordinem ad intelligere, & nihil referatur ad ſe ipſum, quod procedit per vnum, diſtinguitur ab eo, quod procedit per aliud. Alij per diuerſitatem principiorum, cùm vna procedat à ſolo Patre, & alia à Patre, & filio. Et alij per comparationem cum termino. Cùm enim termini ſint diuerſi, etiam hæ relationes ab illis ſpecificatæ, ſunt diuerſæ.

2. Poſſunt diſtingui per diſtinctionem principiorum, vt docet Scotus, qui

cùm diſtinguat in Deo ex natura rei intellectum à voluntate, infert, etiam terminos inde emanantes taliter diſtingui.

3. Poſſunt cum Egidio diſtingui per realem diſtinctionem ſuppoſitorum, in quibus inſunt, cùm fieri non poſſit, eamdem numero formam eſſe in ſuppoſitis realiter diſtinctis.

Prò reſolutione, ſuppono tamquàm certum ex fide, generationem paſſiuam, & ſpirationem paſſiuam eſſe realiter ab inuicem diſtinctas. Et ratio eſt, quia cùm ſint rationes diſtinctiuæ Filij à Patre, & à Spiritu Sancto, ſi non diſtinguerentur realiter inter ſe, neque ipſæ Perſonæ realiter diſtinguerentur; adeòque Spiritus Sanctus non procederet à filio, quod fundatur in reali diſtinctione, nequæ eſſent duæ Perſonæ, ſed vna, quod eſt hæreticum. Quæſtio ergo non eſt, an hæ relationes realiter diſtinguantur? ſed vnde habeatur principium formale talis diſtinctionis realis.

Et ratio dubitandi eſt, quia cùm ſint relationes diſparatæ, non habent ad inuicem oppoſitionem relatiuam, ſaltem directam, & immediatam. Ergo non poſſunt ex hoc capite diſtingui, ſicut diſtinguuntur aliæ relationes oppoſitæ; atque adeo aliunde quærenda eſt cauſa formalis talis diſtinctionis.

Concluſio, *Generatio paſſiua, & ſpiratio paſſiua diſtinguuntur ab inuicem realiter, per oppoſitionem relatiuam mediatam, & indirectam. Quod idem di-*

co

co de generatione actiua, & ſpiratione paſſiua.

Probatur, & explicatur, oppoſitio relatiua inmediata, & directa in via originis, eſt illa, quæ fundatur in actione, & paſſione, ita vt faciat, *qui ab alio*, & *à quo alius*, vt eſt producentis ad productum, & producti ad producentem, cuiuſmodi ſunt generatio actiua, & paſſiua: ſpiratio, & proceſſio. Indirecta, autem eſt illa, quæ non fundatur immediatè in actione, & paſſione, ſed solùm mediatè, quatenus videlicèt fundatur in aliquo alio, quod fundatur immediatè in actione, & paſſione, vt eſt generatio paſſiua, quæ vt formaliter talis, non fundatur immediatè in ſpiratione actiua, per quam directè filius reſpiciat Spiritum Sanctum, vt terminum à ſe productum, ſed in filiatione, de cuius ratione formali eſt eſſe ad ſolùm Patrem, vt *à quo alius* & non ad Spiritum Sanctum, vt *qui ab alio*. Sed quia filiatio, vt formaliter talis, conſtituitur intrinſecè, & eſſentialiter per hoc, quòd per illam filius accipiat à Patre naturam diuinam, vt formaliter alteri communicabilem, ideo in ſuo cõceptu formali inuoluit ſpirationem actiuam, per quam formaliter conſtituitur in eſſe filiationem, vt fusè probabimus, cum agemus de proceſſione filij. Ergo generatio paſſiua, licèt formaliter vt talis, non opponatur Spiritui Sancto, ſed ſoli Patri, illi tamen opponitur quaſi materialiter, mediante ſpiratione actiua, ex

qua

qua quaſi materialiter, & integraliter conſtituitur, in eſſe generationem paſſiuam. Atque adeo ſicut filius, vt formaliter filius, opponitur relatiuè Patri, & vt Spirator Spiritui Sancto; ita eius generatio paſſiua, vt formaliter talis, opponitur relatiuè generationi actiuæ, vt *qui ab alio;* & vt includens ſpirationem actiuam, illa mediante, & quaſi indirectè, opponitur Spirationi paſſiuæ, vt *à quo alius*, & per conſequens realiter diſtinguitur à Patre, & Spiritu Sancto, ab illo vt terminus directus, & immediatus oppoſitionis relatiuæ, & ab hoc vt terminus indirectus, & mediatus. Et idem dico de generatione actiua, & ſpiratione paſſiua, de quarum diſtinctione valet eadem ratio, docente diuo Thom. 1. p. q. 33. ar. 2. in corp. *ipſa paternitate Pater in diuinis diſtinguitur ab omnibus alijs perſonis*, nempe immediatè à filio, & mediatè à Spiritu Sancto.

Ad 1. Nego antecedens. Et dico, nullam ex rationibus aſſignatis eſſe ſufficiẽtem. Non primam, quia cùm voluntas, & intellectus in Deo ſint idem realiter, etiam emanationes ab illis ſunt realiter idem, & ſola ratione diſtinctæ, niſi aliunde magis diſtinguantur. Non ſecundam, propter eamdem rationem, quia vel eſt ſermo de ordine reali, & hic non datur in diuinis inter velle, & intelligere; vel de ordine rationis, & hic nō poteſt fundare realem diſtinctionem, vt dictum eſt. Neque tertiam, quia procedere ab vno,

vel

vel à pluribus, non inducit differentiam intrinſecam eſſentialem, niſi illa plura concurrant per modum plurium, quod non accidit in diuinis, in quibus Pater, & filius concurrunt per vnicam ſpirationem, vt vnum principium *quod* Spiritus Sancti. Ergo adſummum inducit differentiam quaſi accidentalem, & extrinſecam, ex qua non poteſt haberi vera, & realis diſtinctio extremorum. Neque denique quartam, quia aliòquin duæ albedines, quarum vna ſit in homine, & alia in equo, eſſent diuerſæ ſpeciei: & albedo, & nigredo in eodem homine eſſent eiuſdẽ ſpeciei, quæ ſunt abſurda.

Ad 2. Dico, neque Scoti fundamentum eſſe validum, ſed ruinoſum. Primò quia diſtinctionem formalem Scotiſticã, ſeu ex natura rei, ſub his terminis reiecimus à diuinis, & oſtendimus repugnãtem in diſp. met. lib. 1. diſp. 2. ar. 4. Et deinde quia etiam illa admiſſa vt poſſibili, non tamen poteſt admitti in Deo, inter intellectum, & voluntatem. Vel enim accipiuntur vt formalitates abſolutæ, vel vt notionales? Si primum, ergo cùm ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices, ingrediuntur formaliter conceptum intrinſecum eiuſdem communis eſſentiæ; atque adeo non diſtinguuntur, niſi ratione. Si ſecundum, quia admittuntur vt plures, non Scoticè, ſed realiter diſtinguuntur, non quia procedant à taliter diſtinctis, ſed quia relatiuè opponuntur, vt dictum eſt.

Ad

Ad 3. Dico, hoc fundamentum inducere ad errorem; ſiquidem illo admiſſo, vel ſpiratio communis, vt eſt in Filio, diſtingueretur à ſeipſa, vt eſt in Patre; & idem dico de eſſentia, quæ eſt in tribus ſuppoſitis realiter diſtinctis; vel eſſent formaliter duæ, quæ ſunt obſurda. Neque obſtat, quòd ſpiratio ſit in Patre, & Filio, vt ſunt vnum principium; nam hoc non tollit, quò minùs Pater, & Filius ſint duo ſuppoſita realiter diſtincta, quòd ſufficit ad inferenda abſurda allata. Ergo nullatenùs eſt admittendum inter Catholicos, niſi caſtigetur.

ARTICVLVS VII.

An vna relatio producatur ab alia?

VIdetur produci, vt propugnant aliqui, ſuppreſſo nomine relati ab Argentina in 1.d.5.q.1. ar.3. Primò quia habemus ex fide, vnam Perſonam produci ab alia. Sed eſſentia Perſonæ non producitur, vt videbimus. Ergo producitur relatio.

2. Illud producitur, quod eſt terminus formalis productionis. Sed hæc in diuinis eſt ſola relatio. Ergo illa ſola producitur. Probatur minor, illud eſt terminus formalis generationis, quod magis habet rationem actus, ſeu formæ conſtituentis, & diſtinguentis genitum. Sed hoc eſt ſola relatio, vt videbimus.

Ergo

Ergo illa ſola eſt terminus formalis generationis, ſeu productionis.

3. Illud producitur, quod principaliter intenditur à producente. Sed hoc eſt relatio, quæ habet rationem quaſi formæ determinantis naturam producti, ad eſſe tale ſuppoſitum. Ergo relatio producitur.

4. Diuinæ productiones ſunt omninò vniuocæ, vt alibi probauimus. Ergo terminus productus debet eſſe ſimilis producenti. Sed ſi relatio produceretur ab abſoluto, non eſſet ſimilis producenti. Ergo debet produci à reſpectiuo; & ſic vna relatio producit aliam.

1. Concluſio, *Relatio in abſtracto, neque producit, neque producitur ab alia.*

Probatur prima pars, actiones ſunt ſuppoſitorum, vt probauimus diſp. 6. ar. 1. Sed relatio in abſtracto non eſt ſuppoſitum. Ergo non poteſt eſſe principium productiuum *quod* alterius relationis. Et ideo non dicitur paternitas generat, neque ſpiratio ſpirat, ſed Pater generat, & Spirator ſpirat.

Probatur ſecunda, relatio in abſtracto, ratione ſui formaliter, non dicit, niſi perfectionem ſimplicem, vt probauimus diſp. 10. ar. 4. Ergo non dicit formaliter Deum, in quo eſt formaliter cumulus omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium. Sed terminus diuinæ proceſionis ad intra debet eſſe formaliter Deus, vt profitemur in ſymbolo fidei, *Deum de Deo*. Ergo non poteſt eſſe ſola relatio

tio in abſtracto, quæ ſicut per ſe non generat propriè loquendo, ita neque propriè terminat generationem.

Præterea, terminus formalis productionis, ſeu generationis ſubſtantialis debet eſſe formaliter ſubſtantia. Sed diuina relatio in abſtracto, vt formaliter relatio, non eſt ſubſtantia, vt alibi probauimus. Ergo non eſt terminus formalis generationis, ſeu ſpirationis; & per conſequens neque generatur, neque producitur.

2. Concluſio, *Relatio in concreto producit, & producitur ab alia, hoc eſt generat, & generatur, ſpirat, & ſpiratur.*

Probatur 1. Illud eſt terminus diuinæ productionis ad intra, quod per illam formaliter procedit à producente. Sed hoc non eſt eſſentia, vt patebit diſp. 26. ar. 5. neque relatio in abſtracto, vt dictum eſt. Ergo eſt relatio in concreto, quæ eſt hypoſtaſis, ſeu Perſona, vel ſuppoſitum. Et ideo dicitur in ſymbolo, *& in Spiritum Sanctum, qui ex Patre, Filioque procedit*, denotando Perſonam, ſeu relationem in concreto.

2. In productionibus phyſicis terminus formalis, neque eſt forma ſola, neque materia, ſed eſt forma vt in materia, vt diximus in 1. de gener. Ergo etiam in diuinis, in quibus eſt vera generatio, & productio, eius terminus formalis eſt relatio in eſſentia, vt in eſſentia, quod eſt diuinum ſuppoſitum, quia in hoc nulla inuoluitur imperfectio, & ſaluatur adæ-

adæquatè conceptus eſſentialis productionis.

3. Ex Deo ad intra non poteſt naſci niſi Deus. Cùm ergo eſſentia non naſcatur, & relatio ratione ſui formaliter in abſtracto non ſit Deus, neutra ſeorſim eſt terminus talis natiuitatis, ſed vtraque ſimul, per quarum identitatem habetur formaliter diuina Perſona, quæ naſcitur. Sicut enim principium productiuum *quod*, eſt ſuppoſitum, ſeu Perſona, & ideo dicitur, *Pater generat Verbum*, ita terminus productus debet eſſe ſuppoſitum, ſeu Perſona, vt videlicèt ſint ſibi mutuò digna, & diuina correlatiua.

Vnde patet reſponſio ad obiecta, quæ concludunt euidenter prò relationibus in concreto; & ideo confirmant ſecundam concluſionem, & nihil prò relationibus in abſtracto; & ideo magis roborant primam.

ARTICVLVS VIII.

An Paternitas, & generatio actiua ſint idem?

Videntur non eſſe, Primò quia quæ ſunt in oppoſitis, non ſunt realiter idem. Sed paternitas, & generatio actiua ſunt in oppoſitis. Ergo non ſunt realiter idem. Maior patet, nam quæ ſunt in oppoſitis, ſequuntur eorum diſtinctionem. Minor probatur, ſicut ſe

habet creatio vt actio, ad creaturam, ita generatio vt actio ad filium. Sed creatio vt actio eſt in creatura per identitatem, vt dictum eſt in 7. phyſ. Ergo generatio vt actio eſt in Filio per identitatem. Ex alia parte paternitas eſt in Patre. Ergo paternitas, & generatio actiua ſunt in oppoſitis.

2. Quæ realiter differunt in tertio, differunt realiter inter ſe. Sed generatio, & paternitas differunt realiter in eſſentia, nam de illa prædicatur in recto paternitas, & non generatio. Ergo differunt realiter inter ſe.

3. Quod fundatur in alio, diſtinguitur ab eo, in quo fundatur, cùm nihil fundetur in ſe ipſo. Sed paternitas fundatur in generatione. Ergo ab illa diſtinguitur, tamquàm relatio à fundamento.

4. Quæ ſunt diuerſorum generum, realiter differunt. Sed generatio vt actio, eſt diuerſi generis à paternitate, vt eſt relatio. Ergo realiter differunt.

5. Si per impoſſibile non daretur in Patre actus generationis, remanente filio, adhùc remaneret paternitas. Ergo poſſunt ſeparari. Sed ſeparabilia actu diſtinguuntur, vt probauimus in met. Ergo generatio, & paternitas actu diſtinguuntur.

6. Ideo datur paternitas, quia datur generatio. Ergo generatio eſt prior, & quaſi cauſa paternitatis. Sed prius per modum cauſæ diſtinguitur à poſteriori,

tam-

tamquàm ab effectu. Ergo generatio, diſtinguitur à paternitate.

Concluſio, *Paternitas non diſtinguitur realiter à generatione actiua, ſed ſola ratione ratiocinante.*

Probatur cum diuo Thom. hìc q. 40. ar. 1. Per illud idem Pater eſt realiter Pater, per quod realiter generat. Sed generat per actum generationis realiter. Ergo per illum eſt realiter Pater. Sed hoc non eſſet, ſi hæc duo realiter diſtinguerentur, quia tunc per vnum eſſet Pater, & per aliud generaret. Ergo hæc duo non diſtinguuntur realiter. Quòd autem ratione diſtinguantur, probatur, quia generatio concipitur per modum fluxus, emanantis à paternitate ad filiũ. Et ideo dicitur hic à diuo Thoma, hanc propoſitionem, *relatio eſt in Perſona,* facere ſenſum tranſitiuum, ſecundùm rationem, non autem ſecundùm rem. Ergo paternitas concipitur diuerſo conceptu, ab eo quo concipitur generatio actiua.

Ad 1. Nego minorem, ſi enim generatio actiua eſſet in Filio, Filius generaret, adeòque eſſet formaliter Pater, quod eſt abſurdum. Ad eius probationem nego paritatem; nam creatio eſt actio formaliter tranſiens, & ideo eſt in termino, ſed generatio eſt immanens, & ideo eſt in ipſo principio actiuo, & non tranſit ad terminum.

Ad 2. Nego maiorem, quæ non valet

in diuinis, ratione diſtinctionis virtualis intrinſecæ, quam alibi propugnauimus; aliòqui paternitas, & eſſentia, quæ differunt realiter in filiatione, differrent inter ſe, adeòque Pater non eſſet Deus, quod eſt abſurdum.

Ad 3. Concedo totum, ſi ſolam inferat diſtinctionem rationis. Quòd ſi intendat inferre diſtinctionem realem, nego maiorem; cùm relatio creati ad Creatorem fundetur in creatione, quæ ab illo realiter non diſtinguitur.

Ad 4. Nego maiorem; nam etiam per Philoſophum actio, & paſſio *ſunt in* diuerſis prædicamentis, & tamen in creatis ſunt vnus, & idem motus. Poteſt ergo idem concipi pluribus conceptibus inadæquatis, ratione quorum conueniant illi diuerſa prædicamenta.

Ad 5. Nego conſequentiam, primò quia cùm illa hypotheſis ſit impoſſibilis, ex illa ſequitur vtraque pars contradictionis. Præterea cùm fiat per intellectum, non poteſt ex illa inferri, niſi ſeparabilitas rationis, ex qua non ſequitur diſtinctio realis.

Ad 6. Nego antecedens. Nam (vt videbimus diſp. 30. ar. 1.) potiùs eſt verum oppoſitum; neque enim Pater ideo eſt Pater, quia generat, ſed ideo generat quia eſt Pater, quatenus ly *Pater* ſupponit prò hypoſtaſi, ſeu ſuppoſito, & non prò ſola forma paternita-

nitatis in abſtracto. Præterea generatio dicitur quaſi cauſa paternitatis,quia taliter à nobis concipitur. Ergo licèt admitteretur antecedens, tamen in conſequenti non inferretur, niſi diſtinctio rationis, quæ fit per noſtrum conceptum ratiocinantem.

DISPVTATIO XIII.

De Relationibus, vt comparatis cum Perſonis.

VT abſoluamus materiam de relationibus, debemus illas comparare cum Perſonis, in qua comparatione quæremus 1. An relatio diſtinguatur à Perſona? 2. An illam diſtinguat, & quomodo? 3. An ſit de conceptu formali illius?

ARTICVLVS PRIMVS.

An relationes diſtinguantur à Perſonis?

VIdentur omnes diſtingui realiter à Perſonis, vt aſſerebat Gilibertus Porretanus, qui putabat, diuinas relationes nec eſſe Perſonas, neque eſſe in Perſonis, ſed afforis tantùm Perſonis aſſiſtentes. Errandi occaſio fuit, quia in

in his conſiderauit ſolùm *eſſe ad*, non autem *eſſe in*. Vnde inferebat, illas neque ineſſe naturæ, neque Perſonis, ſed illis tantùm extrinſecùs aduenire. Eius fundamenta ſunt 1. Quod habet eſſe dependens, de ſua ratione formali intrinſeca, non poteſt eſſe realiter idem cum eo, quod eſt independens, neque illi realiter ineſſe. Sed relatio, vt formaliter talis, de ſua intrinſeca ratione eſt aliquid dependens, eò quia eius eſſe ſit ad aliud. Ergo non poteſt eſſe realiter idem cum Perſona, quæ eſt totaliter independens, neque illi realiter ineſſe.

2. Quod non eſt in Perſona, non poteſt eſſe idem cum Perſona, cùm ſit impoſſibile, aliquid identificari cum alio ſibi extrinſeco. Sed diuinæ relationes non ſunt in Perſonis, vt dicebat Præpoſitiuus, quem impugnauimus diſp. 7. ar. 1. Ergo non ſunt idem cum illis. Probatur minor, quidquid eſt in alio, vel eſt in illo tamquam genus in ſpecie, & viceuerſa, vel vt forma in ſubiecto, vel vt corpus in loco, vel vt pars in toto, Rex in regno, res in termino, ſeu centro, &c. Sed relationes nullo ex his modis poſſunt eſſe in Perſonis, vt patet. Ergo aſſiſtunt illis ab extra, per puram aſſiſtentiam rationis.

1. Concluſio, *Omnis Perſona diuina, cui conueniunt duæ relationes reales, diſtinguitur à ſingulis ſeorſim diſtinctione inadæquata, ſeu per modum includentis, & incluſi.*

Probatur 1. Diſtinctio includentis ab incluſis ſeorſim ſumptis,ſequitur diſtinctionem,quæ eſt inter ipſa incluſa. Sed huiuſmodi Perſona includit duas relationes realiter inter ſe diſtinctas, non quidem in eſſe rei, ſed in eſſe relationis. Ergo realiter diſtinguitur ab illis ſeorſim ſumptis. Conſequentia eſt euidens. Minorem probauimus diſp.12. ar.3. Maior probatur, ideo totum phyſicum diſtinguitur realiter à materia incluſa,quia præter illam, includit etiam formam, realiter diſtinctam à materia: & totum potentiale, ſeu metaphyſicum diſtinguitur ſola ratione à ſuis partibus ſeorſim, quia illæ, ſola ratione inter ſe diſtinguũtur. Ergo diſtinctio totius à partibus ſeorſim ſumptis, ſequitur diſtinctionem ipſarum partium. Sed omne includens habet rationem quaſi totius, reſpectu incluſorum. Ergo eius diſtinctio à ſingulis incluſis, ſequitur eorum diſtinctionem.

2. Ideo Perſona diuina non diſtinguitur realiter ab eſſentia, quia eſſentia non diſtinguitur realiter ab alijs, quæ includuntur in Perſona. Ergo ex oppoſita ratione, ſi eſſentia diſtingueretur realiter à relationibus, & proprietatibus Perſonarum, diſtingueretur etiam realiter à Perſona, vt inferebat Poeretanus,ex falſo principio talis diſtinctionis. Ergo admiſſa vera diſtinctione relationum in eadem perſona, hæc verè à ſingulis illarum diſtinguitur.

2. Con-

2. Concluſio, *Perſona Patris diſtinguitur realiter, diſtinctione inadæquata à relatione paternitatis, & ſpirationis actiuæ ſeorſim ſumptis; ſicut Perſona Filij à relatione filiationis, & ſpirationis actiuæ; neutra tamen diſtinguitur ab vtraque ſimul ſumpta, diſtinctione reali.*

Probatur prima pars ex dictis, relatio ſpirationis actiuæ realiter diſtinguitur à paternitate in Patre, & à filiatione in Filio, vt probauimus diſp. 12. ar. 3. Ergo tàm Pater, quàm Filius includunt duas relationes realiter diſtinctas. Sed omnis Perſona includens duas relationes realiter diſtinctas, diſtinguitur realiter à ſingulis illarum, vt probatum eſt in 1. concl. Ergo, &c.

Probatur ſecunda pars, conſtitutum non poteſt realiter diſtingui à collectione obiectiua omnium ſuorum conſtituentium. Sed collectio obiectiua omnium conſtituentium Patrem, in eſſe primam Perſonam, non includit, niſi paternitatem, & ſpirationem actiuam, vt realiter identificatas cum eadem eſſentia. Ergo non poteſt ab illis ſimul ſumptis, & colcollectiuè realiter diſtingui. Et idem dico de Filio, qui vt eſt ſecunda Perſona, non includit, niſi filiationem, & ſpirationem actiuam, vt realiter identificatas cum eadem eſſentia. Ergo non poteſt diſtingui ab earum obiectiua collectione. Conſequentia eſt euidens. Minor patebit infra. Maior probatur, ita ſe habet conſtitutum ad ſua conſtitu-

tiua, ſicut totum ad ſuas partes. Sed totum non diſtinguitur à ſuis partibus ſimul ſumptis, vt fusè probauimus contra Scotum lib. I. de gener. diſp. 2. ar. I. Ergo neque conſtitutum à ſuis conſtitutiuis.

Dices, ergo Pater, & Filius ſinguli eſſent vnum ſuppoſitum tantùm collectiuè. Sed hoc fuit damnatum in Abbate Ioachim. Ergo diſtinguuntur à collectione ſuorum conſtituentium.

Nego maiorem, primò quia non ſunt vnum per accidens, ſed per ſe, cùm hæ relationes eſſentialiter connectantur in ſingulis Perſonis. Et deinde quia non diſtinguuntur ab inuicem adæquatè, propter identitatem cum eadem communi eſſentia. Ioachim autem fuit damnatus, non quia dixit, has Perſonas ſingulas eſſe vnum in ſe collectiuè, collectione obiectiua relationum, ſed quia dixit, eſſe ſingulas vnum collectione formali tantùm, excludente conuenientiam obiectiuam illarum, ſecundùm identitatem cum eadem eſſentia. Vnde inferebat, omnes ſimul diuinas Perſonas facere Trinitatem collectiuè, ſupponendo earum omnium realem diſtinctionem quoad eſſentiam, quam in ſingulis multiplicabat. Quare excluſo ſenſu erroneo Ioachini, non eſt abſurdum dicere, primam Perſonam, & ſecundam, ſingulas eſſe vnum collectiuè, obiectiua collectione ſuarum relationum, fundata in identitate reali cum eadem communi eſſentia. Et ideo poſſet, admiſſa maiori, diſtingui

gui

guunt minor, iuxta diuerſitatem doctrinæ allatæ.

3. Concluſio, *Relatio ſpirationis paſſiua, ſeu proceſſio non diſtinguitur realiter à Perſona Spiritus Sancti, ſed ſolùm virtualiter intrinſecè.*

Probatur, Spiritus Sanctus nihil includit ab illa realiter diſtinctum, eò quia conſtet ſolùm ex diuina eſſentia, & ſpiratione paſſiua, quæ ſolùm virtualiter intrinſecè inter ſe diſtinguuntur. Ergo non habet reſpectu illarum rationem includentis realis, ſed ſolùm virtualis. Sed diſtinctio includentis ab incluſis, ſequitur diſtinctionem ipſorum incluſorum. Ergo ab illis non diſtinguitur realiter, ſed ſolùm virtualiter intrinſecè.

4. Concluſio, *Eodem modo diſtinguuntur Perſonæ ab actionibus originum, ſicut diſtinguuntur à relationibus, & proprietatibus.*

Probatur, actiones originum non diſtinguuntur realiter à relationibus. Ergo in ordine ad illas eodem modo ſe habent Perſonæ, ſicut ad relationes; atque adeo eodem modo diſtinguuntur.

Ad 1. Nego minorem. Et dico, relationem vel conſiderari genericè ſecundùm purum *eſſe ad*, vt præciſum formaliter à ratione creati, vel increati, & ſecundùm hanc abſtractionem eſſe aliquid præſcindens à dependentia, vel independentia; quia vt talis poteſt contrahi ad rationem cauſæ, cum independentia à termino, vel ad rationem effe-

ctus, cum dependentia à termino; vel ſpecificè, ſeu quaſi ſpecificè, vt contractam ad rationem deitatis; & quia vt talis formaliter, dicit perfectionem, vt dictum eſt diſp. 10. ar. 4. & perfectionem ſimplicem infinitam, & eſt ad terminum ſimpliciter neceſſarium, & infinitum, & ſibi conſubſtantialem, nullam dicit ab eo dependentiam.

Ad 2. Nego minorem. Et dico, relationes diuinas eſſe in eſſentia, & in ſuppoſitis, ſeu Perſonis, ſed diſpari ratione; nam ſunt in eſſentia, non per inhærentiam realem, quæ illis repugnat, ſed per quaſi inhærentiam rationis, eo modo quo definitio obiectiua eſt in definito, vt animal rationale in homine, quamuis ſint vnum, & idem; & hæc quaſi inhærentia rationis, ex parte obiecti eſt pura connexio identitatis. Sunt autem in Perſonis adhuc diuerſimodè; nam in Patre, & Filio, in quibus ſunt plures relationes diſtinctæ, ſunt per incluſionem, ſeu inexiſtentiam realem, quatenùs in illis vna relatio conſtitutiua, facit numerum intrinſecum, cum alia relatione conſtitutiua eiuſdem Perſonæ, non quidem in eſſe rei, quod eſt vnum, & idem in eadem perſona, ſed in eſſe relationis, vt dictum eſt. At in Spiritu Sancto, quia eſt vna ſola relatio, ideo hæc eſt in illo, ſicut in eſſenti, per quaſi inhærentiam rationis, ſeu incluſionem identitatis. Quòd ſi vlteriùs quæras, per diſtributionem allatam in probatione minoris, ad

qua-

qualem ex enumeratis, reducatur modus eſsẽdi relationis in Perſonis? Dico, quòd licèt non ſit humano ſenſu de Deo loquendum, vt docet Hilarius 8. de Trin., tamen quantum poſſumus humanis verbis exprimere, relatio eſt in Perſona, velut forma ſubſtantialis in toto, demptis imperfectionibus. Et ideo Damaſcenus lib. 3. c. 6. de diuinis proprietatibus ait, illas, *eſſe caracteriſticas, determinatiuas, vel diſtinctiuas hypoſtaſis, non naturæ*; quia ſcilicèt relatiua proprietas, veluti forma ſubſtantialis, determinat, & diſtinguit Perſonas, non naturam, quæ eſt vna in omnibus.

ARTICVLVS II.

Soluuntur alia argumenta contraria.

OBijcies 1. Suppoſitum, ſeu Perſona nihil eſt aliud, quàm eſſentia, & relatio. Ergo tot ſunt Perſonæ, quot reales relationes. Ergo ſi ſpiratio communis ſit realiter diſtincta in eſſe relationis ab alijs tribus, eſt quarta Perſona, quod eſt hæreticum.

Nego conſequentiam, quæ quia ſæpe recurrit, ideo placet radicitùs illam euellere. Verùm eſt, relationem in eſſentia facere Perſonam, non tamen eſt verum, quòd omnis relatio in eſſentia diſtinguit Perſonam, ſed ſolùm illa relatio, quæ de ſua ratione intrinſeca eſt formaliter incommunicabilis, quod non conuenit, niſi

niſi tali relationi ſecundùm ſpeciem, ſeu quaſi ſpeciem. Cùm ergo ſpiratio actiua ſit communicabilis Patri, & Filio, ideo non conſtituit ſuppoſitum ab illis diſtinctum, de cuius ratione formali intrinſeca eſt incommunicabilitas, vt videbimus. Quia ergo illa conſequentia facit tranſitum, ex termino communi genericè multiplicato, ad multiplicationem ſingularium, ſecundùm ſpecies cõtentas ſub tali genere, ideo eſt falſa; eo modo quo eſt falſa hæc, *homo nihil eſt aliud, quàm compoſitum ex anima, & corpore, ergo tot ſunt homines, quot compoſita ex anima, & corpore*, eò quia etiam bruta ſint compoſita ex anima, & corpore. Et ratio à priori eſt, quia ſingularia, ſeu indiuidua hominum, dicunt vltimas differentias, à quibus præſcinditur in tali antecedenti. Et ideo conſequentia tranſit, ab eſſe generico ad ſpecificum, per variationem ſuppoſitionis formalis, quod non eſſet, ſi in antecedenti prædicatio procederet ſecundùm animam rationalem. Idem proportionaliter dico de illo antecedenti, *Perſona nihil eſt aliud, quàm eſſentia, & relatio*, non determinando per vltimam differentiam ſpeciem relationis. Et ideo non ſequitur conſequentia, prò multiplicatione Perſonarum, ſicut ſequeretur, ſi ly *relatio*, contraheretur ad vltimam differentiam incommunicabilitatis; in quo caſu negaretur poſtrema conſequentia, quia ſpiratio communis non eſt incom-

communicabilis. Præterea non valet illa conſequentia ex alio capite, quia videlicèt committit fallaciam accidẽtis, ſicut hæc, *homo eſt albus, ergo quot homines, tot alba*, quia ly *homo* in antecedenti ſupponit prò homine, vt ſubſtante albedini, & in concluſione prò homine, vt ſeparato ab albedine. Cùm ergo ratio incommunicabilis ſit veluti accidentalis relationi vt ſic, eò quia poſſit ab illa ſeparari; ideo ad hoc vt ex numero relationum inferatur numerus Perſonarum, de quarum ratione formali intrinſeca eſt incommunicabilitas, debet ly *relatio*, in antecedenti, accipi vt affecta ratione incommunicabilitatis, quod non accidit in præſentia. Quòd ſi quæras cur ſit communicabilis Patri, & Filio, & non Spiritui Sancto? Reſpondeo rationem eſse, quia huic opponitur, & non illis, vt dicitur de potentia ſpiratiua. Communicatur autem per identitatem eiuſdem naturæ, vt videbimus.

Ob. 2. Vel ſpiratio eſt conſtitutiua Patris, vel non? Si primum, ergo aliquid conſtitutiuum notionale Patris eſt in Filio: & præterea ergo Pater vt Pater, opponitur relatiuè Spiritui Sancto, quæ ſunt abſurda. Si ſecundum, ergo aliquid reale relatiuum eſt in Patre, quod non eſt realiter Pater. Et idem dico de Filio, quod etiam eſt abſurdum.

Reſpondeo Patrem poſſe conſiderari vt Patrem, & ſub tali conſideratione non conſtituitur à ſpiratione, ſed à ſola ge-

generatione actiua: & poſse conſiderari vt ſpiratorem, & ſub tali conſideratione conſtituitur à ſpiratione actiua, & non à generatione: Et poſse conſiderari vt primam Perſonam, & conſtituitur ab vtraque ſimul; & idem proportionaliter dico de Filio. Poteſt ergo prædicari de Patre generatio, vt eſt Pater: ſpiratio actiua, vt eſt ſpirator: & vtraque relatio, vt eſt prima Perſona. Ad illud de notionali, dico, nullum prædicatum dici notionale, quod non ſit proprium, & deuinctum alicui Perſonæ. Cùm ergo ſpiratio non ſit propria, neque deuincta ſoli Patri, ideo non eſt ſimpliciter notionalis in Patre, niſi intelligatur cum ordine ad Spiritum Sanctum, tamquam ad terminum oppoſitum. Quia tamen hic ordo non terminatur ad Filium, ideo ſpiratio non dicitur notionalis in Patre, reſpectu Filij, à quo Pater per illam non diſcernitur, ſed ſolùm reſpectu Spiritus Sancti; & ideo poteſt cõmunicari etiam Filio, quia tàm Pater, quàm Filius, per communem ſpirationem diſcernuntur à Spiritu Sancto, reſpectu cuius dicitur communis notio Patris, & Filij, vt dictum eſt diſp.7.ar.2.

Ob.3. Perſona Patris diſtinguitur à paternitate, vt dictum eſt in 2.concl. Ergo non poteſt verè dici, *paternitas eſt pater*, ſicut non poteſt dici, *homo eſt humanitas*. Sed hoc vt abſurdum reijcitur à diuo Thoma q.32.ar.2.ad 2.dicente, *poſſumus enim dicere, paternitas eſt*

Deus,

Deus, & paternitas eſt Pater. Ergo non diſtinguitur.

Nego conſequentiam. Et dico, quòd diuus Thomas loco cit. nomine paternitatis intelligit abſtractum Patris, vt eſt prima Perſona, non autem vt eſt formaliter Pater, cum præciſione ad rationem ſpiratoris. Quatenus autem tale includit abſtractum, tàm generationis actiuæ, quàm ſpirationis actiuæ ſimul. Cùm autem hæ ſimul ſumptæ cum eſſentia, verè ſint idem, atque Pater, vt eſt prima Perſona, ſicut totum eſt idem cum complexo partium, ideo eſt vera illa prædicatio. In concluſione autem ly *paternitas* accipitur pròut diſtincta à ſpiratione, & ly *Pater* accipitur pròut eſt prima Perſona; & ideo ſub tali formalitate, non poteſt conuerti cum Patre, ſecundùm totum id, quod dicit, vt eſt prima Perſona. Ad exemplum allatũ, dico, ideo hominem nõ eſſe ſuam humanitatem, quia natura hominis importata per ly *homo*, realiter diſtinguitur à ſua ſubſiſtentia, importata per ly *humanitas*. At in Perſona Patris, vt Pater eſt, eius natura non diſtinguitur realiter à ſua ſubſiſtentia; & ideo dicitur cum illa ad conuertentiam.

Dices, Pater vt pater, diſtinguitur à Patre, vt eſt prima perſona, quia vt prima perſona includit ſpirationem actiuam, quam non includit vt pater. Ergo ſunt duæ Perſonæ. Quod idem valet de filio, vt eſt Filius, & ſecunda perſona;

ſona; quo admiſſo, eſſent quinque perſonæ, quod eſt hæreticum.

Nego conſequentiam, quia eſſe primam perſonam, includit formaliter intrinſecè eſſe patrem, ſicut eſſe Petrum ſubſiſtentem, includit formaliter eſſe Petrum. Id autem quod eſt de introneitate alterius, ab illo non diſtinguitur, niſi per modum includentis, & incluſi. Ergo cùm incluſum, licèt diſtinctum inadæquatè ab includente, non ſit aliud ab illo, neque Pater vt incluſus in prima Perſona, eſt alia perſona à prima. Atque adeo ſicut Petrus incluſus in Petro ſubſiſtente, non facit alium Petrum, ſub diſtinctione Petri, & ſubſiſtentis; ita neque Pater ſub diſtinctione patris, & primæ perſonæ, facit alium Patrem. Pater ergo diſtinguitur inadæquatè à prima perſona, quatenùs paternitas, per quam conſtituitur adæquatè pater, non conſtituit adæquatè primam perſonam, quæ conſtituitur etiam per communem ſpirationem, quæ vt talis formaliter, eſt extra conceptum formalem proprium patris, vt pater eſt, ſicut eſt extra conceptum formalem filij, vt filius eſt. Et vt magis pateat euidentia reſponſionis, homo conſtat ex anima, & corpore, à quorum ſingulis ſeorſim diſtinguitur inadæquatè. Ea ergo, quæ adæquatè conſtituunt animam, non conſtituunt hominem adæquatè, non tamen faciunt alium hominem, ſed ſolùm vnum ex hominis

præ-

prædicatis. Ita & proportionaliter in caſu noſtro.

Ob.4. Omnis diuina relatio ad intra eſt ſubſiſtentia, Ergo in Patre erunt duæ ſubſiſtentiæ; & idem dico de Filio.

Nego antecedens, quia ſubſiſtētia dicit incommunicabilitatem, quam non habet ſpiratio cōmunis. Ergo hæc ſubſiſtit in Patre per ſubſiſtentiam paternitatis, & in Filio per ſubſiſtentiam filiationis.

Dices, ergo communis ſpiratio ſubſiſtit per ſubſiſtentias à ſe diſtinctas; & per conſequens non eſt aliquid diuinum, quia non eſt per ſe ſubſiſtens, ſed in alio à ſe diſtincto.

Diſtinguo primum conſequens, ſubſiſtit per ſubſiſtentias à ſe diſtinctas, diſtinctione adæquata, nego: inadæquata, concedo conſequentiam. Ex quo non ſequitur veritas alterius conſequentiæ, quę ſolùm valeret in caſu diſtinctionis adæquatæ. Cùm ergo hæc relatio ſubſiſtat per paternitatem, & filiationem, quæ ſunt realiter idem, ſecundùm eſſentiam, cum illa, ideo ſubſiſtit per ſubſiſtentias realiter identificatas cum ſua eſſentia; adeòque per ſe ſubſiſtit, quia non emendicat ſubſiſtentiam extra ſuam eſſentiam, vt faciunt creaturæ.

Ob.5. Spiratio communis realiter diſtinguitur à Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Ergo à tota Trinitate; atque adeo eſt aliquid illi deforis aduenieus, quod fuit damnatum in Porretano.

Diſtinguo antecedens, diſtinguitur ina-

inadæquatè, concedo: adæquatè, nego antecedens. Et admiſſa diſtinctione inadæquata illius à ſola Trinitate, per modum incluſi ab includente, nego conſequentiam, quia Porretanus diſtinguebat adæquatè relationes à Perſonis, adeòque etiam quoad eſſentiam, & quoad omnia abſoluta, vt dictum eſt.

Dices, ergo hæc relatio eſt aliquid abſolutum, quia diſtinguitur ab omnibus relatiuis omnium Perſonarum.

Nego conſequentiam, primò quia diſtinguitur ab omnibus alijs à ſe, non autem ab omnibus relatiuis ſimpliciter, quæ ſunt in diuinis. Et hoc eſt commune omnibus alijs, cùm omnia relatiua ſeorſim ſumpta diſtinguantur ab omnibus extra ſe. Deinde cùm habeat oppoſitionem relatiuam cum Spiritu Sancto, & habeat eſſentialiter, & formaliter eſſe ad illum, neque eſt formaliter eſſentia, neque aliquod abſolutum, ſed eſt quarta relatio diſtincta ab alijs tribus, identificata cum eadem aliarum eſſentia.

ARTICVLVS III.

An ſola relatio diſtinguat Perſonas?

VIdetur non diſtinguere, primò quia relatio realis in hoc differt à relatione rationis, quòd illa præſupponit extrema realiter diſtincta; hæc autem illa præſupponit diſtincta ſola ratione. Ergo re-

relatio realis referens Perſonas, præſuppoſnit realem earum diſtinctionem; atque adeò illas non diſtinguit.

2. Si Perſonæ diſtinguantur relationibus, per aliquid diſtinguerentur, & per aliquid conuenirent. Ergo haberent aliquid, & aliquid, quod pugnat cum earum ſimplicitate. Ergo non diſtinguntur relationibus.

3. Poſſunt diſtingui Perſonæ per ſuppoſita abſoluta, vel ſaltem per modos abſolutos, ſeu per origines. Ergo non diſtinguuntur relationibus.

4. Poſſunt Perſonæ ſeipſis diſtingui, ſecundùm ſe totas, vt docent Gregor. Arim. in 1. d. 26. q. vn. & Franc. Ferrar. 4. con. Gen. c. 26. quibus videtur accedere Caietanus p. p. q. 40. ar. 2. Ergo nõ diſtinguuntur relationibus. Probatur antecedens, diuina Perſona non eſt minùs ſimplex, quàm eſſentia. Sed hæc ſe ipſa diſtinguitur ab omni alia. Ergo & Perſonæ.

Concluſio, *Sola relatio diſtinguit ab inuicem Perſonas*. Ita Diuus Tho. hic q. 40. ar. 2. Albertus Mag. in 1. d. 27. ar. 2. Ægid. Rom. in 1. d. 26. ar. 1. q. 2. Heruæus, Durandus, & alij ſatis communiter.

Probatur 1. In Conc. Tolet. 11. in confeſs. fidei ita decernitur, *in relatione, Perſonarum numerus cernitur, & in hoc diuina Perſonæ numerum inſinuant, quòd ad inuicem ſunt; & in hoc numero carent, quòd in ſe ſunt*. Ergo præciſis relationibus, tollitur numerus Perſonarum.

2. Sa-

inadæquatè, concedo: adæquatè, nego antecedens. Et admiſſa diſtinctione inadæquata illius à ſola Trinitate, per modum incluſi ab includente, nego conſequentiam, quia Porretanus diſtinguebat adæquatè relationes à Perſonis, adeòque etiam quoad eſſentiam, & quoad omnia abſoluta, vt dictum eſt.

Dices, ergo hæc relatio eſt aliquid abſolutum, quia diſtinguitur ab omnibus relatiuis omnium Perſonarum.

Nego conſequentiam, primò quia diſtinguitur ab omnibus alijs à ſe, non autem ab omnibus relatiuis ſimpliciter, quæ ſunt in diuinis. Et hoc eſt commune omnibus alijs, cùm omnia relatiua ſeorſim ſumpta diſtinguantur ab omnibus extra ſe. Deinde cùm habeat oppoſitionem relatiuam cum Spiritu Sancto, & habeat eſſentialiter, & formaliter eſſe ad illum, neque eſt formaliter eſſentia, neque aliquod abſolutum, ſed eſt quarta relatio diſtincta ab alijs tribus, identificata cum eadem aliarum eſſentia.

ARTICVLVS III.

An ſola relatio diſtinguat Perſonas?

VIdetur non diſtinguere, primò quia relatio realis in hoc differt à relatione rationis, quòd illa præſupponit extrema realiter diſtincta; hæc autem illa præſupponit diſtincta ſola ratione. Ergo re-

relatio realis referens Perſonas, præſupponit realem earum diſtinctionem; atque adeò illas non diſtinguit.

2. Si Perſonæ diſtinguantur relationibus, per aliquid diſtinguerentur, & per aliquid conuenirent. Ergo haberent aliquid, & aliquid, quod pugnat cum earum ſimplicitate. Ergo non diſtinguntur relationibus.

3. Poſſunt diſtingui Perſonæ per ſuppoſita abſoluta, vel ſaltem per modos abſolutos, ſeu per origines. Ergo non diſtinguuntur relationibus.

4. Poſſunt Perſonæ ſeipſis diſtingui, ſecundùm ſe totas, vt docent Gregor. Arim. in 1. d. 26. q. vn. & Franc. Ferrar. 4. con. Gen. c. 26. quibus videtur accedere Caietanus p. p. q. 40. ar. 2. Ergo nō diſtinguuntur relationibus. Probatur antecedens, diuina Perſona non eſt minùs ſimplex, quàm eſſentia. Sed hæc ſe ipſa diſtinguitur ab omni alia. Ergo & Perſonæ.

Concluſio, *Sola relatio diſtinguit ab inuicem Perſonas*. Ita Diuus Tho. hic q. 40. ar. 2. Albertus Mag. in 1. d. 27. ar. 2. Egid. Rom. in 1. d. 26. ar. 1. q. 2. Heruæus, Durandus, & alij ſatis communiter.

Probatur 1. In Conc. Tolet. 11. in confeſs. fidei ita decernitur, *in relatione, Perſonarum numerus cernitur, & in hoc diuina Perſonæ numerum inſinuant, quòd ad inuicem ſunt; & in hoc numero carent, quòd in ſe ſunt*. Ergo præciſis relationibus, tollitur numerus Perſonarum.

2. Sa-

2. Sacra ſcriptura (vt obſeruat Scotus in 1.d.26.q.vn.) ſemper appellat diuinas Perſonas nominibus reſpectiuis, vt Patris, Filij, Verbi, &c. Vnde ortum duxit illud effatum, ***omnia ſunt idem, vbi non obuiat relationis oppoſitio***. Ergo iuxta ſenſum ſacræ ſcripturæ, Perſonæ ſolis relationibus diſtinguuntur.

3. Omne diſtinctiuum debet eſſe intrinſecum, & proprium. Sed eſſentia eſt quidem intrinſeca Perſonis, non tamen propria, quia communis: & origo non concipitur vt intrinſeca, quia concipitur vt via à re, vel ad rem. Ergo ſola ſupereſt relatio, quæ diſtinguat.

Ad 1. Diſtinguo antecedens, relatio realis præſupponit vt realiter antecedentem diſtinctionem realem extremorum, nego: vt antecedentẽ ſecũdùm rationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Quamuis enim non poſſit eſſe realis relatio, niſi inter extrema realiter diſtincta, & per noſtrum modum concipiendi videatur priùs in illis concipi diſtinctio, quàm relatio, non tamen realiter vnum eſt prius alio, vt patet in relatione ſimilitudinis, quam habet album A. ad album B. quæ formaliter reſultat ex poſitione vtriuſque, vt probauimus in logicis; adeòque ſecundum rem idem eſt in illis exiſtere, referri, ac diſtingui, licèt hæc tria formaliter diſtinguantur. Sicut ergo rationale conſtituit realiter animal, quod ſecundùm rationem præſupponit vt genus, ita relatio conſtituit

tuit realiter diſtinctionem extremorum, quam ſola ratione præſupponit vt fundamentum. Præterea ſicut albedo non præſupponit album, quod refert, neque generatio patrem, ſed conſtituunt referendo, in eſſe album, in eſſe patrem; ita generatio actiua in diuinis non præſupponit Patrem, ſed conſtituit, ad filium referendo, vt videbimus.

Ad 2. Diſtinguo conſequens, haberent aliquid, & aliquid ſecundùm rem, nego: ſecundùm rationem, concedo conſequẽtiam. Formalitates autem rationis non tollunt realem ſimplicitatem, vt patet in attributis reſpectu eſſentiæ. Præterquam quòd poſſet etiam negari conſequentia; ſiquidem Perſonæ haberent quidem *aliquid*, & *ad aliquid*, non tamen aliquid, & aliquid, Nam hoc *ad aliquid*, tranſit ſecundùm totam ſuam realitatem in ly *aliquid*, & retinet ſolam diſtinctionem rationis, quæ non facit compoſitionem, vt dictum eſt ſupra.

Ad 3. Nego antecedens, cuius falſitas apparebit diſp. ſequenti.

Ad 4. Nego antecedens, Primò quia quæ differunt ſe totis, in nullo conueniunt, eò quia ſint primò diuerſa ex 10. met. t. 12. Sed diuinæ Perſonæ conueniũt in eſſentia. Ergo non differunt ſe totis. Deinde quia licèt admittatur, Perſonam diſtingui ab alia, ſecundùm totam ſuam entitatem, & realitatem, in qua non dantur partes, non tamen quidquid eſt in Perſona, illam diſtinguit, cùm eſſentia,

&

& ſpiratio non diſtinguant Patrem à Filio, licèt ſint realiter in vtroque. Neque poteſt dici cum Gregorio, vnam Perſonā diſtingui ab alia per eſſentiam, non tamen eſſentialiter; nam hoc eſt nugari. Siquidem diſtingui eſſentialiter eſt diſtingui per eſſentiam, quæ ſit eius proprietas incommunicabilis. Sed ſi vna Perſona diſtingueretur ab alia per eſſentiam, reſpectu huius eſſentia eſſet proprietas incommunicabilis, aliter non poſſet in illa eſse principium diſtinctionis, quod non poteſt eſse aliquod commune. Ergo diſtingueretur eſsentialiter. Ad probationem antecedentis dico, quòd ſicut eſsentiæ ſimplicitati non obſtat pluralitas metaphyſica perfectionum, inter quas quæritur conſtitutiua, pròut ratione diſtincta ab attributalibus; ita neque repugnat ſimplicitati Perſonæ, quòd inter eius prædicata intrinſeca, quæratur diſtinctiuum, vt virtualiter intrinſecè diſtinctum ab alijs. Quòd ſi obijcias realem diſtinctionem in Patre ſpirationis à paternitate, reſpondetur, etiam in eſsentia dari realem diſtinctionem Perſonarum, abſque vlla læſione eius ſummæ ſimplicitatis.

Dices, ideo Perſonæ non componunt eſsentiam, quia non diſtinguuntur realiter ab illa. At relationes diſparatæ diſtinguuntur realiter à Perſonis. Ergo illas componunt. Nego cauſalem. Et dico, perſonas nō facere compoſitionem in eſsentia, quia non diſtinguuntur ab

in-

inuicem adæquatè. Sed neque relationes diſparatæ diſtinguuntur in Perſonis adæquatè. Ergo non faciunt compoſitionem.

ARTICVLVS IV.

An relatio diſtinguat Perſonas ſecundùm ſpeciem?

VIdetur diſtinguere, Primò quia inducit diſtinctionem per quaſi formas. Sed omnis diſtinctio per formam eſt ſpecifica. Ergo inducit diſtinctionem ſpecificam.

2. Paternitas, & filiatio differunt ſpecie inter ſe. Ergo fundant diſtinctionem ſpecificam, cùm non poſſint tribuere ſuppoſitis, niſi diſtinctionem, quam habent in ſe.

3. Perſonæ non ſunt ſimiles ſecundùm relationes, immò ſunt poſitiuè inæquales, vt dicemus diſp. 23. ar. 9. Sed diſſimilitudo non habetur, niſi per diſtinctionem ſpecificam. Ergo ſecundùm relationes ſunt ſpecie differentes inter ſe.

4. Quibus conuenit diuerſa ſpecie productio, conuenit diſtinctio ſpecifica. Sed diuinis ſuppoſitis conuenit diuerſa ſpecie productio. Ergo diſtinctio ſpecifica. Minor eſt Auguſtini dicentis lib. 15. de Trin. c. 27. *diuina ſuppoſita determinant ſibi productiones ſpecie differentes*. Maior probatur, productio ſpecificatur à termino. Ergo productionibus

V ſpe-

ſpecie differentibus debent correſpondere termini ſpecie differentes. Sed termini diuinarum productionum ſunt perſonæ. Ergo hæ differunt ſpecie.

Prò reſolutione Notandum eſt, quæſtionem non procedere de vera, & propria diſtinctione ſpecifica, ſeu numerica; quia cùm in Deo nulla detur potentialitas, ſeu compoſitio, non poteſt dari vera ſpecies, ſicut nec vera phyſica indiuiduatio, eò quia cùm non ſit ſub genere, ſeu ſpecie, neque poteſt Deus habere veram differentiam purè numericam. Quæſtio ergo procedit purè metaphyſicè, & ſecundùm noſtrum modum intelligendi, an videlicèt debeamus potiùs aſſimilare diſtinctionem Perſonarum diſtinctioni numericæ, quàm ſpecificæ?

Concluſio, *Diuinæ Perſonæ neque differunt genere, neque ſpecie, ſed ſolo numero metaphyſico*. Ita diuus Thomas q. 10. de pot. ar. 2. ad 12. Argentinus in 1. d. 13. q. 1. ar. 3. &c.

Probatur prima pars, quæ differunt genere, debent reduci ad aliquod tertium genus vniuerſalius, reſpectu cuius vtrūque genus habeat rationem ſpeciei ſubalternæ, cuiuſmodi ſunt animal, & planta reſpectu viuentis. Sed diuinæ Perſonæ ſub nullo genere continentur, vt fuſè probauimus in logicis lib. 4. diſp. 3. ar. 4. Ergo non poſſunt differre genere inter ſe.

Probatur ſecunda, Primò, quæ differunt ſpecie non ſunt æqualia, ſecundùm

eſſentiam; eò quia differant ſecundùm formam, quæ eſt præcipuum conſtitutiuum eſſentiæ. Sed diuinæ Perſonæ ſunt omninò æquales ſecundùm eſſentiam, vt probabimus diſp.23.ar.8. Ergo non differunt ſpecie.

2. Omne agens naturale producit ſibi ſimile ſecundùm ſpeciem, niſi adſit impedimentum. Sed Pater æternus nullum habet impedimentum, quò minùs producat per generationem vniuocam, filium ſibi ſimilem ſecundùm ſpeciem. Ergo producit ſibi ſimilem in ſpecie.

3. Auguſtinus lib.1.de Trin.cap.1.ait, *in diuinis omnia ſunt idem, præter generationem, in generationem, & proceſſionem.* Ergo non differunt, niſi per actionem, & paſſionem. Sed hæc eſt differentia quaſi accidentalis, & nullo modo eſſentialis. Ergo non poteſt fundare diſtinctionem ſpecificam.

4. Omnis diſtinctio ſpecifica inducit diſtinctionem in eſſentia; aliter non haberetur per formam. Sed diuinæ Perſonæ nullam habent diſtinctionem in eſſentia. Ergo non diſtinguuntur ſpecie.

5. Quæ differunt ſpecie, participant de eodem communi genere proximo. Sed diuinæ Perſonæ de nullo genere participant. Ergo neque de proximo, ſub quo ſpecie diſtinguantur.

Probatur tertia, primò ex Damaſceno dicente lib.3.de Trin.c.6. *numero, & non natura dicuntur differre hypoſtaſes.*

2. Omnis realis diſtinctio reducitur,

vel ad genericam, vel ad ſpecificam, vel ad numericam. Sed diuinæ Perſonæ realiter diſtinguuntur, non genericè, neque ſpecificè. Ergo diſtinguuntur purè numeraliter.

3. Diuinæ Perſonæ non diſtinguuntur, niſi ſecundùm relationes, vt probatum eſt ar. 3. Sed relatio habet potiùs rationem accidentis, cùm ſit extra conceptum eſſentiæ. Ergo non poteſt fundare, niſi diſtinctionem purè numeralem.

Dices, relatio eſt conſtitutiua Perſonarum, vt dicemus diſp. 16. ar. 8. Ergo eſt eſſentialis.

Nego conſequentiam, quia relatiuum vt relatiuum, non conſtituitur per eſſentialia, ſed per quaſi accidentalia, cuiuſmodi ſunt relationes. Ergo per hoc quòd ſit conſtitutiua Perſonæ, non ſequitur quòd ſit eſſentialis, licet in Deo identificetur cum eſſentia.

Ad 1. Negò minorem, cuius falſitatem oſtendi in logicis lib. 2. diſp. 2. ar. 6. exemplo Angelorum ſolo numero differentium. Deinde dico, has formas eſſe quaſi accidentales eſſentiæ, ſicut ſunt in materia albedo, & nigredo. Ergo ſicut albedo, & nigredo licèt ſpecie differant, non faciunt quòd lignum album differat ſpecie à ligno nigro; ita neque relationes paternitatis, & filiationis, licèt differrent ſpecie inter ſe, facerent, quòd Pater differret ſpecie à filio.

Vnde patet reſponſio ad 2.

Ad

Ad 3. Nego minorem. Nam vel loquimur de diſſimilitudine eſſentiali, vel de relatiua, ſeu quaſi accidentali? Primam non habent diuinæ Perſonæ, vt probabimus diſp. 23. ar. 8. Ergo habent ſolam ſecundam, quæ non fundat, niſi diſtinctionem purè numeralem, vt dictum eſt.

Ad 4. Nego minorem. Ad cuius probationem Thomas de Argentina in 1. d. 13. quæſt. 1. ar. 3. ad 5. negat. illa verba eſſe Auguſtini. Deinde dico, quòd ſi verè ſint ipſius (de quo hìc non diſputo) debent exponi de productionibus ſecundùm abſtractionẽ cõſideratis, non autem de illis conſideratis, vt diuinis, de quibus eſt quæſtio. Ergo eius authoritas nihil probat pro arguente.

Dices, productio Verbi eſt per intellectum, & Amoris per voluntatem. Ergo etiam vt diuinæ differunt ſpecie, vt conceſſum eſt diſp. 12. ar. 3.

Reſp. cum diuo Tho. q. 10. de pot. ar. 2. ad 12. quòd licèt admittatur conſequentia, non tamen ſequitur diſtinctio ſpecifica Perſonarum. Et ratio ipſius eſt, quia diſtinctio proceſſionum multiplicat quidem ſpecies proprietatum perſonalium, non tamen naturæ, quæ in omnibus Perſonis eſt vna, & eadem. Ergo cum ad diſtinctionem ſpecificam requiratur diſtinctio ſecundum naturam, vt accidit in creatis, ideo diſtinctio ſpecifica proceſſionum in diuinis non trahit

diſtinctionem ſpecificam procedentium, ſed ſolarum proprietatum.

ARTICVLVS V.

An poſſit intelligi Perſona ſine relatione?

Videtur poſse, primò quia relatio intelligitur aduenire Perſonæ, ſicut homo aduenit animali. Sicut ergo poteſt intelligi animal ſine homine, qui non eſt de eius conceptu formali intrinſeco, ita poteſt intelligi Perſona ſine relatione, quæ non eſt de conceptu formali Perſonæ.

2. Paternitas non dat Patri quòd ſit aliquis, ſed quòd ſit Pater; & ideo dicit Auguſtinus, *Pater non eſt eo Pater, quo Deus*: aliòquin cùm Filius nòn ſit paternitas, non eſset aliquis. Ergo non intellecta paternitate, adhùc intelligeretur Pater, quia intelligeretur eſse aliquem.

Concluſio, *Quamuis Pater, & Filius, vt ſunt formaliter tales, poſſint intelligi ſine ſpiratione actiua, non tamen poſſunt intelligi, vt ſunt formaliter prima, & ſecunda Perſona; ſicut nec poſſunt intelligi vt ſunt formaliter Pater, & Filius, ſine paternitate, & filiatione.*

Probatur prima pars, quia ſicut Pater vt Pater, adæquatè conſtituitur, metaphyſicè loquendo, in eſse formaliter talem,

lem, per eſsentiam, & generationem actiuam, ita Filius adæquatè conſtituitur, in eſse formaliter Filium, per eſsentiam, & generationem paſſiuam. Ergo neuter includit in ſua ratione formali intrinſeca metaphyſica ſpirationem communem. Sed omnia poſsunt concipi, abſque ijs, quæ veniunt extra ſuam rationem formalem intrinſecam metaphyſicam. Ergo tam Pater, quàm Filius poſsunt intelligi, vt remanentes in ſua perſonali quidditate, etiam abſtracta per intellectum communi ſpiratione. Quod idem dico reſpectu Patris de innaſcibilitate, quam S. Tho. hìc q. 40. ar. 3. ait, non eſse proprietatem perſonalem ipſius, quamuis ſit proprietas eius perſonæ, quæ in plus ſe habet, quàm eſse Patrem, vt dictum eſt ar. 2.

Probatur ſecunda pars, Pater, & Filius, vt ſunt formaliter prima, & ſecunda perſona, formaliter conſtituuntur conſtitutione metaphyſica, per communem ſpirationem, vt videbimus. Sed eſt impoſſibile, quòd aliquid concipiatur abſque ſuis conſtitutiuis. Ergo eſt impoſſibile, quòd Pater, & Filius intelligantur ſub tali reduplicatione, non intellecta communi ſpiratione. Idem eſset dicendum de innaſcibilitate reſpectu Patris, ſi admitteretur vt eius ratio, quatenus eſt prima perſona, quia ſub hac reduplicatione primæ perſonæ, inuolueretur formaliter, & intrinſecè non eſse ab alio, adeòque prædicatum innaſcibili-

tatis, per cuius abſtractionem tolleretur à Patre eſſe primam perſonam, dicente Aug. 5. de Trin. *non hoc eſt dicere ingenitum, quod eſt dicere patrem*. Ergo ratio ingeniti, quatenus diceret rationem primæ perſonæ, ſe haberet in pluſ ad rationem patris. Sicut ergo Filius abſque natiuitate, non intelligeretur vt Filius, dicente Hylario 4. de Trin. *nihil habet Filius, niſi natum*, ita Pater non intelligeretur vt prima Perſona, ſine innaſcibilitate. Quia tamen diſp. 7. ar. 3. excluſimus innaſcibilitatem à numero notionum, ideo dicimus, adhuc illa præciſa, poſſe intelligi Patrem, non ſolùm vt Patrem, ſed etiam vt primam Perſonam, vt meliùs infra patebit.

Probatur tertia, quia nulla perſona poteſt intelligi ſine illa relatione, quæ eſt eius proprietas perſonalis, & conſtitutiua, cuiuſmodi ſunt paternitas, & filiatio; aliter poſſet intelligi ſine ſeipſa, quòd repugnat.

Ad 1. Nego antecedens, quod ſolùm habet locum in relatione accidentali, & ſubſiſtente in alio, non autem in ſubſtantiali, & per ſe ſubſiſtente, cuiuſmodi eſt diuina, quæ non aduenit Perſonæ, ſed illam referendo conſtituit, ſicut conſtituendo refert. Et ratio à priori eſt, quia cùm referentia diuinæ relationis ad intra ſit formaliter communicatio diuinæ eſſentiæ, per communem identitatem, non poteſt aptari diuinæ Perſonæ, niſi per modum dantis, vel accipientis talem eſſen-

ſentiam, ideſt per modum eius, *à quo alius*, vel *qui ab alio*. Ergo non poteſt referre, niſi conſtituendo dantem, in eſſe illum, *à quo alius*, & accipientem in eſſe illum, *qui ab alio*, in quo formaliter conſiſtit conſtitutio, & diſtinctio Perſonarum. Præterea etiam in ipſa relatione accidentali, referentia realis eſt conſtitutiua relati, in eſſe formaliter tale, nam albedo non præſupponit album, quod refert, in ratione ſimilitudinis, ad aliud album, ſed illud formaliter conſtituit, vt forma in concreto. Id ergo quod facit albedo in albo, facit proportionaliter relatio in diuina Perſona, demptis imperfectionibus inhærentiæ, perfectibilitatis, &c. Ad exemplum hominis dico, ideo hominem concipi aduenire animali, quia animal in ſua abſtractione eſt quid incompletum, quatenus dicit aliquid potentiale, & perfectibile, per differentias inferiores, quæ proinde dando illi eſſe completum, dicuntur illi aduenire, ponendo illud ſub tali ſpecie. Hoc autem non poteſt dici de diuina hypoſtaſi, quæ vt formaliter talis, eſt aliquid perfectiſſimum actuale, reſpectu cuius non poteſt intelligi aduenire nouam actualitatem, ſeu perfectionem. Ergo nulla eſt paritas.

Ad 2. Nego antecedens. Ad eius illationem nego ſequelam. Sicut enim per hoc quòd relatio det Patri eſſe Perſonam, quæ non eſt Filius, non ſequitur quòd Filius non ſit Perſona; ita per hoc

quòd det Patri eſſe aliquem, qui non eſt Filius, non ſequitur, Filium non eſſe aliquem. Ad authoritatem Auguſtini dico, illam nobis fauere. Cum enim dicit, *Pater non eo eſt Pater, quo Deus*, nihil aliud dicit, niſi quòd ſola deitas non conſtituit Patrem, ſicut cõſtituit Deum. Ergo potiùs hinc infertur, Patrem conſtitui etiam relatione, non autem quòd per relationem non ſit aliquis. Vnde patet, quòd neque Spiritus Sanctus poſſit intelligi, ſine ſpiratione paſſiua, quæ eſt eius proprietas perſonalis, propter eamdem rationem.

Supereſſet hìc agere, an relatio conſtituat Perſonam? Sed quia hæc quæſtio connectitur cum multis aliјs, ſpectantibus ad Perſonas, ideo illam agitabimus infra, in quæſtione de conſtitutione Perſonarum.

DIS-

DISPVTATIO XIV.

De diuinis Perſonis in cummuni.

QVia fusè in diſp. met. lib.2.diſp.3.ar.1. egimus de nominibus Perſonæ, ſuppoſiti, hypoſtaſis, & ſubſiſtentiæ, deque vera, germanaque eorum acceptione, ideo hic non eſt immorandum, an Deo conueniat nomen Perſonæ, & quid per illud ſignificetur? Rurſùs quia in 1. diſp. huius operis fusè probauimus exiſtentiam Trinitatis, & realem Perſonarum diſtinctionem, non eſt congruum hic repetere ea, quæ ſpectant ad earum pluralitatem. Solùm ergo agentes de Perſonis in communi, tria reuocabimus in examen, Primò, An detur in Deo ſuppoſitum, ſeu Perſona abſoluta, præter tria relatiua? 2. An detur in Deo ſubſiſtentia abſoluta, præter tres relatiùas? Et demum an diuinæ Perſonæ, conſtituantur per modos abſolutos, an verò per origines, vel per relationes? Quæ quia non poſſumus

vnica diſputatione comprehendere, diuidimus in tres. Quoad primam quærimus 1. An detur ſuppoſitum abſolutum? 2. An ſaltem detur ſemiſuppoſitum abſolutum? Et 3. An doctrina Caietani quoad hoc, deroget aliquid doctrinæ diui Thomæ?

ARTICVLVS PRIMVS.

An poſſit in Deo admitti ſuppoſitum abſolutum?

VIdetur poſſe, vt multi defacto admittunt, quos ſuppreſſo nomine, quaſi puderet illos referre, impugnant Henricus quodl.5.q.8.Ricard.in 1.d.26. ar.1.q.1. Aureol.q.vn.ar.4. Durand.q.1. & Argentinas q. vn.ar.4. Inter quos Eymericius in directorio Inquiſit. p.2.q.2. ar.7. refert Raymundum Lullium, qui ex chimicis officinis, fumidus derepente theologus factus, hæc ſcripſit; *in diuinis eſt dare commune ſuppoſitum, quod reſpondet ſecundum ſuam naturam, rationibus diuinis in producendo bonum*. Quibus accedit Franciſcus de Mayronis, quamuis cum formidine, putans cum alijs, hoc ſuppoſitum eſſe communicabile relatiuis. Eorum fundamenta ſunt.

1. Verè dicitur, ſolus Deus creat. Ergo ſola Perſona creat. Hoc autem non poteſt verificari de Perſona relatiua, quia quod vni ex relatiuis conuenit, quoad operationes ad extra, conuenit omni-

omnibus. Ergo verificatur de Perſona, ſeu ſuppoſito abſoluto. Probant primam conſequentiam, quia ab inferiori ad ſuperius tenet conſequentia, cum excluſione aliorum. Nam e.g. ex eo quòd vnus homo ſit albus, bene infertur, quòd vnum tantùm animal ſit album. Sed Perſona ſe habet in plus ad Deum. Ergo etiam valet illa conſequentia, quòd Perſona creat, cum excluſione relatiuarum. Quòd autem hoc ſuppoſitum non ſit contra fidem, probant quia ratione communicabilitatis, non facit numerum cum Perſonis relatiuis. Ergo non facit quaternitatem.

2. Natura excellentiſſima debet ſuppoſitari ſuppoſitatione excellentiſſima. Sed ſuppoſitatio abſoluta eſt nobilior relatiua. Ergo debet illa ſuppoſitari, quod non poteſt eſse, niſi à ſuppoſito abſoluto.

3. Suppoſita ſubſtantialia debent ſuppoſitari principijs ſubſtantialibus. Sed diuinæ perſonæ ſunt ſuppoſita ſubſtantialia. Ergo debent ſuppoſitari principijs ſubſtantialibus, cuiuſmodi non ſunt relatiua.

Concluſio, *Nullo modo poteſt in Deo admitti ſuppoſitum abſolutum*. Eius oppoſita, vel eſt hæretica, vel erronea.

Probatur 1. Vel hoc ſuppoſitum communicaretur relatiuis, vel non? Si primum, ergo non eſſet ſuppoſitum. Probo conſequentiam ex definitione ſuppoſiti, quam fusè proſecuti ſumus in diſp.

met,

met. lib. 2. diſp. 3. ar. 1. quòd videlicèt ſit, *ſubſtantia ſingularis completa incommunicabilis*, vt communiter definitur cum Boetio in lib. de duabus naturis. Et ideo Hyeron. Faſolus q. 30. de Trin. ar. 1. dub. 3. n. 55. in fine ait, *ſuppoſitum non ſolùm theologicè, ſed etiam philoſophicè peruertitur* (ſcilicèt admittendo in illo communicabilitatem) *quia nomine ſuppoſiti omnes theologi in materia de Trinitate, & philoſophi omnes intelligunt ſubſtantiam indiuiduam ſingularem, & incommunicabilem, vt conſtat ex Boetij definitione*. Et Suar. in met. diſp. 34. ſect. 5. n. 53. hæc habet, *hoc enim eſſe de ratione ſuppoſiti* (videlicèt incommunicabilitatem) *certiſſimum eſt, ex omnium theologorum ſententia, in principio tertij libri ſent. & 3. p. diui Tho: Quo ſenſu dixit etiam Boetius, perſonam eſſe rationalis naturæ indiuiduam ſubſtantiam, ideſt incommunicabilem, vt omnes exponunt*. Ergo ſi tollatur ab illo incommunicabilitas, tollitur ratio formalis ſuppoſiti. Et ideo communiter dicitur, quòd Petrus det quidem filio naturam humanam, non tamen Petreitatem, quia hæc dicit rationem ſuppoſitalem. Hæc autem incommunicabilitas debet explicari in ordine ad aliud ſuppoſitum, non autem in ordine ad alienam naturam, vt ſaluetur myſterium incarnationis, in quo ſuppoſitum Verbi ſe communicauit naturæ humanæ, per terminationem intrinſecam illius. Si verò

dicatur ſecundum. Ergo daretur quarta Perſona, quod eſt hæreticum. Probo conſequentiam, nomine Perſonæ nihil intelligimus aliud, quàm conſtitutum ex diuina eſſentia, & ſubſiſtentia alteri ſuppoſito incommunicabile, vt probauimus loco cit. Sed hoc eſſet huiuſmodi. Ergo eſſet quarta Perſona. Præterea nulla alia Perſona eſſet Deus. Nam (vt docet Riccardus 4. de Trin.) nomine ſuppoſiti abſoluti, *nihil intelligitur aliud, quàm vnus aliquis ſolus ab omnibus alijs ſingulari proprietate diſtinctus.* Ergo ſi daretur in Deo ſuppoſitum abſolutum, hoc eſſet neceſsariò diſtinctum ab alijs. Sed hoc diceret formaliter omnes perfectiones abſolutas in ſe ſubſiſtẽtes. Ergo omnes aliæ Perſonæ, quæ ſunt ſuppoſita relatiua, neceſsariò diſtinguerentur ab omnibus perfectionibus abſolutis, in quarum cumulo conſiſtit formaliter Deitas; adeòque diſtinguerentur ab illa, & per conſequens non eſsent realiter Deus, quod eſt blaſphemum.

2. Si daretur hoc ſuppoſitum commune, omnis Perſona eſſet duplex, nempe ſuppoſitum abſolutum, & relatiuum. Ergo Pater ſecundùm relatiuum eſſet ingenitus, & eſſet genitùs ſecundùm abſolutum. Probo conſequentiam, hoc ſuppoſitum abſolutum Patris eſſet omninò idem cum ſuppoſito abſoluto Filij. Sed prout eſſet in Filio eſſet genitum, quia fuiſſet cum ſuppoſito relatiuo generatum à Patre. Ergo etiam eſſet geni-

tum prout eſſet in Patre, quod eſt erroneum, cùm idem ſecundùm idem non poſſit eſſe genitum, & ingenitum.

Dices, eſſentia non eſt genita in Filio, & ingenita in Patre. Ergo neque hoc ſuppoſitum.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia eſſentia per ſe formaliter ſumpta eſt natura, & non ſuppoſitum. Ergo neque poteſt eſſe principium quod, neque terminus formalis proceſſionum, reſpectu quarum eſt ſolùm principium formale quo. Et ratio eſt, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, vt probauimus diſp. 6.ar.1. Ergo eſſentia ex ſe neque eſt generans, neque genita, vt probauimus diſp.26. Hoc autem ſuppoſitum abſolutum, ſicut poſſet eſſe in Patre principium quod generationis, ita poſſet eſſe in Filio terminus formalis illius; adeòque poſſet generare ſe ipſum, & generari à ſe ipſo, quod repugnat.

3. Confunderentur Perſonæ; ſiquidem omnes eſſent vna Perſona, cum tribus relationibus, ſicut Pater, & Filius ſinguli ſunt vna Perſona, cum duabus relationibus, vt dictum eſt diſp.11.ar.3. Sed hoc continet hæreſim manifeſtam, vt definitum eſt in ſexta Synodo act.47. Toletanis 1. & 11. Braccarenſi 1. Vuormatienſi, & alijs, in confeſſionibus fidei; & dicitur in Symbolo S.Athanaſij, *alia eſt enim Perſona Patris, alia Filij, & alia Spiritus Sancti*. Ergo non datur ſuppoſitum abſolutum. Neque poteſt dici,

dici, quòd Perſonæ diſtinguerentur per relationes; quia cùm ſit de ratione ſuppoſiti incommunicabilitas, vt ſupra diximus, & fusè probauimus in diſp. met. loco cit. admiſſo hoc ſuppoſito, alterum neceſſariò ſequeretur, vel quòd ceſſarent ſuppoſita relatiua, & ſic daretur vna tantùm Perſona abſoluta, vt garriunt Iudæi; vel hoc ab illis realiter diſtingueretur, & eſſet quarta Perſona; quod vtrumque eſt abſurdum.

Ad 1. Nego conſequentiam, ad cuius probationem nego paritatem. Siquidem intantum in creatis valet conſequentia ab inferiori ad ſuperius, vt in exemplo allato, inquantum in his non datur vna numero natura in omnibus; & ideo plurificatis ſuppoſitis, plurificatur natura, & cum illa omnia eſſentialia illius. At in diuinis ſuppoſitis eſt vna numero natura; & ideo aliquid poteſt dici de Deo, cum additione termini partitiui, vt vnũ, & trinum; vel cum additione termini excluſiui *ſolus*, quod non poteſt dici de ſingulis ſub eadem additione; neque enim poteſt dici, *ſolus Pater creat*, quamuis poſſit dici, *ſolus Deus creat*. Et ratio eſt, quia (vt obſeruat diuus Thomas 1.p.q.31.ar.4.) hæc dictio, *ſolus*, reſpicit propriè ſubiectum. Ergo ſi transferatur ad diuinas Perſonas, ſub nomine proprio vnam includit, & alias excludit. Hoc autem non accidit, cum dicitur, *ſolus Deus creat*, quia tũc ly *ſolus* appellat prò ſubiecto deitatem, à qua excludit

omne

omne aliud, quod non eſt deitas; & ſic non excluduntur Perſonæ, quæ ſunt realiter deitas. Sicut ergo ſi multa animalia eſſent in vno homine per idẽtitatem, non valeret illa conſequentia, *vnus ſolus homo currit, ergo vnum ſolùm animal currit*; ita non valet, *ſolus Deus creat, ergo vna ſola Perſona creat*, quia Perſonæ in Deo ſunt plures. Verùm de hoc fuſiùs infra diſp.32.ar.4.

Quòd autem hoc ſuppoſitum abſolutum ſit contra fidem, patet ex dictis, in probatione concluſionis. Neque obſtat quòd ſatis communiter admittatur ſubſiſtentia abſoluta; nam per illam in tali ſententia, natura diuina non fit ſuppoſitum, quia per illam non habet vltimum complementum formale, quod vel eſt relatio, vel habetur per relationem. Ad rationem autem ſuppoſiti requiruntur tria, quòd videlicèt ſit natura ſubſiſtens: quòd habeat vltimum complementum: & quòd ſit incommunicabile; alioquin non diſtingueretur à ſingulari, & indiuiduo, quod conuenit etiam accidentibus, & incompletis. Cùm ergo etiam poſita ſubſiſtentia abſoluta, natura diuina non haberet vltimum complementum ſibi poſſibile, ideo non eſſet per illam formaliter ſuppoſitata. Præterquamquòd etiam ex hoc capite reijcitur ſubſiſtentia abſoluta (vt patebit infra) nè videatur admitti ſuppoſitum abſolutum.

Ad 2. Nego minorem, quæ ſi eſſet vera, faceret imperfectam ſuppoſitationem re-

relatiuam; atque adeo reiectis relatiuis, faceret in Deo ſola tria ſuppoſita abſoluta, quod eſt contra fidem. Præterea quia ad multiplicationem ſuppoſitorum abſolutorum, multiplicatur natura, multiplicaretur natura diuina, quod eſt hæreticum. Demum hæc ſuppoſita abſoluta, vel haberent incommunicabilitatem, vel non? Si primum, ergo nullum ex his eſſet Deus, quia nullum haberet omnes perfectiones abſolutas, quæ diſpergerentur in alijs. Si ſecundum, ergo non diſtinguerentur ab inuicem, quia haberent omnia communia, quæ ſunt abſurda.

Ad 3. Nego minorem ſubſumptam. Quamuis enim relationes diuinæ, ſecundùm genus relationis vt ſic, præſcindant à ratione ſubſiſtentiæ, vel accidentis, tamen vt diuinæ, non ſunt accidentales, ſed ſubſtantiales; & ideo non ſunt diuerſi generis à diuina ſubſtantia, ſaltem ſecundùm rem.

ARTICVLVS II.

Soluuntur alia argumenta prò ſuppoſito abſoluto.

OB. 1. Omnis natura ſingularis in ſe indiuiſa, & diuiſa ab omni alia, habet rationem Perſonæ. Sed eſſentia diuina, vt eſt aliquid abſolutum, eſt huiuſmodi. Ergo eſt Perſona abſoluta.

℞. Nego maiorem, quia ad rationem perſonæ

ſonæ requiritur, 1. incommunicabilitas, quam non habet ex ſe natura diuina. 2. quòd ita ſit diuiſa ab omni alio, vt ſit etiam diſtincta ab omni alia perſona, quod neque conuenit naturæ diuinæ. Et demum, quòd ſit intellectualis, aliter eſſet ſuppoſitum, & non perſona, vt probauimus in diſp. met. lib. 2. diſp. 3. artic. 1. Hoc tamen non ſufficit ſine aliis. Et ideo natura humana in Chriſto non eſt perſona, quamuis ſit natura intellectualis, indiuiſa in ſe, & diuiſa ab omni alio. Ergo neque natura diuina eſt Perſona abſoluta.

Ob. 2. Subſiſtere per ſe conuenit tribus diuinis ſuppoſitis communiter. Ergo conuenit illis per aliquod commune, cui primò, & per ſe conueniat. Sed hoc non poteſt eſſe, niſi ſuppoſitum abſolutum, quod cæteris dat ſubſiſtere. Ergo debet admitti hoc ſuppoſitum.

Diſtinguo antecedens, ſubſiſtere per ſe conuenit tribus Perſonis communiter, hoc eſt per vnum, & idem principium formale omnibus commune, nego: communiter, hoc eſt quòd aliquod ſubſiſtendi principium conueniat omnibus, & ſingulis, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Et dico, omnibus conuenire per ſe ſubſiſtere, non tamen per eamdem ſubſiſtentiam; neque enim conueniunt in hoc, niſi ſecundùm genus ſubſiſtentiæ vt ſic, cùm differant ſecundùm rationes formales inferiores, & proprias ſubſiſtendi. Cùm ergo Patri conue-

ueniat ſubſiſtere primò, & per ſe, vt primo principio ingenito: & Filio ſubſiſtere per ſe à Patre: & Spiritui Sancto à Patre, & Filio, non eſt neceſſarium aliud ſuppoſitum.

Ob. 3. Actio non poteſt competere, niſi ſuppoſito, vt dictum eſt diſp. 6. ar. 1. Sed eſſentiæ diuinæ competit creare. Ergo per ſe eſt ſuppoſitum abſolutum.

Diſtinguo minorem, eſſentiæ diuinæ conuenit creare, circumſcriptis perſonis, nego: conuenit creare per perſonas, concedo, & ideo dicitur Ioan. 1. *omnia per ipſum facta ſunt*, videlicèt per Verbum diuinum. Dicitur ergo eſſentia creare, quatenus omnes diuinæ Perſonæ per illam creant, tamquàm per principiũ formale *quo*, & per virtutem communem, non quòd ipſa ſit principium *quod*, quidquid incontrarium dixerit Argentinas, quam ibi impugnauimus. Verùm de hoc ex profeſſo agemus diſp. 26. ar. 6.

Ob. 4. Intelligere eſt actus ſuppoſiti. Sed intelligere eſt aliquod abſolutum, præcedens omne relatiuum. Ergo eſt actus ſuppoſiti abſoluti.

Nego minorem, quia cùm per primum intelligere producatur Verbum à Patre, neceſſario debet eſſe actus naturaliter elicitus ab ipſo Patre. Ergo non præcedit omne relatiuum. Eſt ergo abſolutum, quatenus concipitur abſque vllo reſpectu; dicitur autem notionale, quatenus concipitur cum reſpectu paternitatis, cum quo dicitur dictio. Præterea eſt actus

ctus ſuppoſiti, ſed relatiui, immò omnium relatiuorum, quia per illud omnes Perſonæ intelligunt, non tamen omnes dicunt, quia ad dicendum requiritur paternitas, vt patebit, cum agemus de generatione Verbi.

5. Actus dicendi præſupponit Perſonam dicentem. Sed hæc non poteſt eſse relatiua, quia cùm relatiuum ſit ſimul cum ſuo correlatiuo, præſupponeret perſonam dictam, quod eſt impoſſibile; alioquin eſset dicta, antequam dicatur. Ergo debet eſse perſona abſoluta.

Nego minorem. Quamuis enim per noſtrum modum concipiendi, videatur dari aliqua prioritas in dicente, reſpectu dictionis, quia tamen dictio non producitur à dicente, vt probauimus diſp. 5. ar. 2. immò potiùs illum formaliter conſtituit, vt videbimus, ideò nulla datur prioritas ſecundum rem. Neque datur prioritas reſpectu perſonæ dictæ, propter rationem allatam in argumento, quia correlatiua ſunt ſimul cognitione, & natura per Philoſophum. Cùm ergo Pater & Filius conſtituantur per mutuas, & oppoſitas correlationes, ſunt ſimul re, & ratione, licèt ſecundùm originem vnus ſit prior alio. Deinde admiſsa maiori, ſaltem ſecundùm prioritatem rationis, negatur minor. Ex eo enim quòd dictio præſupponat dicentem, aliud non ſequitur, niſi quòd Pater præſupponatur Filio; alióquin ſi Perſona dicens præſuppoſita, eſset alia à Patre, Pater non eſset pater, quia

quia non eſſet dicens, neque filius ab eo procederet; adeòque non diſtinguerentur ab inuicem,ex ablatione oppoſitionis relatiuæ, quod eſt hæreticum. Ad eius probationem nego ſequelam. Quamuis enim ad eſſe fundamenti, cum ratione proxima fundandi, ſequatur relatio, non tamen hæc præſupponit terminum, ſed ponit, quia facit formaliter relatum. Multò minùs ſequitur ex cognitione ſimultanea correlatiuorum, quòd ex præſuppoſitione fundamenti, præſumatur terminus, ſed ſolùm quòd ſimul cognoſcatur, quod non tollit prioritatem illius reſpectu huius ſecundùm rem, loquendo de relatiuis vt ſic. Quare neque ex conceptu generico relatiuorum vt ſic, neque a ſpecifico relatiuorum diuinorùm, ſequitur quòd filius præſupponeretur dictus, antequàm dicatur, non admiſſo ſuppoſito abſoluto. De hoc autem agetur diſp.30.ar.1.

6. Auguſt.7. de Trin.ait *omnis res ad ſe ipſam exiſtit, quantò magis Deus?* Sed ad ſe ipſum non exiſtit, niſi ſuppoſitum, quod vnicè in ſe ſubſiſtit. Ergo Deus ad ſe exiſtit per ſuppoſitum abſolutum.

Nego conſequentiam. Et dico, Auguſtinum ibi loqui de Deo, vt comparato cum alijs extra ſe, accipiendo illum communiter, quatenùs dicitur de omnibus perſonis. Verè ergo dicitur, quòd ad ſe exiſtat, & ſubſiſtat in ſe, & non per aliud à ſe diſtinctum, non autem vt

ſup-

ſuppoſitum abſolutum, ſed vt ſubſiſtens per triplex relatiuum.

7. Diuina eſſentia eſt in ſe perfectiſſima. Ergo non debet illi negari ratio ſubſiſtendi in ſe.per quam ſit ſuppoſitum abſolutum.

Nego conſequentiam, ſiquidem ratione ſummæ perfectionis diuinæ eſſentiæ, debet illi quidem competere ratio ſubſiſtendi per ſe, non tamen abſtractis ſubſiſtentijs relatiuis. Immò retorqueo argumentum, ratione infinitæ perfectionis, conuenit illi ſubſiſtere in triplici ſuppoſito relatiuo, quod alijs non conuenit. Ergo non indiget ſuppoſito abſoluto.

8. Omnes philoſophi, per cognitionem naturalem, admiſerunt in Deo vnũ ſuppoſitum abſolutum. Cùm ergo fides non tollat, ſed perficiat cognitionem naturalem, debet illi ſuperaddere relatiua.

Nego conſequentiam, quia cùm myſterium Trinitatis ſit naturali lumine imperſcrutabile, vt dictum eſt diſp.2. nõ potuit philoſophis gẽtilibus vera de illo elucere cognitio. Et ideo de diuina natura eodem modo philoſophati ſunt, ſicut de alijs, & in hoc turpiter errauerunt. Non poteſt ergo fides eorum cognitionem perficere, quia non perficit falſum, ſed intellectum determinat, ad cognitionem illi oppoſitam, Deo congruentem, per quam ſi non perficitur cognitio, quam

quam habuerunt; perficitur intelle-ctus, tranſeundo ex cognitione falſa ad veram.

9. Quod conuenit alijs ſubſtantijs ſeparatis, ratione ſuæ perfectionis, non debet negari diuinæ ſubſtantiæ. Sed omnibus alijs conuenit, eſſe vnum ſuppoſitum abſolutum, eò quia conueniat natura non differens á ſuppoſito. Ergo etiam naturæ diuinæ.

Diſtinguo maiorem, quod conuenit alijs non debet negari Deo, demptis imperfectionibus, concedo: retentis imperfectionibus, nego maiorem. Et diſtinguo minorem, alijs conuenit eſſe vnum ſuppoſitum abſolutum, ex omnimoda perfectione, nego: ex perfectione admixta imperfectioni, concedo minorem, & nego conſequentiam. Quia ergo eſt imperfectio in ſubſtantijs ſeparatis creatis, quòd ſint ſingulæ vnum ſuppoſitum abſolutum, licèt hoc aliqualem etiam dicat in illis perfectionem (meliùs enim eſſet illis, ſi ipſa natura indiuiſa, & penitùs eadem numero haberet plura ſuppoſita, quibuſcum ipſa realiter eſſet penitus idem) ideo hæc imperfectio non debet refundi in Deum, in quo quod alijs conuenit ſecundum aliquod genus perfectionis, perfectiſſimè conuenit eius naturæ, per realem identitatem cum tribus ſuppoſitis relatiuis, in quibus ipſa æternaliter ſubſiſtit. Præterquamquòd cùm ſtatuerimus in diſp.met. lib.2. diſp.3.ar. 1.omnibus naturis creatis ſubſiſtentiam

aliquid ſuperaddere, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum, non eſt verum aſſumptū argumenti, quòd naturæ creatæ ſint per ſe ipſas formaliter ſuppoſita abſoluta. Et ideo falſa eſt minor, ex cuius falſitate, ſequitur falſitas conſequentiæ.

ARTICVLVS III.

An poſſit admitti ſemiſuppoſitum abſolutum Caietani? Explicatur eius opinio.

CAietanus in 1. p.q.3.ar.3.vt ſaluet doctrinam diui Thomæ, quòd Deus ſit ſua deitas, ſeu eſſentia, ita philoſophatur. Supponit primò, ad rationem ſuppoſiti quinque requiri. Primum eſt, quòd ſit ſubſtantia, vt diſtinguatur ab accidentibus, quæ non ſunt ſuppoſita. Secundum, quòd ſit completa, vt diſtinguatur à partibus, nam forma, & materia ſeorſim ſumptæ non ſunt ſuppoſita. Tertium, quòd ſit indiuidua, vt diſtinguatur à ſpecie, nam homo non eſt ſuppoſitum, ſed Petrus. Quartum quòd ſit ſubſiſtens, vt diſtinguatur ab humanitate Chriſti, quæ licèt indiuidua, & completa, non tamen eſt ſuppoſitum, ex defectu propriæ ſubſiſtentiæ. Quintum, vt ſit incommunicabilis, vt diſtinguatur à natura diuina, quæ licèt ſit ſubſtantia completa, indiuidua, per ſe ſubſiſtens (iuxta eius opinionem) non tamen eſt ſup-

ſuppoſitum , quia eſt communicabilis pluribus.

2. Supponit, hunc terminum *Deus* poſſe tripliciter ſumi. 1. vt ſignificet concretum quaſi ſpecificum naturæ diuinæ, ideſt habens deitatem. 2. vt ſignificet concretum indiuiduale naturæ diuinæ, ideſt hunc Deum, ſeu hunc habentem deitatem. 3. vt ſignificet ſuppoſitum naturæ diuinæ, ideſt hanc diuinam perſonam, ſeu hunc incommunicabiliter habentem deitatem. Hic ergo (ait) non accipi primo modo, quia ly *Deus* ſignificat principia indiuiduantia Deum, quatenùs indiuiduantia; neque tertio modo, quia nulla fit mentio de perſonalibus, ſed ſecundo modo.

3. Supponit, in Deo diſtingui, indiuiduum naturæ in concreto, ideſt hunc Deum, à ſuppoſito, quia hic Deus eſt ſimul terminus ſingularis, & communis. Quod quia non euenit in alijs, ideo ait, in illis non diſtingui indiuiduum naturæ in concreto à ſuppoſito.

4. Supponit, quod ly *Deus* taliter acceptus habet 4. conditiones proprias, duas ex ratione, videlicèt quòd non ſignificet ſuppoſitum naturæ diuinæ; & quòd æquiualeat ſuppoſito, quoad habitudinem identitatis, vel diſtinctionis à natura, ad quam comparatur, vt habens ad habitum, & vt *quod eſt*, ad *quo eſt*, & vt ſubſiſtens ad naturam, in qua, & qua ſubſiſtit: tertiam ex opinione philoſophorum, & totius rationis humanæ,

quòd ab omnibus accipitur vt ſuppoſitũ naturæ diuinæ, & nulla illi deſit conditio ſuppoſiti ex ratione, ſed ex pura reuelatione fidei, videlicèt incommunicabilitas: & quartam quoad nos, qui ſequimur ductum fidei, quòd videlicèt quamuis hic Deus non ſignificet ſuppoſitum diuinum ſimpliciter, tamen ſignificat ſuppoſitum diuinum, ſtando infra limites tractatus de abſolutis, quod videtur ſonare ſuppoſitum abſolutum. Et paulò inferiùs attribuens hãc doctrinam diuo Thomæ, ait, illum cautè loqui, abſtinendo à nomine ſuppoſiti, loco illius vſurpando Deum, & deitatem, & numquam ſuppoſitum diuinum, propter cõmunicabilitatem naturæ; non tamen abſtinere à nomine ſuppoſiti, & naturæ, in communi loquendo; & determinare quæſtionem ex communibus regulis identitatis, aut diſtinctionis ſuppoſiti à natura.

Ex quibus videtur deduci, in ſententia Caietani, fuiſſe à diuo Tho: aſſertum in re ſuppoſitum abſolutum, quamuis illud nomine ſuppoſiti non vocauerit, vt adhùc clariùs patet ex ſequentibus. Ait enim Caietanus, *idem namque eſt iudicium de diſtinctione huius Dei à deitate, & ſuppoſiti à natura, quoniam æquiualet illud indiuiduum ſuppoſito quoad hoc; diſtinguitur enim ſuppoſitum à natura, vt habens ab habito, & quod eſt à quo eſt, & ſubſiſtens ab eo, quo ſubſiſtit.* Cùm ergo ſuppoſuerit in 4. hæc om-

omnia conuenire indiuiduo naturæ diuinæ, videtur neceſſariò ſequi, illam eſſe ſuppoſitum, non quidem relatiuum, nam hoc expreſsè excluditur inferiùs, vbi ſubdit, *nec congruebat ordini doctrinæ, vt tractatui de abſolutis immiſcerentur reſpectiua reuelata, & tàm remota ab his principijs alibi decidendis*: Ergo abſolutum.

Deinde probat diſtinctionem neceſſariam inter Deum, & naturam, vt ille ſit ſuppoſitum abſolutum, tamquam hic habens naturam, quia in ratione modi ſignificandi, hæc propoſitio eſt hæretica, *deitas generat deitatem*, & hæc eſt catholica, *Deus generat Deum*, ex 1. decretalium. Ergo inter naturam expreſſa per ly *deitas*, & ſuppoſitum abſolutum expreſſum per ly *Deus*, acceptus iuxta ſenſum explicatum, datur aliqua diſtinctio, quantum ſufficit ad hoc, vt hic ſe habeat ad illam, tamquam habens ad habitum. Cùm ergo hic apertè profiteatur, quæſtionem procedere ſecundùm rem, & non ſecundùm modum ſignificandi tantum, ideo infert, hanc diſtinctionem explicari, per incluſionem intrinſecam naturæ, in habente naturam. Et cùm dicat, idem eſſe iudicium de identitate ſuppoſiti, & naturæ in ſubſtantijs ſeparatis, & Dei cum deitate, poteſt inferri, quòd ſicut in his ſuppoſitum differt à natura quaſi extrinſeca, inquantum ſuppoſitum in ſua definitione, & conceptu formali intrinſeco includat

ſubſiſtere, quaſi vt ſuum proprium actum, natura autem illud non includit; ita in natura diuina non includitur ſubſiſtere, niſi inquantum hæc includitur in ſuppoſito. Cum hoc tamen diſcrimine, quòd hæc incluſio, in ſuppoſitis materialibus, importat diſtinctionem realem, inter includens, & incluſum, ratione materiæ indiuiduantis; in ſeparatis autem ſolam diſtinctionem rationis; & ideo ſubſtantiæ ſeparatæ in ſenſu reali dicuntur indiuiduari ſeipſis, neque in eis differt realiter ſuppoſitum à natura.

Et nè videretur incidenter locutus, hanc ſuam opinionem confirmat ſuper q.39.1.p.ar.3. vbi ait, *in diuinis conſiderãda ſunt tria, ſcilicèt eſſentia, hic Deus, & ſuppoſita diuina, ſcilicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, vbi diſtinguit hunc Deum ab eſſentia, & Perſonis. Et clariſſimè ſe declarat in 3.p.q.2.ar.2. in fine dicens, *perſona ſumitur dupliciter, primò ſecundùm completam rationem perſonæ, ſeu hypoſtaſis, & ſic ſignificat ſingulare habens naturam ſubſtantialem incommunicabiliter. Alio modo ſumitur ſecundùm rationem quidem perſonæ, ſed imperfectam, & ſic ſignificat ſingulare habens ſubſtantialem naturam, ita quòd ſola incommunicabilitas illi deeſt, ad perfectam rationem perſonæ. Et ſic nomen perſonæ, ſeu hypoſtaſis, aut ſuppoſiti poteſt ſumi dupliciter, primò ſimpliciter; & ſic appellatione perſonæ in diuinis, non venit hic Deus, quia non habet com-*

completam rationem perſonæ, ſed ſolùm Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus; alio modo vt perſona diſtinguitur contra naturam, ita quòd ex vno extremo ponatur natura vt ſic, & ex alio extremo ponatur perſona, ſicut cum diſtinguimus naturam contra habentem naturam; & ſic appellatione perſonæ venit non ſolùm perſona completè, ſed etiam perſona incompletè; & venit non ſolùm Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus, ſed etiam hic Deus. Ex quibus facilè deducitur, Caietanum admiſiſſe in Deo tres perſonas completas, nempe relatiuas, & vnam incompletam, quam alibi vocat ſemi-ſuppoſitum abſolutum, videlicèt hunc Deum, & alibi ſuppoſitum incompletum. Atque adeo admittit in Deo non ſolùm eſſentiam in abſtracto, & ſuppoſita relatiua, ſed etiam ſubſiſtentiam abſolutam ipſius eſſentiæ, & præterea hunc Deum, vt aliquid diſtinctum ab eſſentia, & ſuppoſitis relatiuis, de quo verificentur omnes conditiones ſuppoſiti abſoluti, præter incommunicabilitatem, quam tamē, (ait) illi ſolùm negari ex principijs fidei, non autem ex ratione naturali.

ARTICVLVS IV.

Reſoluitur ſtatus quæſtionis, contra Caietanum.

CONcluſio, *Hac doctrina prout iacet, nullo modo poteſt ſuſtineri.*

Probatur primò, quia eſt de fide, dari in Deo ſolùm tres Perſonas relatiuas, vt ſupra probauimus. Ergo admittere quartam perſonam, in linea abſolutorum, eſt impugnare directè catholicam veritatem. Sed hæc doctrina admittit in Deo quartam perſonam, in linea abſolutorum. Ergo directè opponitur catholicæ veritati. Minor ſubſumpta (in qua ſola eſt difficultas) probatur, nomine perſonæ, ſeu ſuppoſiti intelligitur ſubſtantia completa per ſe exiſtens, & in ſe ſubſiſtens, vt fusè probauimus ſupra, & in diſp. met. lib. 2. diſp. 3. ar. 1. Sed hic Deus, in ſententia Caietani, quatenus diſtinctus à relatiuis, eſſet aliquid per ſe exiſtens, & in ſe ſubſiſtens, per ſubſiſtentiam abſolutam. Ergo eſſet per ſe perſona diſtincta à relatiuis. Et ratio à priori eſt, quia ratio per ſe ſubſiſtendi ſubſtantialiter, addita intrinſecè naturæ ſingulari, illam formaliter ſuppoſitat, vt omnes fatentur. Sed natura diuina eſt ſubſtantia ſingularis. Ergo ſi illi addatur ratio per ſe ſubſiſtendi, formaliter ſuppoſitatur, & fit perſona. Atque adeo ſicut fæcundatur in triplicem perſonam relatiuam, ita admiſſa ſimili ratione formali, in linea abſolutorum, fæcundaretur in quartam perſonam in tali linea, quod adſtrueret quaternitatem, abſque vlla neceſſitate, cùm omnia ſaluentur per ſolà ſuppoſita relatiua.

Probatur ſecundò, omnes theologi cum philoſophis conueniunt in hoc, quòd

quòd ſuppoſitum, ſeu perſona, ſit ſubſtantia completa incommunicabilis. Ergo admittere ſuppoſitum incompletum, vel ratione incompletionis naturæ, vel defectu incommunicabilitatis, eſt admittere ſuppoſitum non ſuppoſitum, ſicut admitteretur homo non homo, ex incompletione humanitatis, vel ex defectu rationalitatis, quod repugnat in ipſis terminis, vt docet Suar. diſp. 34. met. ſect. 5. n. 59. *quòd ſi quis dicat, ſaltem poſſe vocari ſuppoſitum incompletum, ſicut nonnulli appellant animam ſemiperſonã; reſpondendum eſt, id ſolùm pendere ex vſu vocis, ideòque eſſe illam locutionem impropriiſſimam, & in rigore falſam; nam cum dicitur ſuppoſitum incompletũ, inuoluitur repugnantia in ipſis terminis, ſecundum propriam ſignificationem eorum; nam ſuppoſitum non ſignificat, niſi ſubſtantiam completam*, ſubintellige, *incommunicabilem*.

Confirmatur, tota ratio, cur anima ſeparata, licèt à pluribus dicatur ſubſiſtens, à nullo tamen dicatur perſona, ſeu ſuppoſitum, eſt, quia (vt docet diuus Thomas 1. p. q. 29. ar. 1. ad 5.) eſt per ſe ſubſtantia completa communicabilis. Ergo eſt de ratione ſuppoſiti, ſeu perſonæ, quòd ſit ſubſtantia completa incommunicabilis. Atque adeo ſicut anima ſeparata, malè diceretur ſemiperſona, ita malè dicitur *hic Deus*, ſemiperſona, ex defectu completionis ſubſtantialis, vel incommunicabilitatis, quæ ſunt prædi-

cata eſſentialia ſuppoſiti, vt formaliter talis.

Dices, diuus Thom. 1. p. q. 75. ar. 2. ad 1. dicit, *hoc aliquid poteſt accipi dupliciter, vno modo prò quolibet ſubſiſtente, alio modo prò ſubſiſtente completo, in natura alicuius ſpeciei. Primò modo excludit inhærentiam accidentis, & formæ materialis: ſecundo modo excludit perfectionem partis. Vnde manus poſſet dicit hoc aliquid primo modo, ſed non ſecundo, & idem eſt de anima.* Sed per ly *hoc aliquid* venit ſuppoſitum. Ergo poteſt dari ſuppoſitum incompletum.

Nego minorem. Nam ibi S. Doctor loquitur de ſubſiſtente, & non de ſuppoſito, quod ſubſiſtens lata quadam acceptione vocat hoc aliquid, ideſt hoc ſingulare ſubſiſtens. Et ideo applicando doctrinam ad animam ſeparatam ſubdit, *ſic igitur cum anima humana ſit pars ſpeciei humanæ, poteſt dici hoc aliquid primo modo, quaſi ſubſiſtens, ſed non ſecundo modo.* Ergo non admittit ſuppoſitum incompletum, vt clariùs infrà patebit.

Iure igitur hæc opinio, communi theologorum calculo, e ſcholis eiicitur, de qua Durandus in 1. d. 26. q. 1. n. 4. reticendo nomen authoris, qui ſuo tempore illam propugnabat, ait, *ſi tamen dici debeat opinio, & non error.* Et Suar. diſp. 34. met. ſect. 1. n. 2. ait, *vnde meritò inter theologos reprehenditur Caietanus, quòd aliquo modo admiſerit vnum ſuppoſitum com-*

commune tribus perſonis, quamquàm non ſimpliciter, ſed cum addito dixerit, ſcilicèt ſuppoſitum incompletum, vel perſonam incompletam. Hæc enim locutio & theologorum aures offendit, quia non ſolùm inuſitata eſt apud Patres, verùm etiam ab eorum modo loquendi aliena, & in rigore eſt falſa, quia ratio ſuppoſiti repugnat cum communicabilitate diuinæ ſubſtantiæ. Et Valentia tom.1.diſp.2.q.13.p.3. *reijcitur autem à multis, & putatur temeraria hæc opinio, propterea quòd videtur ponere quaſi quartū ſuppoſitum in diuinis.* Et paulò inferius, *quare illa opinio Caietani ſic intellecta non immeritò viſa eſt multis ponere quartam perſonam abſolutam in diuinis.* Et Faſolus tom.3.q.30.ar.1.n.55. *Caietanus non veretur concedere in diuinis communem, & abſolutam quamdam rationem perſonæ incompletæ, & incompleti ſuppoſiti, quæ ſit quaſi ſemiperſona, & ſemiſuppoſitum. Sed meritò ab omnibus reijcitur, nec vmquam antea in aliquo Concilio, aut apud aliquem Patrem, vel ſcholaſticum huiuſmodi termini leguntur. Sunt igitur omninò vitandi, tamquàm noui &c.* Videantur quæ contra illum diximus in diſp.met.lib.2.diſp.3.ar.1. quibus omnia eius conuulſimus fundamenta.

Ad fundamentum Caietani relatum ar.3. Dico, eſſe falſam illam propoſitionem, *Deitas generat Deitatem*, quia Deus in abſtracto ſupponit formaliter

prò eſſentia, præciſis perſonis. Ergo ſi eſſet vera illa propoſitio, daretur duplex eſſentia, altera generans, & altera genita, quæ ratione originis, realiter diſtinguerentur, quod eſt hæreticum. Contra verò admittitur vt vera illa alia, *Deus generat Deum*, quia ly *Deus* in concreto, ſupponit prò eſſentia, vt ſuppoſitata formaliter à perſonis. Quia ergo verè vna perſona generat aliam, ideò eſt vera illa propoſitio, tàm ex parte ſubiecti, quàm ex parte prædicati, vt infrà fuſiùs probabitur. Hinc tamen nihil ſequitur prò Caietano, nam ly *Deus* dicit quidem naturam ſuppoſitatam in concreto, non tamen per ſubſiſtentiam abſolutam, vt ipſe ſupponit, ſed per triplicem relatiuam. Immò licèt admitteretur ſupponere prò ſubſiſtẽtia abſoluta in cõcreto, non tamen ſupponeret prò ſuppoſito abſoluto. Iure igitur in ipſum inuehitur Valentia loco nuper cit. *minimè audiendus eſt Caietanus, qui 1.p.q 39.ar.4. concedens Aureolo, quòd in illa propoſitione, Deus non generat, ille terminus, Deus, ſupponat determinatè prò eſſentia, dicit tamen, propoſitionem eſſe falſam. Ratio Caietani eſt, quia (inquit) ſupponit tunc ille terminus prò eſſentia, non quomodocumque, ſed vt ſubſiſtens eſt abſolutè, & vt eatenus eſt in concreto hic Deus. Putat autem ipſe Caietanus, eſſentiam in concreto, ſiue vt ſubſiſtens eſt, generare, quamuis eſſentia vt natura eſt, & vt ſignificatur in abſtracto, non generet.*

ret. In hoc (inquam) minimè audiendus eſt Caietanus; nam etiamſi eius opinio de ſubſiſtentia abſoluta vera eſſet, tamen omninò eſt contra fidem, quod aliquid abſolutum generet in diuinis, ſicut eſt contra fidem, quòd aliquod abſolutum diſtinguatur realiter à perſona genita. Nam inter generans, & genitum vt ſic, debet eſſe diſtinctio realis, vt patet ex c. damnamus; vbi quoniã talis diſtinctio non eſt inter eſſentiam, & perſonã, damnatur illa propoſitio, eſſentia generat.

ARTICVLVS V.

An ſit neceſſarium admittere doctrinam Caietani, ad ſaluandam doctrinam diui Thomæ?

VIdetur eſſe, vt acriter propugnat Caietanus, Primò quia diuus Thomas 1.p.q.3.ar.3.docet, Deum eſſe idem realiter cum ſua eſſentia, ſeu natura. Hoc autem probat ex eo, quòd non ſit compoſitus ex materia, & forma, nam ſola hæc compoſitio facit differre naturam à ſuppoſito, cùm in ſubſtantiis abſtractis non differant. Quòd ſic probat, in taliter compoſitis natura non comprehendit partes integrales, & accidentia, cuiuſmodi ſunt, hæ carnes, hæc organizatio, albedo, &c. Sed ſolùm ea, quæ veniunt in eius definitione eſſentiali. Ex alia parte in ſuppoſito hæc omnia includuntur, quia ſuppoſitum debet dicere vl-

vltimatam perfectionem, in eſſe hoc indiuiduum. Ergo debet includere totum illud, quod illud conſtituit, cuiuſmodi eſt hæc accidentium complexio. Vnde infert, quòd ſuppoſitum ſe habet in plus ad naturam, à qua proinde diſtinguitur, vt totum à parte. Quia ergo homo dicit ſuppoſitum, non eſt ſua humanitas, quæ dicit ſolam eius naturam. At in ſubſtantijs abſtractis, quia non datur materia, formæ per ſe ipſas indiuiduantur; adeòque cùm per ſe ipſas ſint ſuppoſita, in eis non diſtinguitur ſuppoſitum à natura. Ergo cùm Deus ſit huiuſmodi, eius natura eſt ſuppoſitum; non relatiuum, vt patet. Ergo abſolutum.

2. Idem 1.p.q. 39. ar. 3. Docet, hunc terminum, *Deus*, poſſe modò ſupponere prò eſſentia: & modò prò perſona; quod probat ex eo, quia in vſurpatione nominum, non ſolùm eſt attendenda res ſignificata, ſed etiam modus ſignificandi. Cùm ergo hic terminus *Deus* ſignificet penès theologos diuinam eſſentiam, vt in habente ipſam per modum identitatis, ideo cùm eſſentia, & illam habens ſint vnum, & idem in re, poteſt modò accipi prò ſola eſſentia, & modò prò perſonis, vt patebit infra. Vnde infert Caietanus, quòd Deus vt habens naturam, ſit ſuppoſitum abſolutum, vt condiſtinctum à relatiuis.

3. Idem in 3.p.q.2.ar.2.quærens, an vnio Verbi facta ſit in perſona, concludit affirmatiuè, ex eò quòd in Deo ſuppo-

poſitum non differat à natura, niſi ratione. Vnde infert, totum illud, quod ineſt diuino ſuppoſito, vniri ei in perſona, ſiue pertineat ad eius naturam, ſiue non, cuiuſmodi eſt natura humana; aliter nullo modo ei vniretur. Caietanus hìc conſiderans vim huius illationis, ait, illam non fore legitimam, niſi nomine perſonæ, non ſolùm comprehendatur Verbũ, vt eſt terminus incommunicabilis, ſed etiam hic Deus, vt eſt terminus communicabilis, & ſupponit prò perſona incompleta abſoluta. Et ideo concludit, *& quia in hoc articulo ſermo eſt de perſona, vt diſtinguitur contra naturam vt ſic, vt patet in proceſſu articuli, ex communibus Deo, & reliquis ſubſtantijs, ideo perſona hic ſumitur, vt comprehendit etiam hunc Deum; & propterea optimè dictum eſt, quòd ſi non vniretur in perſona, nullo modo vniretur. Patet autem, hanc eſſe intẽtionem authoris ex eo, quòd in corpore articuli prò eodem habetur indiuiduum ſubſiſtens in natura, & ſuppoſitum; conſtat autem, hunc Deum eſſe indiuiduum ſubſiſtens in natura diuina, & non habere completam rationem ſuppoſiti. Et rurſus dicitur in corpore articuli, loquendo de Deo, quòd natura diuina dicitur ſuppoſitum, ſecundùm quòd eſt ſubſiſtens.* Vnde quaſi victoriam conſecutus exclamat, *quid clarius?* Et deinde epilogans diſcurſum, ſubdit, *conſtat enim, hunc Deum ſignificare naturam diuinam, ſecundùm quod eſt ſubſiſtens;*

eſt

eſt enim hic Deus ſubſiſtens in natura diuina, vt patet ex modo ſignificandi. Communiter igitur ſuppoſiti, ſeu perſonæ ratio hic ſumitur, vt ſignificat hoc ſubſiſtens in natura. Et ideo hæc reſponſio amplectenda eſt, vtpote littera conſona, & omnem ambiguitatem tollens.

Concluſio, *Nuſquam diuus Thomas admiſit ſuppoſitum, ſiue ſemiſuppoſitum abſolutum in diuinis. Quare abſque vllo fundamento impingit illi hanc notam Caietanus.*

Probatur prima pars, quia diuus Thomas admiſit quidem in Deo ſubſiſtētiam abſolutam, quatenùs dicit perſeitatem, ſeu aſeitatem, & independentiam ab omni alio, non autem quatenus dicit incommunicabilitatem, quæ eſt proprietas inſeparabilis perſonæ. Ergo non admiſit perſonam abſolutam. Neque obſtat, quòd in 3. p. q. 3. ar. 3. ad 1. dicat, *quia in diuinis idem eſt quo eſt, & quod eſt, quidquid eorum quæ attribuuntur Deo in abſtracto, ſi ſecundùm ſe conſideretur, alijs circumſcriptis, erit aliquid ſubſiſtens, & per conſequens perſona, cùm ſit in natura intellectuali.* Nam in primis non loquitur de eo, quod eſſet, in caſu talis præciſionis à relatiuis, ſed de eo, quod à nobis conciperetur. Et ideo ſubdit, *ſicut igitur nunc poſitis proprietatibus perſonalibus in Deo, dicimus tres perſonas, ita excluſis per intellectum proprietatibus perſonalibus, remanebit in conſideratione noſtra natura diuina, vt ſubſiſtens, & vt*

per-

perſona, hoc eſt quòd à nobis conciperetur vt perſona, ſicut de facto concipitur à Iudæis, & ab alijs non admittentibus Trinitatem, vt conſiderat in reſpoſione ſecundi. Deinde loquitur ab hypotheſi impoſſibili (vt ipſemet aduertit Caietanus in tali loco) hoc eſt de eo quòd ſequeretur ſecundùm rem, ſi à nobis admittatur hypotheſis, quòd natura diuina non communicetur relatiuis. Nam ex hoc ipſo eſſet aliquid per ſe ſubſiſtens incommunicabile, in natura intellectuali; adeòque eſſet perſona abſoluta. Quia tamen hypotheſis impoſſibilis infert vtrumque contradictorium, ideo ex tali illatione potiùs probatur oppoſitum, quòd videlicèt de facto diuina eſſentia non ſit ex ſe perſona abſoluta; aliter hypotheſis eſſet quidem impoſſibilis ex ea parte, quòd eſſentia abſtrahatur a perſonis relatiuis ſecundùm rem, non tamen ex alia, quòd remaneret ex ſe perſona abſoluta; & ſic hypotheſis non eſſet adæquatè impoſſibilis; adeoq; ex illa non inferretur quod eſſet, ſed quod eſt de facto, ex præciſione formali, ſiue obiectiua eſſentiæ a Perſonis relatiuis, quod eſt contra mentem diui Thomæ, & expoſitionem ipſius Caietani.

Probatur ſecunda pars, quia fundamenta Caietani facilè conuelluntur. Ad 1. ergo dico, quod ly *Deus* accipitur à diuo Thoma, non per modum habentis deitatem, tanquam formam in ſuppoſito, ſed per modum habentis deitatem per iden-

identitatem cum ſuppoſitis relatiuis, vt fusè probabimus infrà. Ergo nōn accipitur adæquatè in linea abſolutorum, vt terminus concretus indiuidualis naturæ diuinæ, circumſcriptis relatiuis. Quamuis ergo concedatur, quòd vt talis, ly *Deus* dicat ſuppoſitum, non tamen dicit ſuppoſitum abſolutum, ſed tria relatiua, quatenus accipitur vt ſupponens pro natura, vt realiter cum illis identificata.

Neque obſtat, quòd dicatur *hic Deus*; nam ly *hic* denotat naturam ſingularem, ſuppoſitatā per tres ſubſitentias relatiuas, quæ omnes ſunt vnus Deus,& hic Deus, quatenus ly *hic* ſignificat indiuiſionem talis naturæ in ſe, & diuiſionem ab omni alia natura, non autem à ſuppoſitis relatiuis. Dicitur ergo quòd hic Deus ſit ſua eſſentia, quia tria ſuppoſita diuina ſunt ſua eſſentia, per cuius vnitatem ſunt vnus Deus. Atque adeo quia hæc ſuppoſita nihil dicunt extra eſſentiam,& hæc eſſentia nihil dicit extra ſuppoſita, ideo Deus, & Deitas dicuntur ad conuertentiam.

Dices, ſuppoſita relatiua non veniunt in definitione formali, ſeu conceptu eſſentiæ. Ergo ſunt in plus ad illam. Diſtinguo conſequens, ſunt in plus ratione, concedo: realiter, nego conſequentiam. Sicut enim quia ſuppoſitum materiale eſt in plus ad eſſentiam, ſecundùm realitatem, realiter ab illa differt; ita quia ſuppoſita relatiua diuina ſunt ſolùm quo ad rationem in plus ad eſſentiam, ſola

ra-

ratione diſtinguuntur ab illa, vt alibi ſæpè probauimus.

Ad 2. Nego poſtremam illationem, quia per ly *habens naturam diuinam*, non intelligitur aliquod abſolutum, ſed intelliguntur ſuppoſita relatiua; vt infra patebit.

Ad 3. Dico, illationem diui Thomæ eſſe veriſſimam, etiam nullo admiſſo ſemiſuppoſito abſoluto. Et ratio adducitur ab ipſo Caietano: ſiquidem in illo facta eſt vnio, cui aliquid additum eſt per talem vnionem. At diuinæ naturæ ſecundùm ſuam formalem rationem, nihil additum eſt; neque enim illa fuit, vel aucta, vel immutata. Ergo in illa non eſt facta vnio. Contra verò aliquid additum eſt Perſonæ Verbi, quæ cùm habeat de ſua ratione formali ſubſiſtere in natura, vbi priùs ſubſiſtebat in ſola natura diuina, deinde per talem vnionem habuit, vt ſubſiſtat etiam in natura humana. Ergo hæc vnio modificauit Perſonam, & non naturam. Vnde ſequitur euidenter, quòd cùm ex diuerſo modo ſignificandi, appareat, hanc vnionem ſpectare ad Perſonam Verbi, & non ad eius naturam, ſi non fuiſſet facta in Perſona Verbi, neque fuiſſet facta in eius natura; adeòque nullo modo ad Perſonam Verbi ſpectaret; quod tolleret myſterium incarnationis. Ad primam rationem Caietani, nego ſuppoſitum, videlicèt nomine perſonæ comprehendi hic etiam hunc Deum, in ſenſu Caietani, primò quia cùm hic Deus di-

dicat ſuppoſitum communicabile, & commune, vnio facta fuiſſet in omni diuina perſona; & ſic etiam Pater, & Spiritus Sanctus fuiſſent incarnati, quod eſt erroneum. Deinde quia cùm diuus Thomas in 1. p. quæſt. 30. ar. 2. ſtatuerit, in diuinis eſſe tantùm tres perſonas, non potuit loqui de perſona, vt diſtinguitur contra naturam, niſi determinando dictum ad vnam ex tribus. Ergo non potuit inuoluere ly *hic Deus*, tamquàm perſonam ab illis diſtinctam; aliter admiſiſſet quartam perſonam. Ergo vel inuoluit hunc Deum, vt naturam ſubſiſtentem in Verbo, tamquàm illius conſtitutiuum quaſi materiale (vt videbimus infra,) vel illum nullo modo inuoluit in terminatione vnionis hypoſtaticæ, niſi indirectè, & quaſi in obliquo, quod non facit prò Caietano. Ad 2. dico, verum eſſe, naturam, vt indiuiduum per ſe ſubſiſtens, eſſe ſuppoſitum ſecundùm rem, ſed cum addito incommunicabilitatis, vt alibi probaui. Quia ergo hoc non verificatur de natura, vt ſubſiſtente per ſubſiſtentiam abſolutam, debet verificari de illa, vt ſubſiſtente per ſubſiſtentias relatiuas, ita vt ad numerum incommunicabilium, multiplicetur in ſuppoſita, à quibus ſola ratione diſtinguatur.

Neque valet replica Caietani, quòd ex carentia incommunicabilitatis, hic Deus non ſit ſuppoſitum completum, ſed incompletum; aliter etiam equus propter participationem prædicati communis

cum

cum homine, ſicut eſt animal, poſſet iure dici homo incompletus, ſeu ſemihomo, quod eſt ridiculum. Quia ergo propria, & ſpecialis ratio ſuppoſiti, in eſſe, formaliter tale, eſt prædicatũ incommunicabile, vt fusè probaui in diſp. met. ideo illo non poſito, nullo modo poteſt retineri ratio ſuppoſiti. Videantur quæ diximus in diſp. met. lib. 2. diſp. 3. ar. 1. nam funditùs euertunt hanc doctrinam Caietani, quam ex profeſſo impugnauimus in tali loco.



DI-

DISPVTATIO XV.

De diuinis Perſonis comparatis cum Subſiſtentia.

QVamuis de hac materia multa dixerimus in diſput. met. loco citat. tamen quia ex illa dependet exactio agitatæ difficultatis, & multarum aliarum inde pullulantium, placet hic illam ex profeſſo ad theologicam trutinam reuocare. Quæremus ergo 1. An diuinæ, Perſonæ habeant ſingulæ propriam ſubſiſtentiam relatiuam? Et deinde an habeant etiam ſubſiſtentiam abſolutam omnibus communem? Omiſſa comparatione cum exiſtentia, de qua egimus diſp. 11. per totam.

ARTICVLVS PRIMVS.

An ſingulæ diuinæ Perſonæ habeant propriam ſubſiſtentiam relatiuam?

VIdentur non habere, vt propugnant plures infra referendi ar.2. Primò quia omnes ſubſiſtunt per vnam communem ſubſiſtentiam abſolutam. Ergo non poſſunt ſingulæ ſubſiſtere per proprias ſubſiſtentias relatiuas. Probatur conſequentia, primò quia relatiuæ ſunt ſuperfluæ; cùm enim ſubſiſtentia ſit vltimus terminus, & complementum naturæ in eſſe ſubſtantiali, non poteſt vltimò terminare,& complere,quod eſt vltimò completum, & terminatum; atque adeò cùm natura diuina ſit vltimò completa, & terminata per ſubſiſtentiam abſolutam, ſuperfluæ redduntur relatiuæ, quibus nullus poſſet correſpondere effectus formalis à ſe præſtandus. Deinde quia vel terminarent diuinam naturam, vt per ſe ſubſiſtentem, vel vt potentem ſubſiſtere, ſiue vt terminabilem? Non primum, quia vna ſubſiſtentia ſubſiſteret per aliam, quod repugnat. Neque ſecundum, quia natura diuina, vt præintellecta ad Perſonas, non eſſet aliquod per ſe ſubſiſtens; & ſic careret maxima perfectione, ſubſiſtendi per ſe, quod eſt abſurdum. Ergo cùm hæc perfectio neceſſariò ſit ponenda in diuina na-

natura, etiam vt præintellecta ad perſonas, ſunt illi impoſſibiles ſubſiſtentiæ relatiuæ.

2. Melius eſt ſubſiſtere in ſe, & per ſe, quàm in alio. Ergo ſubſiſtentia ratione ſui formaliter dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Ergo non poteſt in diuinis multiplicari; aliter poſſent etiam multiplicari bonitas, æternitas, & ſapientia, quod eſt abſurdum. Atque adeo vna tantum eſt ſubſiſtentia abſoluta.

3. Eſt de ratione formali ſubſiſtentiæ relatiuæ, vt reddat ſubiectum per ſe, & in ſe exiſtens incommunicabiliter. Non poteſt autem aſſignari quodnam eſſet hoc ſubiectum, ſeu quaſi ſubiectum, quòd reddatur per ſe, & in ſe exiſtens incommunicabiliter per ſubſiſtentias relatiuas. Ergo hæ non dantur in Deo. Conſequentia eſt euidens. Maior patet ex definitione. Minor probatur, vel eſſet natura, vt formaliter præciſa à perſonis; vel natura vt ad illas contracta? Non primum, quia redderet naturam Perſonis incommunicabilem: & præterea quia, hæc natura taliter concepta eſt hic Deus, hoc eſt aliquid per ſe, & in ſe ſubſiſtens. Ergo vt formaliter ſubſiſtens, vlteriùs modificaretur ad ſubſiſtendum, quod in metaphyſicis vidimus repugnare. Neque ſecundùm, quia ſubſiſtentiæ relatiuæ modificarent, & terminarent ſe ipſas, vt per ſe, & in ſe exiſterent, quod etiam repugnat. Ergo non poteſt aſſignari ſubiectum, quod modificarent.

Con-

Concluſio, *Dantur in Deo tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, non ſolùm in concreto, quatenus dicunt perſonas ſubſiſtentes, ſed etiam in abſtracto.*

Probatur 1. In 5. Synodo gener. quæ eſt 2. Conſtantinop. c. 1. in confeſs. fidei, ſeu collat. 8. primi canonis ita definitur, *ſi quis non confitetur vnam deitatem in tribus ſubſiſtentijs, ſiue perſonis adorandam, anathema ſit.* Dicitur autem, *ſiue perſonis*, non quia ſint aliquid ab illis diſtinctum, ſed vt ſignificetur, ſubſiſtentias hìc accipi in concreto, quatenus dicunt perſonas ſubſiſtentes. Ergo eſt de fide, dari tres ſubſiſtentias relatiuas. Simile quid dicitur in 6. Synodo gener. ſeu 3. Cõſtãtinop. ep. 2. Agathoris Papę, & Romanæ Synodi, quæ eſt profeſſio fidei, vbi iubetur, eſſe credendum, *Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate; vnitatem quidem eſſentiæ, trinitatem verò perſonarum, ſiue ſubſiſtentiarum. Non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum vnam ſubſtantiam*, Et act. 11. *Credimus Trinitatem prò tribus ſubſiſtentijs.* Et infra, *ſancta Trinitas numerabilis facta eſt perſonalibus ſubſiſtentijs; diuiditur namque numerabilibus ſubſiſtentijs, & numeratur perſonalibus alteritatibus.* Et paulò poſt, *ſubſiſtentiæ tres pronunciantur.* Et inferiùs, *Sabellianorum iſta eſt prauitas, in vnam ſubſiſtentiam tres confundere ſubſiſtentias.* Et paulò poſt, *impium eſt orthodoxis, & à veritate prorſus proiectum eſt,*

tàm ſingularitas ſecūdùm ſubſiſtentiam, quàm ternalitas in naturis.

2. In 2. Concil. Nicæno, quod fuit ſeptimum generale, in confeſs. fid. Tharaſij, quam Concilium approbauit, dicitur, *definimus, Trinitatem, vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs indiuiſim diſcretam, & diſtinctim vnitam.* Et deinde, *credimus Trinitatem in tribus ſubſiſtentijs, diuiſa eſt enim numerarijs ſubſiſtentijs, & numerata perſonalibus alteritatibus.* Et infra, *Trinitatem in tribus ſubſiſtentijs cognoſcimus.*

3. In Conc. Later. ſub Martino. I. conſultat. 5. can. 1. dicitur, *ſiquis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè, & veraciter vnitatem in Trinitate, hoc eſt vnum Deum in tribus ſubſiſtentijs conſubſtantialibus, condemnatus ſit.*

4. In Deo ſunt tres Perſonæ realiter inter ſe diſtinctæ, vt docet fides. Ergo debēt eſſe tres perſonalitates realiter diſtinctæ. Eſt autem impoſſibile, multiplicari perſonas, & perſonalitates, non multiplicata ſubſiſtentia relatiua, quæ eſt vnica forma diſtinguens Perſonas, vt infra patebit. Ergo non poteſt admitti Trinitas perſonarum, niſi admittatur Trinitas ſubſiſtentiarum; aliter admitteretur numerus ſine numero, quod repugnat in terminis.

Dices, eadem eſſentia cum tribus relationibus oppoſitis facit numerum perſonarum. Ergo eadem ſubſiſtentia abſoluta cum iiſdem relationibus facit nume-

merum ſubſiſtentium in concreto; atque adeo non eſt neceſſe multiplicare formam ſubſiſtentiæ in abſtracto, quæ licèt in ſe ſit communicabilis, redditur tamen incommunicabilis per annexas relationes.

Diſtinguo antecedens, eadem eſſentia cum relationibus oppoſitis, per ſe formaliter incommunicabiliter ſubſiſtentibus, facit numerum, concedo: cum relationibus, per ſe formaliter non incommunicabiliter ſubſiſtentibus, nego antecedens. Et diſtinguo conſequens, ergo eadem ſubſiſtentia abſoluta (poſito quòd in Deo admittatur) cum relationibus per illam ſubſiſtentibus facit tres ſubſiſtentes, nego: cum relationibus, per ſe incommunicabiliter ſubſiſtentibus, concedo conſequentiam. Vnde ſequitur, eſſe falſam ſubſumptam illationem, quòd non dentur ſubſiſtentiæ relatiuæ. Et ratio eſt primò, quia perſonalitas, vt formaliter talis, eſt vltimus terminus ſubſtantialis naturæ intellectiuæ. Ergo debet illam reddere per ſe, & vltimatè completam in eſſe ſubſtantiali. Sed hoc non poſſet præſtare, niſi ipſa per ſe eſſet formaliter ratio per ſe incommunicabiliter ſubſiſtendi; aliter illam relinqueret adhùc alteri communicabilem, & non ſiſtentem in ſe. Ergo debet habere per ſe propriam, & formalem rationem ſubſiſtentiæ incommunicabilis. 2. Incommunicabilitas eſt proprietas inſeparabilis à ſubſiſtentia, quæ

ideo admittitur in natura, vt per illam ſiſtat vltimò in ſe, & non tranſeat ad vlteriorem perfectionem, vt fusè probauimus in diſp. met.lib.2.diſp.3.ar.1. Ergo perſonæ diuinæ non poſſunt reddi formaliter incommunicabiles, niſi per aliquam ſubſiſtentiam. Ergo ſi redduntur tales per relationes, hæ ſunt formaliter ſubſiſtentiæ, præſertim cùm hoc præſtari non poſſit à ſubſiſtentia abſoluta, quæ de ſe eſt communicabilis. 3. Ideo natura humana caret propria ſubſiſtentia in Chriſto, quia vnita hypoſtaticè Verbo, ſubſiſtit eius ſubſiſtentia, in cuius perſona facta eſt vnio. Sed ſi Verbum, vt ſecunda perſona, nullam diceret propriam ſubſiſtentiam, natura humana ſubſiſteret ſubſiſtentia diuina abſoluta omnibus communi. Ergo eius vnio facta eſſet in omnibus Perſonis, quod eſt erroneum.

Ad 1. Nego antecedens, cuius falſitas patebit ar.ſeq.

Ad 2. Nego conſequentiam, propter rationes allatas in diſp. met. lib.1.diſp.1, ar.4. vbi ſtatuimus, diuinas ſubſiſtentias, ratione ſui formaliter, dicere quidem perfectiones ſimplices, non tamen ſimpliciter ſimplices.

Ad 3. Nego minorem. Et dico, ſubſiſtentias relatiuas reddere incommunicabiles perſonas, ſeu ſuppoſita, in quibus inſunt. Vnde non ſequitur, modificare ſe ipſas: aliter nulla forma modificaret ſubiectum concreti, in quo eſt,

Si-

Sicut ergo albedo per inhærentiam in materia, illam modificat ad album in concreto, in quo eſt albedo; ita ſubſiſtentia Paternitatis, per identitatem cum diuina natura, illam modificat ad Patrem in concreto, in quo eſt paternitas quaſi forma,& natura quaſi ſubiectum.

ARTICVLVS II.

An præter ſubſiſtentias relatiuas, detur etiam in diuinis Perſonis ſubſiſtentia abſoluta omnibus communis?

VIdetur dari, vt propugnant communiter Thomiſtæ, & Scotiſtæ, immò plures, & magni nominis authores illam ſolam admittunt in diuinis, excluſis relatiuis. Siquidem Albertus magnus 1.p. ſum.q.43. membro 1. §. addiſt. 3. ait, *ſicut in diuinis eſt vnus Deus, ita vna ſubſiſtentia, quæ in diſtinctis non numeratur. Et ſi inuenitur, tres ſubſiſtentiæ ab aliquo Sanctorum dictum, reſoluenda eſt locutio, vt abſtractum ponatur prò concreto, hoc eſt tres ſubſiſtentes perſonæ.* Et in fine addit rationem, *ſubſiſtentia ſecundùm proprietatem nominis, non dicit niſi ens in ſe ſubſiſtens, nullo alio indigens, vnde nomen eſſentiale eſt, quod tamen ex adiuncto trahitur ad ſtādum prò perſona.* Guglielmus Okam in 3.q.1.lit.N. licèt non admittat, primam rationem ſubſiſtendi eſſe primam ratio-

 nem

nem terminandi vnionem hypoſtaticam, tamen concedit, quòd *perſona diuina ſubſiſtit ratione eſſentiæ, ita quòd eſſentia eſt ratio formalis ſubſiſtendi ſuppoſito diuino*. Durand. in 1.d.33.q.1.n.37.ait, *in diuinis non eſt, niſi vnica ſubſiſtentia*. Et in 3.d.1.q.2.n.7.ait, *ſubſiſtere in diuinis eſt vnicum, & abſolutum, competens omnibus perſonis ratione eſſentiæ*. Et hanc doctrinam amplectitur Paludanus in 3.d.1.q.2.col.15. vbi ait, *videtur verior ſecunda opinio* (loquens de opinione Durandi) *quæ ponit vnicum ſubſiſtere abſolutum in diuinis*. Ex ad 2.ait, *in diuinis ſunt tres ſubſiſtentes, & vna ſubſiſtentia*. Ferrar. lib.4.con.Gen.c.26. ait, *primum, cui conuenit ſubſiſtere in diuinis, eſt diuina eſſentia, ex qua intelligimus omnia alia in diuinis habere vt ſubſiſtant, & ex qua ipſa etiam relatio habet vt ſubſiſtat*. Capreolus in 1.d.26. q.1.ar.1. concl.3.ait, *formale quo ſubſiſtunt perſonæ, eſt eſſentia, & eius formalis effectus eſt ſubſiſtere, quod nullo modo in diuinis pluríficatur*. Et infra, *in diuinis non plurificatur ſubſiſtentia ex parte ipſius ſubſiſtere, quod eſt vnicum in diuinis, ſed ex parte indiuiſionis, quæ in diuinis plurificatur, ſecundùm pluralitatem ſuppoſitorum*. Et his accedunt Carthuſian. in 1.d.26.q.7.ad 2. Hiſpalenſis, Marſilius, cum pluribus alijs.

Prò reſolutione, videndum eſſet primò, an poſſit ſaluari Trinitas Perſonarum per vnicam ſubſiſtentiam abſolu-

tam,

tam, excluſis à Deo ſubſiſtentijs relatiuis? Et deinde, an ſimul cum ſubſiſtentijs relatiuis, poſſit, & debeat admitti ſubſiſtentia abſoluta, propria diuinæ eſſentiæ, communis omnibus, perſonis? Sed quia primam quæſtionem iam definiuit ſancta catholica Romana Eccleſia, quæ ſtatuit, in ſingulis diuinis Perſonis dari ſingulas ſubſiſtentias relatiuas, vt multiplici teſtimonio probauimus in 1. ar. in quo oſtendimus, non ſolùm in concreto, vt contendunt Albertus, & alij mox relati, ſed etiam in abſtracto dari in Deo tres ſubſiſtentias relatiuas; ideo ſuppoſito hoc, tamquàm de fide, ſolùm agemus de ſecunda. Vt autem clariùs procedamus, quæremus 1. An ſubſiſtentia diſtinguatur ab exiſtentia? 2. An ſignificet perſeitatem independentiæ? 3. An dicat de ſua ratione formali intrinſeca incommunicabilitatem? Et demum concludemus quid ſit dicendum in propoſita quæſtione, quod præſtabimus ar. ſequenti.

1. Concluſio, *Subſiſtentia non eſt idem cum exiſtentia, ſed dicit aliquid illi ſuperadditum, tàm in creatis, quàm in diuinis.*

Probatur, Quæ ſunt realiter ſeparabilia, non ſunt vnum, & idem. Sed exiſtentia, & ſubſiſtentia ſunt realiter ſeparabiles. Ergo non ſunt vnum, & idem. Probatur minor, nam exiſtentia conuenit accidentibus, & ſubſtantijs incompletis, quibus non conuenit ſubſiſtentia.

Et præterea habemus ex fide, humanitatem Chriſti Domini amiſiſſe propriam ſubſiſtentiam, retenta propria exiſtentia. Ergo ſunt ſeparabiles. Et ideo probauimus in diſp. met. lib. 2. diſp. 3. ar. 1. ſubſiſtentiam in creatis ſuperaddere aliquod negatiuum, & in diuinis aliquod poſitiuum.

2. Concluſio, *Subſiſtentia de ſua ratione formali intrinſeca non poteſt accipi prò perſeitate independentiæ*, vt ſomniauit Gonettus tract. 6. diſp. 5. ar. 1. & 2.]

Probatur, Vel nomine perſeitatis independentiæ intelligitur independentia ab alio, tamquàm à principio actiuo, vel independentia ab alio, tamquàm à ſubiecto, ſeu principio ſubſtentante? Non poteſt dici primum, aliter cum omne creatum ſit ab alio, tamquàm à ſui cauſa, nullum creatum eſſet per ſe ſubſiſtens, quod continet errorem philoſophicum, & theologicum; philoſophicum, quia confunderet ſubſtantiam completam cum incompleta; ſiquidem omnes creatæ ſubſtantiæ, ex defectu ſubſiſtentiæ, eſſent alteri communicabiles. Ergo nulla haberet eſſe completum in ſe, in quo vltimò ſiſteret, quod vniuerſam euerteret philoſophiam: theologicum, quia hæc doctrina tolleret incarnationem, ſiquidem cùm humanitas Chriſti non potuerit habere hanc independentiam, neque Potuiſſet habere propriam ſubſiſtentiam, per cuius ablationem ſucceſſiſſet ſubſiſtentia Verbi. Ergo

go non potuiſſet intrinſecè, & hypoſtaticè cum illo vniri. Neque poteſt dici ſecundum, quia independentia ab alio, tamquàm à ſubiecto ſuſtentante, conuenit materiæ primæ, cui non conuenit ſubſiſtentia. Præterea conuenit animæ rationali, dùm eſt in corpore, & eidem vt à corpore ſeparatæ, licèt per ſe non ſubſiſtat. Ergo hoc ſaluat quidem conceptum ſubſtantiæ, non tamen ſubſiſtentiæ.

3. Concluſio, *Eſt de ratione formali intrinſeca ſubſiſtentiæ, quòd faciat ſuppoſitum alteri ſuppoſito incommunicabile.*

Probatur, ſuppoſitum vt formaliter ſuppoſitum, in omnium ſententia, eſt ſubſtantia ſingularis completa incommunicabilis, vt fusè expoſuimus in diſp. met. lib. 2. diſp. 3. ar. 1. Ergo de ſua ratione formali intrinſeca includit principiũ incommunicabilitatis. Hoc autem non poteſt eſſe natura, quæ de ſe eſt intrinſecè communicabilis. Ergo eſt ſubſiſtentia, per cuius terminationem intrinſecam, natura formaliter ſuppoſitatur. Quia tamen natura diuina, vt ſuppoſitata per ſubſiſtentiam Verbi æterni, communicatur naturæ humanæ, per terminationem intrinſecam vnionis hypoſtaticæ, ideo dixi in concluſione, ſubſiſtentiam facere ſuppoſitum incommunicabile, non ſimpliciter, ſed cum addito, nempe alteri ſuppoſito, cuiuſmodi non eſt humana natura in Chriſto Domino.

Neque obſtat, quòd natura diuina, licèt ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Patris, adhùc tamen communicetur ſuppoſito Filij, & Spiritus Sancti; ſiquidem hoc accidit ex eo, quia natura diuina non ſubſiſtit adæquatè per ſubſiſtentiam Patris, & ideo poteſt etiam communicari aliis ſuppoſitis Filij, & Spiritus Sancti, vt ſubſiſtat adæquatè, quod non militat prò ſuppoſitis creatis, quæ adæquatè, & ſufficienter ſubſiſtunt per vnicam ſubſiſtētiam, ſiue propriam, ſiue alienam. Quicumque autem vellet aliam reſponſionem ſolidiorem, & ſimul ſubtiliorem, conſulat locum citatum ex diſp. met. nā ibi inueniet totam hanc quæſtionem fuſè agitatam, & vniuerſam hanc materiam de ſubſiſtentia, prò dignitate tractatam.

ARTICVLVS III.

Reſoluitur ſtatus quaeſtionis, & probatur, non dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam.

CONCLUSIO, *Subſiſtentia abſoluta, ſumpto nomine ſubſiſtentiæ in proprietate ſermonis, nullo modo poteſt in Deo poni.*

Probatur 1. In ſexta Synodo act. 11 ſub init. & 13. approbatur vt catholica epiſtola Sophronij Patriarcæ Hyeroſol. vbi dicitur, *Neque vnus Deus eſt in vnā ſeipſum colligens ſubſiſtentiam, in vnam*

que

que coercens non numerandam perſonã. Sabellianorum iſta eſt prauitas, in vnam ſubſiſtentiam tres confundere ſubſiſtentias, &c. Sed admiſſa ſubſiſtentia abſoluta, confunderentur in illam tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, vt patebit. Ergo non poteſt admitti.

2. In 5. & 6. Synodo generali in 2. Concil. Nicæno, in Lateran. ſub Martino 1. & in tot alijs Concilijs definitur, in Deo dari vnitatem naturæ in tribus ſubſiſtentijs, nulla facta mentione de quarta, vt attulimus in 1.ar. Ergo ſubſiſtentia abſoluta à Caietano conficta, & ab alijs poſt ipſum, ſola adhærendi neceſſitate compulſis, leuitèr admiſſa, eſt contra mentem Conciliorum, & doctrinam totius Eccleſiæ; atque adeo cùm nulla neceſſitas cogat ad illam adſtruendam, tamquàm figmentum Sabellianorum, & Iudeorum, ad euertendam Trinitatem, neganda eſt.

3. Eſt de ratione formali intrinſeca ſubſiſtentiæ, ſimul cum natura facere ſuppoſitum, ſeu perſonam. Ergo ſi diuina natura haberet ex ſe propriam ſubſiſtentiam, diſtinctam à relatiuis, eſſet quarta perſona, quod eſt erroneum. Conſequentia eſt euidens, cùm ſit impoſſibile, non dari perſonam, cum dantur omnia illius conſtitutiua. Antecedens probatur, non ſolum ex dictis ar. 2. concl. 3. ſed etiam quia hoc apertè conceditur à diuo Thoma in 3.p. q. 3. ar. 3. ad 1. vbi quærens, an circumſcriptis perſonis per

intellectum, natura diuina poſſet aſſumere, concludit affirmatiuè, ex ſuppoſitione, quòd in illa detur ſubſiſtentia abſoluta, quæ opinio ex tali illatione non parum infirmatur. Vt autem appareat, quàm immeritò trahatur diuus Thomas ad talem opinionem, & vt meliùs rationis vis percipiatur, aliquantò altiùs eius doctrinam examinabo. Ita igitur argumentatur, omnis diuina perſona, ſiue ſimul, ſiue ſeorſim ab alijs poteſt aſſumere, vt probat in ead. q 3. ar. 4. 5. & 6. Sed admiſſa ſubſiſtentia abſoluta in Deo, natura diuina, etiam circumſcriptis relatiuis, eſſet perſona abſoluta. Ergo poſſet aſſumere. Conſequentia eſt euidens. Minorem probat q. 2. ar. 2. in corp. his verbis, *natura dicitur ſecundùm quod eſt eſſentia quadam, eadem verò dicitur ſuppoſitum, ſecundùm quòd eſt ſubſiſtens. Et quod dictum eſt de ſuppoſito, intelligendum eſt de perſona in creatura rationali, ſeu intellectuali, quia nihil aliud eſt perſona, quàm rationalis natura indiuidua ſubſtantia, ſecundùm Boetium.* Cùm ergo diuina natura, etiam circumſcriptis perſonis, eſſet intellectualis, & ſubſiſtens, eſſet perſona abſoluta. Et ideo q. 3. ar. 3. ad 1. ait, *quia in diuinis idẽ eſt quo eſt, & quod eſt, quidquid eorum, quæ attribuuntur Deo in abſtracto, ſecundùm ſe conſideretur, alijs circumſcriptis, erit aliquid ſubſiſtens, & per conſequens perſona, cùm ſit in natura intellectuali.* Quæ conſequentia non valeret, niſi

niſi eſſet vniuerſaliter verum, quòd omnis natura intellectualis ſubſiſtens ſit perſona. Quia tamen diſp.14.ar.5. probauimus contra Caietanum, nuſquam à diuo Thoma admiſſum fuiſſe in Deo ſuppoſitum, ſeu perſonam abſolutam, immò neque ſemiperſonam in ſenſu Caietani, ideo concludendum eſt, à diuo Thoma nuſquam fuiſſe admiſſam in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, acceptam in proprietate ſermonis, ſed ſolùm ſubſiſtentiam quamdam acceptam in latiſſima ſignificatione, quatenus videlicèt ſupponit prò perſeitate independentiæ, vel prò aſeitate, quæ licèt in rigore non ſit ſubſiſtentia, vt probatum eſt ar.2.concluſ.2.tamen eſt exiſtentia per ſe, & in ſe, cum qua communiter ſubſiſtentia à veteribus confundebatur. Hoc autem euidenter colligitur ex 1.p.q.29.ar.2. in corp. in quo diuus Thomas clariſſimè ſe explicat, dicens, *ſecundùm quòd ſubſtantia per ſe exiſtit, & non in alio, vocatur ſubſiſtentia; illa enim ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio, ſed in ſe exiſtunt.*

Dices cum Gonèt, ſi ſubſiſtentia ſumeretur prò exiſtentia, quando diuus Thomas ait, quòd diuina eſſentia eſt ſuum eſſe ſubſiſtens, idem diceret, atque eſſentia eſt ſua exiſtentia exiſtens, quod eſſet battologia.

Reſp. hoc eſſe verum in ſenſu reali, nō autē in ſenſu formali. Sicut ergo non eſt battologia dicere, homo eſt animal rationale, licèt realiter ſint vnum, & idem;

idem; ita neque illud. Præterquam quòd ſubſiſtentia nō dicit puram exiſtentiam, ſed exiſtentiam per ſe, & in ſe. Ergo non faceret ſenſum Gonettianum, ſed alium longè diuerſum, nempe eſſentia eſt ſua exiſtentia per ſe, & in ſe exiſtens, quod nullam trahit battologiam.

Vrgebis, diuus Thom. in 3. d. 6. q. 2. ar. 2. ad 2. ait, *ipſa eſſentia ſubſiſtens eſt in Deo; vnde ei ſecundùm ſe debetur eſſe, immò ipſa eſt ſuum eſſe ſubſiſtens*. Ergo ex ſubſiſtentia infert exiſtentiam. Sed hæc illatio eſſet battologica, ſi ſubſiſtentia ſumeretur prò exiſtentia; nam exiſtentia inferretur ex exiſtentia. Ergo non ſumitur prò exiſtentia.

Nego vtramque conſequentiam. Et dico, diuum Thomam non fuiſſe adeo rudem in ſyllogizando, vt ex poſteriori intulerit prius. Cùm ergo exiſtentia ſit prior ſubſiſtentia, non potuit ex hac inferre exiſtentiam, vt illi debitam. Illa ergo particula *vnde* in tali loco non eſt illatiua, ſed cauſalis, & facit ſenſum, eſſentia eſt ſubſiſtens, quia illi debetur eſſe, & eſt ſuum eſſe, quod cùm inferat eſſectum formalem ex ſua cauſa formali, ideo nullam dicit battologiam.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta contraria.

OBijcies 1. Ideo natura humana potuit ſuppoſitari, per ſuppoſitum al-

alterius generis, nempe per ſubſiſtentiã Verbi, quia erat imperfecta. Ergo ſuppoſitari per principium alterius generis arguit imperfectionem. Sed relatiuum eſt alterius generis ab abſoluto. Ergo ſuppoſita relatiua non poſſunt ſuppoſitare diuinam naturam, quæ eſt perfectiſſima in genere abſolutorum; & per conſequens exigit ſuppoſitari ſubſiſtentia abſoluta, cum qua faciat ſuppoſitum abſolutum ſubſtantiale.

Diſtinguo conſequens, arguit imperfectionem, quando principium ſuppoſitans remanet in ſuo genere, & non tranſit in naturam ſuppoſitatam, concedo: quando tranſit, secundùm totam ſuam realitatem, in naturam ſuppoſitatam, nego conſequentiam. Quia ergo Verbum æternum, terminando intrinſecè naturam humanam, non tranſijt in illam, ſicut tranſeunt diuinæ relationes, ſuppoſitando naturam diuinam, ideo ſuppoſitari principijs alterius generis, nullam arguit imperfectionem in natura diuina, licèt arguat in creata. Argumentum igitur imperfectionis in natura, non eſt quia potuerit ſuppoſitari per principium alterius generis, ſed quia hoc illam ſuppoſitando, ſeu terminando, non tranſijt in illam, ſed remanſit in eſſe extrinſeco, & adæquatè diſtincto, ab eſſe illius, quod non euenit in diuinis ſubſiſtentijs relatiuis.

Ob. 2. Diuina eſſentia, intra propriam lineam, hoc eſt vt formaliter abſoluta, eſt

eſt infinita. Ergo in tali linea eſt ſubſiſtens; aliter cùm ſubſiſtere in propria linea, ſit maxima perfectio, careret hac perfectione, adeòque non eſſet infinitè perfecta, quod deſtruit antecedens; ſiquidem natura creata ideo non habet ſubſiſtentiam in propria linea, quia eſt imperfecta, vt dictum eſt.

Nego conſequentiam, quæ ſi quid probaret, probaret etiam, diuinam naturam habere, in propria linea abſolutorum, perſonalitatem, & ſuppoſitum, quod ſupra vidimus repugnare. Quia ergo eſſentiæ infinitas habetur adæquatè per incluſionem omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium, cuiuſmodi non eſt ſubſiſtentia, ideo hæc non debet illi correſpondere in propria linea. Vnde patet reſponſio ad eius probationem.

Ob. 3. Si eſſentia non haberet propriam ſubſiſtentiam, illam emendicaret à Perſonis. Sed hoc eſt indignum eſſentia excellentiſſima. Ergo habet propriam ſubſiſtentiam.

Nego maiorem. Nam tunc ſubſiſtentiam emendicaret, quando eſſentia ad illam habendam exiret extra ſe, vt ab alio acciperet. Hoc autem non facit diuina eſſentia, quæ ſecum habet, non ſolùm intimè præſentes, ſed identificatas tres ſubſiſtentias relatiuas. Ergo non emendicat ſubſiſtentiam, cuius potiùs fruitur opulentia, licèt non habeat abſolutam. Sicut ergo ſi haberet ſubſiſtentiam abſolutam, illam non emendicaret, quia

eſſet

eſſet ſecum identificata; ita quia relatiuæ quas habet, ſunt identificatæ cum illa, ab illa non emendicantur, ſed ſunt eius ſubſiſtentiæ, ſicut eſſet abſoluta.

Ob. 4. Dicitur in quadam epiſtola Agathonis Papæ relata in 6. Synodo act. 4. ſub init. *confitemur trium ſubſiſtentiarum, ſiue perſonarum vnam ſubſiſtentiam*. Sed hæc eſt abſoluta. Ergo, &c.

Nego minorem. Et dico, vel textum eſſe adulterinum, ita vt poſuerit ſubſiſtentiam pro ſubſtantia; vel nomine ſubſiſtentiæ intelligi exiſtentiam, vt ſuprà. Ergo nihil probatur pro ſubſiſtentia abſoluta.

Ob. 5. Aug. 7. de Trin. c 4. ait, *omnis res ad ſeipſam ſubſiſtit, quantò magis Deus?* Item diuus Thomas in 1. d. 21. q. 2. ar. 1. ait *natura diuina eſt in ſe habens eſſe ſubſiſtens, nulla intellecta perſonarum diſtinctione*. Quod idem repetit in pluribus alijs locis. Ergo datur ſubſiſtentia abſoluta.

Nego conſequentiam. Et dico, per Auguſtinum dari quidem in Deo triplicem ſubſiſtentiam, per quam ſubſiſtat, non tamen vnam abſolutam. Deus autem per ſubſiſtentias relatiuas, non eſt ad aliud extra ſe, ſed ad ſe, quia per illas vna diuina perſona eſt ad aliam, & non ad creaturam. Ad locum diui Thomæ, dico, non ſemper ab illo ſubſiſtentiam accipi eodem modo; & ideo accipi hìc pro exiſtentia reali, quæ nec actu, nec potentia ſuſtentatur ab alio, vt ſubiecto inhæſionis,

nis, ſicut ipſe docuit in 1.d.23.q.1.ar.1. dicens, *ſubſiſtere dicit determinatum modum eſſendi, prout ſcilicet aliquid eſt ens per ſe, non in alio, ſicut accidens*. Quod adhùc clariùs expoſuit ibid. reſpondens ad 3. *ſubſiſtere dicitur aliquid, inquantum eſt ſub eſſe ſuo, non quòd habeat eſſe in alio, ſicut in ſubiecto*. Ergo fruſtra Gonettus congerit loca diui Thomæ, ad probandam hanc ſubſiſtentiam, contra quæ militat ſemper hæc explicatio.

Ob.6. Deus, vt præintelligitur perſonis, creat, & operatur ad extra, aliàs non eſſent indiuiſa opera Trinitatis ad extra. Ergo eſt ſubſiſtens; non ſubſiſtentijs perſonalibus, quibus præintelligitur. Ergo ſubſiſtentia abſoluta. Primam conſequentiam probat Gonettus 1. ex diuo Thom.1. q.75. ar.2. dicente, *nihil poteſt per ſe operari, niſi quod per ſe ſubſiſtit*. Deinde ex communi axiomate, *actiones ſunt ſuppoſitorum, vel ſubſiſtentium*. 3. Ratione, ſubſiſtentia eſt actus ſubſtantialis. Ergo præcedit natura omnem operationem, quæ non eſt talis.

Nego antecedens, propter eaſdem rationes, quas attulit Gonettus ad probandam conſequentiam. Cùm enim Deus vt præintelligitur perſonis, ſupponat pro ſola eſſentia, & hæc neque per ſe ſubſiſtat, neque ſit ſuppoſitum, non poteſt ad extra operari. Vnde elicio euidens argumentum, ad impugnandam hanc ſubſiſtentiam. Vel enim Deus, vt præintel-

le-

lectus ſubſiſtens per ſubſiſtentiam abſolutam, eſſet ſuppoſitum, vel non? Si primum, ergo daretur in Deo ſuppoſitum abſolutum, quod impuguauimus diſp. 14. ar. 1. & ipſemet Gonettus inſurgit contra illud diſp. 5. §. 1. vt inducens quaternitatem perſonarum. Si ſecundum, ergo non eſt vera ſecunda ratio ipſius, quòd actiones ſint ſuppoſitorum; adeòque ſibi contradicit, & nihil officit noſtræ concluſioni. Siquidem ſemper vrget argumentum, quòd vel Deus, præciſis perſonis, non ſit ſubſiſtens, adeòque non poſſit ad extra operari; vel quòd ſi admittatur ſubſiſtens, & operans, ſit ſuppoſitum, & perſona, quod eſt erroneum. Præterea hic modus arguendi, vel nihil probat, vel probat infinitas ſubſiſtentias. Nihil probat, quia cùm effectus formalis ſit idem omnino cum ſua cauſa formali, vel ſaltem cum illa eſſentialiter connexus, ex præciſione illius, non valet conſequentia ad huius realem exiſtentiã, ſiue non exiſtentiam; ſiquidem vel præciſio vnius debet eſſe præciſio alterius; & ſic præciſis per intellectum perſonalitatibus, quæ ſunt rationes formales diuinæ ſubſiſtentiæ, non poteſt Deus concipi vt ſubſiſtens, eo modo quo vt abſtractus ab omnipotentia, non poteſt cõcipi vt omnipotens; vel præciſio vnius non eſt præciſio alterius, & ſequitur vtraque pars contradictionis, videlicèt remanere effectum formalem, ex ſuppoſitione, & non remanere, quia ſupponitur

tur

tur præciſus, in præciſione eius cauſæ formalis. Nimis probat, quia ſi retorqueatur in ſubſiſtentiam abſolutam, illam multiplicat in infinitum; ſiquidem poſſet argui, Deus vt præintellectus ad ſubſiſtentiam abſolutam, poteſt creare. Ergo eſt ſubſiſtens. Non per hanc ſubſiſtentiam abſolutam, cui præintelligitur. Ergo per aliam, contra quam rediret argumentum, & ſic in infinitum.

Ob.7. Si non eſſet hic Deus per ſe ſubſiſtens, non daretur in Deo res vna ſingularis, communis, tribus Perſonis ſubſiſtentibus, quia vt eſt ſubſiſtens per ſubſiſtentias relatiuas non eſt vna, ſed triplex. Conſequens eſt erroneum. Ergo falſum antecedens.

Nego maiorem, & retorqueo argumentum, ideo datur in Deo res vna ſingularis communis pluribus, quia illa in ſua ſingularitate, non includit propriam ſubſiſtentiam, ratione cuius amitteret communicabilitatem. Ad probationem nego ſuppoſitum, quòd ſolùm valeret, quando in illis pluribus eſſentia multiplicaretur. Cùm ergo in illis ſit ſemper eadem numero, ideo etiam vt in illis ſubſiſtens, non eſt triplex, ſed maximè vna, vt loquitur diuus Thomas.

Ob.8. Admiſſa hac ſubſiſtentia, meliùs ſaluamus modum loquendi Doctorum, & Patrum, paſſim dicentium cum Hilario, omnes diuinas perſonas habere vnitatem in natura ex ſe ſubſiſtente, & in ipſa

ipſa ſubſiſtentia diuinæ naturæ. Ergo debet admitti.

Nego antecedens; & dico, hos Patres eſſe exponẽdos de ſubſiſtẽtia, vt identificata cum diuina natura. Subsiſtit ergo ex ſe, quia non ſubsiſtit per ſubsiſtentiam ſuperadditam, vt naturæ creatæ à Dicitur ſubsiſtentia diuinæ naturæ, qui eſt realiter ipſa natura. Dicuntur perſonæ habere vnitatem cum ſubsiſtentia naturæ, quia vniuntur cum natura per ſubsiſtentias, quæ ſunt realiter ipſa natura, in qua omnes vniuntur per identitatem realem. Ergo non eſt neceſſe confugere ad hanc ſubsiſtentiam.

Ob.9. Natura diuina, ratione ſui formaliter, eſt aliquid per ſe independens ab omni alio, vt ſubiecto, & ſuſtentante. Sed hoc intelligimus nomine ſubſiſtentiæ abſolutæ. Ergo non poteſt hæc in Deo negari.

Nego minorem, vt probauimus ar.2. concl.2. Quòd ſi aliquis nihil intelligat aliud, vt diximus de diuo Thoma, cum illo non erit quæſtio de re, ſed de nomine. Et ideo appoſui in concluſione, *ſumpto nomine ſubſiſtentiæ in proprietate ſermonis*, vt euitarem quæſtiones de nomine, quæ ſunt omninò inutiles, & nihil conferunt ad eruendam veritatem.

Ob.10. Perſeitas independentiæ ab alio vt ſuſtentante, non poteſt haberi per ſubſiſtentias relatiuas. Ergo debet haberi à ſubſiſtentia abſoluta.

Nego conſequentiam. Cum enim hæc

fit

ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, debet eſſe de intrinſeco, & eſſentiali conceptu deitatis. Ergo non debet eſſe ſubſiſtentia, quæ ſupponit rem adæquatè conſtitutam in eſſe, quàm ſolùm in illo vltimatè terminat, vt ſiſtat in illo, ſed prædicatum conſtitutiuum eſſentiale, quod nos vocauimus aſeitatem, non ſolùm quatenus dicit independentiam ab alio, vt à principio actiuo, ſed etiam quatenus dicit independentiam ab alio, vt à principio ſuſtentante. Huic autem perfectioni non conuenit nomen ſubſiſtentiæ, niſi impropriè, vt dictum eſt. Ergo quia quæſtio procedit de ſubſiſtentia propriè dicta, nullus remanet locus huic explicationi, quam uſque ad ſtomachum, Gonettus inculcat.

DISPVTATIO XVI.

De diuinis Perſonis comparatis cum ſuis proprietatibus, ſeu conſtitutiuis.

POſtquam ſtatuimus, in ſingulis diuinis Perſonis dari ſingulas exiſtentias, & ſubſiſtentias relatiuas, quibus ab inuicem diſtinguantur, excluſis omninò ſuppoſito, & ſubſiſtentia abſolutis, videndum eſt, an per illas perſonæ conſtituantur, tamquam per proprietates? Quia tamen variæ ſunt authorum opiniones de perſonarum conſtitutiuis, & diſtinctiuis, ideo vt clariùs procedamus, quæremus 1. An diuinæ Perſonæ conſtituantur, & diſtinguantur per proprietates? 2. explicando huiusmodi proprietates, quæremus, an ſint abſolutæ, vel relatiuæ, an videlicèt ſint modi, vel origines, vel ipſæ relationes?

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An diuinæ perſonæ conſtituantur proprietatibus?

VIdentur non conſtitui, vt tuentur Præpoſitiuus penès diuum Thomam 1.p.q.32.ar.2. Gregorius Ariminenſis in 1.d.26.& 27.q.1.ar.2.& Ioannes Maior,in 1.d.26.q.vnica, qui omnes docent, diuinas perſonas conſtitui, & diſtingui ſeipſis, non autem proprietatibus. Eorum fundamenta reducuntur ad hæc, primò quia omne conſtitutum diſtinguitur à ſuis conſtitutiuis, per modum totius à partibus,vt docuimus diſp. 13.ar.1. concl.1. Sed diuinæ perſonæ nihil admittunt in ſe, à quo taliter diſtinguantur. Ergo nihil admittunt, à quo conſtituantur. Probant minorem, primò quia vel hæc conſtitutiua conſtituerent, vt realiter diſtincta à conſtitutis, vel ſolùm vt diſtincta formaliter, ſeu ratione? Non primum, quia tolleret perſonarum ſimplicitatem. Neque ſecundùm, quia perſona eſſet ens rationis. Ergo, &c. Deinde nihil poteſt ſeipſum conſtituere. Sed quidquid eſt in perſonis diuinis, eſt ipſa diuina perſona, cum qua eſt realiter idem. Ergo non poteſt illam conſtituere.

2. Filius accepit à Patre totam eius ſubſtantiam. Ergo Pater nullam habet entitatem ſibi propriam, per quam conſti-

ſtituatur in eſſe patrem, & diſtinguatur à filio; aliter hic non accepiſſet totam ſubſtantiam Patris. Probant antecedens, ex Lateran. extra de ſum. Trin. c. *damnamus*, in quo definitur, *Pater ab æterno filium generando, ſuam ſubſtantiam ei dedit, non quòd partem ſuæ ſubſtantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipſe ſibi, cùm ſubſtantia Patris ſit indiuiſibilis, vtpote ſimplex omnino, nec quòd ſic dederit ſubſtantiam filio, quòd non retinuerit ipſam ſibi. Patet ergo quòd ſine vlla diminutione, filius naſcendo ſubſtantiam Patris accepit; & ita Pater, & filius habent eamdem ſubſtantiam; & ſic eadem res eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*. Sed quidquid eſt in Patre, eſt ſubſtantia omninò indiuiſibilis. Ergo nulla eſt proprietas, ſeu entitas in Patre, quæ non ſit in filio, qui proinde ſe ipſis diſtinguuntur.

3. Nihil eſt tritius penès Auguſtinũ, Hyeronimum, & alios Patres, quàm diuinas Perſonas eſſe vnum quoad ſubſtantiam, & diſtingui quoad perſonas. Ergo eſt communis omnium conceptio, illos non proprietatibus, ſed ſe ipſis conſtitui, & diſtingui.

4. Non minorem dicit ſimplicitatem Perſona, quàm eſſentia, & quælibet proprietas perſonalis. Sed neque eſſentia, neque proprietas perſonalis conſtituuntur per aliqua. Ergo neque perſona. Atque adeo ſicut eſſentia diſtinguitur ab omni creato per ſe ipſam, &

vna proprietas perſonalis ab alia, ita & vna perſona ab alia.

5. Nullum conſtitutiuum ſeorſim ſumptum eſt formaliter ipſum conſtitutum. Ergo ſi Pater e. g. conſtitueretur ex eſſentia, & propietate, eſſentia non eſſet Pater. Sed hoc repugnat Lateranenſi in cap. *damnamus* citato. Ergo perſona non conſtituitur ex eſſentia, & proprietate.

6. Conſtitutiua ſunt cauſæ conſtituti, quod proinde ab illis dependet, vt patet ex ipſis terminis. Ergo ſi Pater conſtitueretur ex aliqua proprietate, ab illa dependeret, tamquàm à ſui cauſa, & principio, adeòque non eſſet omnino improductus, & incauſatus, quod eſt erroneum.

Concluſio, *Omnes diuinæ perſonæ, præter communem eſſentiam, qua omnes cōſtituuntur, conſtituuntur etiam ſingularibus proprietatibus, quibus ab inuicem diſtinguuntur.*

Probatur 1. ex Lateranenſi, ſub Innocentio 3. c. *firmiter*, ſub med. vbi ſic definitur, *ſancta Trinitas ſecundùm communem eſſentiam indiuidua, & ſecundùm perſonales proprietates diſcreta.* Et in Concil. Florentino ſeſſ. 18. §. *diuina ſubſtantia*, per os Ioannis theologi latini decernitur, *perſona ex ſubſtantia, proprietatibuſque conſiſtit*. Et ſeſſ. 19. ſub finem, *credimus, perſonam ex diuina ſubſtantia, proprietateque conſtare, ita vt perſona nihil aliud, niſi ſubſtantia, & pro-*

proprietas ſit. Quæ quidem ſubſtantia, & proprietas, licet vnum re ipſa ſint, & Perſonæ per ſuas proprietates re inter ſe differant, quandoquidem ad aliquid ſunt, ipſas tamen ſecundùm ſubſtantiam Deum vnum eſſe fatemur. Et in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis vniuerſa cantat Eccleſia catholica, *vt in perſonis proprietas, in eſſentia vnitas, & in maieſtate adorentur æqualitas.* Ergo eſt de fide, dari in Deo perſonales proprietates, earum conſtitutiuas, & diſtinctiuas. Atque adeo ſententia oppoſita, non ſolùm eſt temeraria, vt cenſent Suarius, & Torres, ſed etiam falſa, periculoſa, & erronea, vt cenſent Molina, Zumel, & Bannes, immò hæretica, vt docent alij.

2. Probatur vnanimi doctrina omnium theologorum, quorum anteſignanus ſit Auguſtinus, qui lib. 3. con. Maximin. c. 10. ſub fin. ait, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & propter indiuiduam deitatem, vnus Deus eſt, & propter vniuſcuiuſque proprietatem, tres perſonæ ſunt.* Illi conſonant Ioannes primus Pontifex Rom. qui lib. de duab. nat. adu. Eutychianos ſub init. ait *Trinitas eſt propter proprietatem perſonarum*: Riccardus Victorin. lib. 4. de Trin. c. 17. ſub in. dicens, *abſque dubio in illa Trinitate oportet tot perſonales proprietates eſſe, quot ſunt perſonæ.* Et deinde explicans quid ſit proprietas, ſubdit, *proprietas perſonalis eſt, ex qua vnuſquiſque habet eſſe is, qui ipſe eſt.* Et infra, *perſonalem*

tur præciſus, in præciſione eius cauſæ formalis. Nimis probat, quia ſi retorqueatur in ſubſiſtentiam abſolutam, illam multiplicat in infinitum; ſiquidem poſſet argui, Deus vt præintellectus ad ſubſiſtentiam abſolutam, poteſt creare. Ergo eſt ſubſiſtens. Non per hanc ſubſiſtentiam abſolutam, cui præintelligitur. Ergo per aliam, contra quam rediret argumentum, & ſic in infinitum.

Ob. 7. Si non eſſet hic Deus per ſe ſubſiſtens, non daretur in Deo res vna ſingularis, communis, tribus Perſonis ſubſiſtentibus, quia vt eſt ſubſiſtens per ſubſiſtentias relatiuas non eſt vna, ſed triplex. Conſequens eſt erroneum. Ergo falſum antecedens.

Nego maiorem, & retorqueo argumentum, ideo datur in Deo res vna ſingularis communis pluribus, quia *illa in* ſua ſingularitate, non includit propriam ſubſiſtentiam, ratione cuius amitteret communicabilitatem. Ad probationem nego ſuppoſitum, quòd ſolùm valeret, quando in illis pluribus eſſentia multiplicaretur. Cùm ergo in illis ſit ſemper eadem numero, ideo etiam vt in illis *ſubſiſtens*, non eſt triplex, ſed maximè vna, vt loquitur diuus Thomas.

Ob. 8. Admiſſa hac ſubſiſtentia, meliùs ſaluamus modum loquendi Doctorum, & Patrum, paſſim dicentium cum Hilario, omnes diuinas perſonas habere vnitatem in natura ex ſe ſubſiſtente, & in ipſa

ipſa ſubſiſtentia diuinæ naturæ, Ergo debet admitti.

Nego antecedens; & dico, hos Patres eſſe exponēdos de ſubſiſtētia, vt identificata cum diuina natura. Subsiſtit ergo ex ſe, quia non ſubsiſtit per ſubsiſtentiam ſuperadditam, vt naturæ creatæ à. Dicitur ſubsiſtentia diuinæ naturæ, quia eſt realiter ipſa natura. Dicuntur perſonæ habere vnitatem cum ſubsiſtentia naturæ, quia vniuntur cum natura per ſubsiſtentias, quæ ſunt realiter ipſa natura, in qua omnes yniuntur per identitatem realem. Ergo non eſt neceſſe confugere ad hanc ſubsiſtentiam.

Ob. 9. Natura diuina, ratione ſui formaliter, eſt aliquid per ſe independens ab omni alio, vt ſubiecto, & ſuſtentante. Sed hoc intelligimus nomine ſubſiſtentiæ abſolutæ. Ergo non poteſt hæc in Deo negari.

Nego minorem, vt probauimus ar. 2. concl. 2. Quòd ſi aliquis nihil intelligat aliud, vt diximus de diuo Thoma, cum illo non erit quæſtio de re, ſed de nomine. Et ideo appoſui in concluſione, *ſumpto nomine ſubſiſtentiæ in proprietate ſermonis*, vt euitarem quæſtiones de nomine, quæ ſunt omninò inutiles, & nihil conferunt ad eruendam veritatem.

Ob. 10. Perſeitas independentiæ ab alio vt ſuſtentante, non poteſt haberi per ſubſiſtentias relatiuas. Ergo debet haberi à ſubſiſtentia abſoluta.

Nego conſequentiam. Cum enim hæc

ſit

ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, debet eſſe de intrinſeco, & eſſentiali conceptu deitatis. Ergo non debet eſſe ſubſiſtentia, quæ ſupponit rem adæquatè conſtitutam in eſſe, quàm ſolùm in illo vltimatè terminat, vt ſiſtat in illo, ſed prædicatum conſtitutiuum eſſentiale, quòd nos vocauimus aſeitatem, non ſolùm quatenus dicit independentiam ab alio, vt à principio actiuo, ſed etiam quatenus dicit independentiam ab alio, vt à principio ſuſtentante. Huic autem perfectioni non conuenit nomen ſubſiſtentiæ, niſi impropriè, vt dictum eſt. Ergo quia quæſtio procedit de ſubſiſtentia propriè dicta, nullus remanet locus huic explicationi, quam uſque ad ſtomachum, Gonettus inculcat.

DISPVTATIO XVI.

De diuinis Perſonis comparatis cum ſuis proprietatibus, ſeu conſtitutiuis.

POſtquam ſtatuimus, in ſingulis diuinis Perſonis dari ſingulas exiſtentias, & ſubſiſtentias relatiuas, quibus ab inuicem diſtinguantur, excluſis omninò ſuppoſito, & ſubſiſtentia abſolutis, videndum eſt, an per illas perſonæ conſtituantur, tamquam per proprietates? Quia tamen variæ ſunt authorum opiniones de perſonarum conſtitutiuis, & diſtinctiuis, ideo vt clariùs procedamus, quæremus 1. An diuinæ Perſonæ conſtituantur, & diſtinguantur per proprietates? 2. explicando huiuſmodi proprietates, quæremus, an ſint abſolutæ, vel relatiuæ, an videlicet ſint modi, vel origines, vel ipſæ relationes?

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An diuinæ perſonæ conſtituantur proprietatibus?

VIdentur non conſtitui, vt tuentur Præpoſitiuus penès diuum Thomam 1. p. q. 32. ar. 2. Gregorius Ariminenſis in 1. d. 26. & 27. q. 1. ar. 2. & Ioannes Maior, in 1. d. 26. q. vnica, qui omnes docent, diuinas perſonas conſtitui, & diſtingui ſeipſis, non autem proprietatibus. Eorum fundamenta reducuntur ad hæc, primò quia omne conſtitutum diſtinguitur à ſuis conſtitutiuis, per modum totius à partibus, vt docuimus diſp. 13. ar. 1. concl. 1. Sed diuinæ perſonæ nihil admittunt in ſe, à quo taliter diſtinguantur. Ergo nihil admittunt, à quo conſtituantur. Probant minorem, primò quia vel hæc conſtitutiua conſtituerent, vt realiter diſtincta à conſtitutis, vel ſolùm vt diſtincta formaliter, ſeu ratione? Non primum, quia tolleret perſonarum ſimplicitatem. Neque ſecundùm, quia perſona eſſet ens rationis. Ergo, &c. Deinde nihil poteſt ſeipſum conſtituere. Sed quidquid eſt in perſonis diuinis, eſt ipſa diuina perſona, cum qua eſt realiter idem. Ergo non poteſt illam conſtituere.

2. Filius accepit à Patre totam eius ſubſtantiam. Ergo Pater nullam habet entitatem ſibi propriam, per quam conſti-

ſtituatur in eſſe patrem, & diſtinguatur à filio; aliter hic non accepiſſet totam ſubſtantiam Patris. Probant antecedens, ex Lateran.extra de ſum.Trin. c. *damnamus*, in quo definitur, *Pater ab æterno filium generando, ſuam ſubſtantiam ei dedit, non quòd partem ſua ſubſtantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipſe ſibi, cùm ſubſtantia Patris ſit indiuiſibilis, vtpote ſimplex omnino, nec quòd ſic dederit ſubſtantiam filio, quòd non retinuerit ipſam ſibi. Patet ergo quòd ſine vlla diminutione, filius naſcendo ſubſtantiam Patris accepit; & ita Pater, & filius habent eamdem ſubſtantiam; & ſic eadem res eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*. Sed quidquid eſt in Patre, eſt ſubſtantia omninò indiuiſibilis. Ergo nulla eſt proprietas, ſeu entitas in Patre, quæ non ſit in filio, qui proinde ſe ipſis diſtinguuntur.

3. Nihil eſt tritius penès Auguſtinũ, Hyeronimum, & alios Patres, quàm diuinas Perſonas eſſe vnum quoad ſubſtantiam, & diſtingui quoad perſonas. Ergo eſt communis omnium conceptio, illos non proprietatibus, ſed ſe ipſis conſtitui, & diſtingui.

4. Non minorem dicit ſimplicitatem Perſona, quàm eſſentia, & quælibet proprietas perſonalis. Sed neque eſſentia, neque proprietas perſonalis conſtituuntur per aliqua. Ergo neque perſona. Atque adeo ſicut eſſentia diſtinguitur ab omni creato per ſe ipſam, &

proprietas ſit. Quæ quidem ſubſtantia, & proprietas, licet vnum re ipſa ſint, & Perſonæ per ſuas proprietates re inter ſe differant, quandoquidem ad aliquid ſunt, ipſas tamen ſecundùm ſubſtantiam Deum vnum eſſe fatemur. Et in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis vniuerſa cantat Eccleſia catholica, *vt in perſonis proprietas, in eſſentia vnitas, & in maieſtate adorentur æqualitas.* Ergo eſt de fide, dari in Deo perſonales proprietates, earum conſtitutiuas, & diſtinctiuas. Atque adeo ſententia oppoſita, non ſolùm eſt temeraria, vt cenſent Suarius, & Torres, ſed etiam falſa, periculoſa, & erronea, vt cenſent Molina, Zumel, & Bannes, immò hæretica, vt docent alij.

2. Probatur vnanimi doctrina omnium theologorum, quorum anteſignanus ſit Auguſtinus, qui lib. 3. con. Maximin. c. 10. ſub fin. ait, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & propter indiuiduam deitatem, vnus Deus eſt, & propter vniuſcuiuſque proprietatem, tres perſonæ ſunt.* Illi conſonant Ioannes primus Pontifex Rom. qui lib. de duab. nat. adu. Eutychianos ſub init. ait *Trinitas eſt propter proprietatem perſonarum*: Riccardus Victorin. lib. 4. de Trin. c. 17. ſub-in. dicens, *abſque dubio in illa Trinitate oportet tot perſonales proprietates eſſe, quot ſunt perſonæ.* Et deinde explicans quid ſit proprietas, ſubdit, *proprietas perſonalis eſt, ex qua vnuſquiſque habet eſſe is, qui ipſe eſt.* Et infra, *perſonalem*

proprietatem dicimus, per quam quilibet vnus, eſt ab omnibus alijs diſcretus: Fulgentius de fide ad Petrum c.1. ait, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus perſonarum ſunt ab inuicem proprietate diſtincti*: & ex Græcis Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Nyſſenus, & omnes alij, cuiuſcũque gentis, & nationis, vt videre eſt penès omnes theologos.

3. Probatur ratione, quam proſequitur diuus Thom. hic q.39. ar.2. prædicata communia non poſſunt eſſe diſtinctiua, neque enim diſtinguimus hominem ab equo, per eſſe animal, viuens, corpus, & ſubſtantiam, in quibus conueniunt. Ergo quotieſcumque dantur plura realiter diſtincta, debent in illis dari prædicata propria conſtitutiua, quorum vnum conueniat vni, & non alijs. Probatur conſeqeentia, diſtinctio non eſt aliquid ſuperadditum extremis, quæ diſtinguuntur, vt fusè probauimus in diſp. met. lib.1. diſp.2. ar.5. Ergo debet haberi per ipſa extremorum conſtitutiua, quæ cùm non poſſint eſſe communia, debent eſſe propria, & incommunicabilia. Atque adeo quia fatemur in Deo perſonarum Trinitatem, debemus admittere trinitatem proprietatum, quæ in vnitate eiuſdem naturæ numerum faciant. *Hæc enim proprietatum natura eſt* (vt loquitur Baſilius lib.2. con. Eunom. ſub fin.) *vt in identitate ſubſtantiæ, diſtinctionem oſtendant*.

ARTICVLVS II.

Soluuntur fundamenta contraria.

AD 1. Nego minorem. Ad cuius primam probationem dico, diuinas perſonas admittere aliquas proprietates cōſtitutiuas, realiter diſtinctas diſtinctione inadæquata, & aliquas diſtinctas tantùm ratione, hoc eſt diſtinctione virtuali intrinſeca, vt fusè probauimus diſp. 12. ar. 3. & ſeqq. & diſp. 13. art. 1. & ſeqq. Hinc tamen non ſequi ablationem ſimplicitatis à Perſonis, patet ex inibi dictis. Ad 2. diſtinguo minorem, quidquid eſt in perſona, eſt idem adæquatè cum illa, nego: inadæquatè, concedo minorem; & nego conſequentiam. Cùm enim conſtitutum nihil ſit, niſi complexum cōſtituentium, tantùm abeſt, quòd identitas inadæquata cum illis, quidquam obſit eorum conſtitutioni, vt ſine illa non poſſent conſtituere. Et ratio eſt, quia cùm conſtituant ſingula, præbendo ſe ipſa, per communicationem intrinſecam, debent ſingula ponere conſtitutum, per poſitionem ſui, quod facere non poſſent, niſi illi inexiſterēt per identitatem realem inadæquatam, vt alibi ſæpè probauimus.

Ad 2. Diſtinguo antecedens, Filius accepit à Patre totam eius ſubſtantiam abſolutam, concedo: etiam relatiuam, nego antecedens. Et eodem modo diſtin-

gbo conſequens, nullam habet entitatem abſolutam ſibi propriam, concedo: relatiuam, nego conſequentiam. Et hoc modo expoſitum Concilium non officit proprietatibus. Quia ergo ſubſtantia modò ſupponit pro eſſentia, ſeu re abſoluta, & modò pro relatiua, ſeu proprietate; ideò admiſſo quòd omnia in perſonis ſint ſubſtantia, nihil euincitur pro arguente. Quòd autem illud Concilium ita ſit exponendum, patet ex Florentino ſub Eugenio IV. quod in litteris vnionis ita decernit, *omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem*. Ergo per ly *omnia* intelligi debent prædicata abſoluta, & eſſentialia, non autem propria, & relatiua; aliter nihil potuiſſet vt proprium à Patre retineri, quod aduerſatur Florentino, & tolleret diſtinctionem Filij à Patre, quod eſt hæreticum.

Ad 3. Nego conſequentiam, retorquendo contra ipſam antecedens, perſonæ ſunt vnum quoad ſubſtantiam. Ergo ſi diſtinguuntur, debent habere aliud à ſubſtantia, per quod diſtinguantur, quod non eſt, niſi proprietas; aliter per illud idem omninò, per quod ſunt vnum, diſtinguerentur, quòd eſt impoſſibile. Quando ergo dicitur, quòd diſtinguantur perſonis, vel nomine perſonæ nihil intelligitur, niſi ſubſtantia, & ſic per illam diſtinguerentur, quod multiplicaret ſubſtantiam in diuinis, & tolleret perſonarum vnitatem; vel aliqua ratio, per quam

quam ſubſtantia contrahitur ad eſſe perſonam, & hæc eſt proprietas, quæ negabatur.

Ad 4. Diſtinguo maiorem, ſi accipiantur in abſtracto, concedo: in concreto, nego maiorem. Et admiſſa minori quoad eſſentiam, & proprietatem acceptas in abſtracto, nego conſequentiam. Quamuis enim eſſentia, paternitas, filiatio, &c. quoad rem ſignificatam ſint omninò ſimplices, tamen quoad modum ſignificandi abſtractum, ſiue concretum poſſunt concipi vt magis, vel minùs ſimplices, quatenus ſimplicitas excludit omnem formalitatum pluralitatem. Et ratio eſt, quia cùm nomina concreta ſignificent formam in ſubiecto, neceſſariò ſignificant formam, & ſubiectum, ſeu quaſi ſubiectum; abſtracta verò ſignificant ſolam formam. Sicut ergo paternitas in concreto dicit patrem, hoc eſt habentem paternitatem, denotando eſſentiam quaſi ſubiectum, & ipſam paternitatem quaſi formam, ex quibus fit ſuppoſitum, ſeu conſtituitur perſona patris; ita eſſentia, ſeu deitas in concreto dicit Deum, hoc eſt habentem deitatem, nempe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, vt illam habentes; & vt talis etiam ipſa conſtituitur ex eſſentia, & perſonalitatibus. Vnde ſequitur, quòd ſi comparatio fiat inter abſtracta, ſemper venit æqualis ſimplicitas; ſi verò fiat inter abſtractum, & concretum, ſemper venit inæqualis. Et ſi fiat inter ipſa

concreta, modò venit æqualis, & modò inæqualis, prout concreta important vnam, aut plures formas.

Ad 5. Diſtinguo conſequens, eſſentia in abſtracto non eſſet Pater, concedo: eſſentia in concreto, nego conſequentiam. Ad authoritatem Lateranenſis dico, illud loqui de terminis diuinis, ſecundùm rem ſignificatam, ſecundùm quam non datur diſtinctio abſtracti à concreto, non autem ſecundùm modum ſignificandi, ſecundùm quem idem diuerſimodè accipitur, vt dictum eſt. Sicut ergo ſecundùm abſtractionem, omnipotentia non eſt æternitas, licèt ſecundùm rem ſint vnum, & idem; ita eſſentia vt abſtracta à paternitate, non eſt formaliter pater; aliter conciperetur pater ſine paternitate, quod eſt impoſſibile, licèt ſecũdùm rem eſſentia ſit idem cum omni eo, quod conſtituit patrem.

Ad 6. Ioannes Baptiſta Gonettus hîc diſp. 11. ar. 1. n. 10. reſpondet, admittendo in Patre cauſalitatem paſſiuam, & dependentiam à ſuis conſtitutiuis, non tamen realem formalem, ſed ſolùm realem virtualem, & formalem per rationem; quam dependentiam, & cauſalitatem extendit ad omnes alias perfectiones attributales, putans ſolam diuinam naturam, vt diſtinctam ab attributis, eſſe omninò independentem, & incauſatam, eò quia illa ſola ſit prima, & fundamentalis perfectio in Deo, nullam aliam ſupponens perfectionem, ſiue realiter formaliter,

ſiue

ſiue realiter virtualiter, ſiue formaliter per rationem. Quòd ſiquis illi obijciat imperfectionem importatam his nominibus, reſpondet huiuſmodi imperfectionem omninò tolli, per additionē huius termini *virtualiter*, aut *formaliter per rationem*, quibus additis, ait, poſſe concedi, attributa dependere, & cauſari à natura diuina, & Patrem à paternitate, ſeu perſonalitate, per quam conſtituitur.

Sed hæc doctrina mihi non probatur, primò quia diſp. 8. ar. 5. docuimus, nullo modo in diuinis eſſe admittendam cauſalitatem, & dependentiam. Quamuis enim admittantur à nonnullis, intelligendo ſecundùm rem, neceſſariam connexionem, & viam originis, tamen concluſimus, eas voces à Latinis non eſſe vſurpandas. Niſi ergo Gonettus velit ſentire cum Græcis, & deficere à Gallis, qui ſemper ſenſerunt cum Latinis, non video quomodo potuerit his nominibus acquieſcere. Deinde quia cùm ſtatuerimus in 1. de gener. diſp. 2. ar. 1. contra Scotiſtas, totum ſiue phyſicum, ſiue metaphyſicum, ſiue formale, ſiue virtuale, non eſſe aliquid præter partes ſimul ſumptas, non poteſt reſpectu illarum habere rationem effectus, quod eſt neceſſarium ad rationem dependentis, & cauſati; nam homo e.g. vt conſtat ex anima, & corpore, vel eſſet effectus animæ ſecundùm quòd dicit ipſam animam, vel ſecundùm quòd dicit corpus, vel ſecundùm quòd dicit vtrumque ſimul? Non

poteſt dici primum, quia anima eſſet cauſa ſui; neque ſecundùm, quia anima eſſet cauſa corporis; neque tertium, quia ſola anima eſſet cauſa totius hominis; & ſic homo nihil eſſet præter animam, adeòque anima ſeparata eſſet formaliter totus homo, quæ ſunt abſurda. Ergo totum nullo modo eſt effectus ſuarum partium, adeòque ab illis non cauſatur, neque dependet. Idem valet de totis metaphyſicis, ſiue virtualibus, cuiuſmodi ſunt diuinæ perſonæ. Ergo neque hæc poſſunt dici dependentia, & cauſata à ſuis conſtitutiuis, quæ ſunt illorum quaſi partes virtuales. Deinum nulla eſt neceſſitas confugiendi ad huiuſmodi verborum improprietatem, cùm omnia poſſimus ſaluare per terminos proprios, nullam inuoluentes imperfectionem. Ergo hæc reſponſio ſuſtineri non poteſt. Illa ergo relicta.

Reſpondeo ad argumentum negando antecedens. Ex eo enim quòd conſtitutum reſultet formaliter ex ſuis conſtitutiuis, non ſequitur quòd cauſetur ab illis, niſi in genere cauſæ formalis intrinſecæ, quæ cùm non diſtinguatur à ſuo effectu formali, ideo nullam dicit in illud cauſalitatem. Cùm ergo effectus formalis conſtituentium ſit conſtitutum, hoc non cauſatur ab illis, niſi in ſenſu formali, quod ſolam dicit connexionem identitatis, excludentem quamcumque dependentiam vnius ab alio, cùm verè non ſint vnum, & aliud, niſi ratione,

& eiuſdem ab eodem nulla ſit dependentia.

Neque obſtat quòd conſtitutum, comparatum cum ſingulis conſtitutiuis ſeorſim, non ſit illorum effectus formalis. Nam vel loquimur de effectu formali adæquato, vel de inadæquato? Si primum, correſpondet omnibus ſimul. Si ſecundum, correſpondet ſingulis ſeorſim. Sicut ergo in totis Phyſicis materia, & forma vnitæ ponunt formaliter totum, & materia, & forma ſeorſim non ponunt niſi ſeipſa; ita in metaphyſicis, & virtualibus, omnia ſimul, ponunt formaliter conſtitutum adæquatè, & conſtitutiua ſeorſim, ponunt ſolùm conſtitutum inadæquatè, ita vt numquam ſit aſſignabilis cauſalitas, propter rationem ſupra traditam.

ARTICVLVS III.

An diuinæ Perſonæ conſtituantur proprietatibus abſolutis non modalibus?

VIdentur conſtitui, vt propugnant Guglielmus Pariſienſis penès Carthuſianum in 1.d.26.q.2. poſt med. Linconienſis, & Adam penès Marſil. in 1.q. 30.ar.1. ſub init. Ioannes de Ripa apud Scotum in 1.d.26.q.1. cuius defenſionem tàm acriter arripit ipſe Scotus, vt videatur, non ſolùm hanc opinionem putare probabilem, ſed illam vt ſuam tueri;

quibus adhærent etiam Lichetus, Ochamus, Gabriel, & omnium nouiſſimè Theodorus Smiſing diſp.2.q.1.n.16. qui omnes putant, diuinas perſonas conſtitui ſingulas ſingulis proprietatibus abſolutis, ex quibus deinde naturali neceſſitate reſultent relationes ſubſtantiales originum, quibus ad inuicem referuntur. Eorum fundamenta ſunt.

1. Dicitur Prou.30. *Quod nomen eius?* (loquendo de Patre æterno) *& quod nomen Filij eius, ſi noſti?* Sed hìc præſupponitur explicitè nomen Filij, & adhùc quæritur eius proprium nomen. Ergo Filius non eſt eius proprium nomen. Cùm ergo nomen proprium debeat exprimere proprietatem, Filiatio non eſt proprietas conſtitutiua ſecundę perſonæ, ſed aliquod abſolutum innominatum.

2. Omnis relatio præſupponit relatum, conſtitutum in ſuo eſſe. Sed relatio refert Perſonas. Ergo illas non conſtituit, ſed præſupponit conſtitutas in ſuo eſſe, per proprietates abſolutas.

3. Non minùs generans, per actum generationis acquirit realem reſpectum ad genitum, quàm genitus ad generantem. Ergo ſi reſpectus ipſe conſtitueret relatum, tàm generans, quàm genitus, per ipſam actualem generationem, acquireret ſui conſtitutiuum. Ergo non minùs generaretur Pater, quàm Filius, quod eſt erroneum.

4. Omnis actio eſt à ſuppoſito, vt alibi probauimus. Sed generatio eſt a-

ctio, vt probauimus diſp.6.ar.1. Ergo eſt à ſuppoſito. Sed eſt impoſſibile, quòd aliquid conſtituat id, vnde eſt. Ergo relatio generationis non conſtituit ſuppoſitum Patris. Et idem dico de Filiatione, & proceſſione, quæ terminantur ad ſuppoſita Filij, & Spiritus Sancti. Ergo hæc ſuppoſita conſtituuntur proprietatibus abſolutis.

Concluſio, *Diuinæ Perſonæ non conſtituuntur proprietatibus abſolutis non modalibus*, Recipitur ab omnibus, vt de fide.

Probatur 1. ex Toletano XI. in profeſſione fidei ſub init. vbi dicitur, *cum dicimus Deum, non ad aliquid dicitur, ſicut Pater ad Filium, vel Filius ad Patrem, vel Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium, ſed ad ſe ſpecialiter Deus dicitur*. Ergo licèt Deus ſecundùm deitatem, ſit aliquid abſolutum, tamen ſecundùm Perſonas eſt aliquod reſpectiuum. Et infra, *in relatione perſonarum numerus cernitur. Hoc ſolo numerum inſinuant, quòd ad inuicem ſunt; & in hoc numero carent, quòd in ſe ſunt*. Ergo per ſolam relationem, tamquam per proprietatem diſtinguuntur; atque adeo cùm non diſtinguantur, niſi per id quod ſunt, per ſolam relationem additam deitati, conſtituuntur in eſſe perſonali. Idem docet iiſdem verbis concilium Vuormatienſe in profeſs. fidei.

2. Ex Florentino ſeſſ.18.§. *diuina ſubſtantia*, Cùm enim Ioannes theologus Latinus, nomine totius Eccleſiæ Latinæ, di-

dixiſſet, *perſona ex ſubſtantia, proprietatibusque conſiſtit*, explicans de quibus proprietatibus locutus fuiſſet, ſubdit, *proprietates nequaquam communicabiles ſunt; quòd quidem ex relationis vi creditur euenire*. Et hoc dictum fuit approbatum ab vniuerſo Concilio. Sed in perſonis nihil eſt incommunicabile, niſi relatio. Ergo hæc ſola eſt earum proprietas conſtitutiua, & diſtinctiua. Et hæc veritas fuit adeo agitata, & confirmata in illo Concilio, vt tandem Eugenius Quartus ſeſſ. vlt. in litt. vnionis definierit, vt articulum fidei, approbatum à toto Concilio, *omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem*. Sed eſſe Patrem eſt aliquid relatiuum, & non abſolutum. Ergo proprietas Patris non eſt abſoluta, ſed relatiua. Probatur conſequentia, ſi Pater præter paternitatem, haberet aliquod abſolutum, per quod conſtitueretur, illud Filio communicaſſet; aliter non eſſet vera Eugenij definitio. Ergo proprietas paternitatis, quæ ſola non fuit communicata Filio, non eſt abſoluta, ſed relatiua.

3. Omnia abſoluta ingrediuntur rationem formalem intrinſecam eſſentiæ. Sed hæc eſt communis. Ergo omnia abſoluta ſunt communia. Sed eſt impoſſibile, quòd prædicatum commune diſtinguat ea, quibus eſt commune. Ergo per nullum abſolutum perſonæ diſtinguuntur. Sed quod non diſtinguit, non conſtituit

vt

vt proprietas. Ergo nullum abſolutum eſt proprietas.

4. Omne abſolutum in Deo eſt meliùs ipſum, quàm non ipſum, in tota ſua latitudine ſumptum. Ergo eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Nulla autem talis perfectio poteſt eſſe propria, quia cùm refundat imperfectionem in non habentem, omnes perſonæ eſſent imperfectæ, adeòque non Deus. Et ideo eſt commune axioma theologorum, quòd omnia in Deo ſint communia, vbi non obuiat oppoſitio relatiua. Cùm ergo proprietas non ſit communis, neque eſt abſoluta, neque perfectio ſimpliciter ſimplex, ſed ſola perfectio ſimplex relatiua, vt fusè probauimus in diſp. met.

5. Si perſonales proprietates eſſent abſolutæ, exprimerentur terminis abſolutis. Sed nuſquam in ſacris paginis exprimuntur terminis abſolutis, ſed ſemper relatiuis. Ergo non ſunt abſolutæ, ſed relatiuæ. Maior patet, quia quod eſt ad ſe, non bene exprimitur, per id quod eſt ad aliud, ſicut econuerſo quod eſt ad aliud, non bene exprimitur per id, quod eſt ad ſe. Probatur minor, nam dicitur Io: vlt. *tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*. Et Matth. vlt. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Sed eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum ſunt termini relatiui. Ergo perſonales proprietates exprimuntur terminis relatiuis, adeòque ſunt relatiuæ. Et

ideo

ideo ab omnibus theologis (excæptis numeratis) vnanimi conſenſu venerantur vt fidei dogma, diuinas perſonas conſtitui, & diſtingui proprietatibus relatiuis, & oppoſitam opinionem vocant hæreticam, erroneam, temerariam, vel adminùs periculoſam, parum tutam in fide, & errori proximam, vt videre eſt penès Faſolum hìc q.40. ar.2. dub.4. n.38. vbi recenſet cenſuras theologorum.

Ad 1. Reſpondet Caiet. ſuper q.40. ar. 2. nomen Filij poni explicitè à ſcriptura, tamquam nomen illi appropiatum, ſecundùm conceptus, & nomina abſtrahibilia à creaturis, quod nomen exprimit quidem quia eſt, non tamen quod quid eſt. Illo ergo expoſito, quærit quale ſit aliud, tamquam aliquid ineffabile. Sicut ergo poſito nomine *Deus*, quod denotat quia eſt, adhùc dicimus, nomen Dei eſſe ineffabile, quia nomen proprium exprimens eius quidditatem non habemus; ita poſito nomine ſecundæ perſonæ, exprimente eius exiſtentiam per ly *Filius*, quæritur nomen exprimens eius quidditatem, quod in via indagare non poſſumus.

Sed hæc reſponſio neque eſt vera, neque ſufficit. Non vera, quia nomen *Deus* exprimit ens, quo melius excogitari non poſſit. Sed hoc ſpectat ad eius quidditatem. Ergo exprimit eius quidditatem, licèt per conceptum inadæquatum, ſecundum quem potiùs remouemus à Deo quod non eſt, quàm in eo pona-

namus quod eſt, vt acutè docet diuus Thomas. Sed quia non poſſumus à Deo remouere imperfectionem, niſi ponamus in eo perfectionem oppoſitam, ideo hæc cognitio eſt quidditatiua, & non purè remotiua, ſed poſitiua. Quia tamen numquam poſſumus deuenire ad remotionem vltimæ imperfectionis, per poſitionem vltimæ perfectionis oppoſitæ, ideo numquam habemus de illo cognitionem quidditatiuam adæquatam. Et idem proportionaliter dico de nomine Filii. Neque eſt ſufficiens, quia cùm quæſtio procedat de proprietatibus conſtitutiuis, ſi concedatur, hoc nomen Filij exprimi ſolam eius exiſtentiam, & non proprietatem, non ſoluimus, ſed promouemus argumentum Scoti, quod aliud non intendit, niſi quòd relatio filiationis, expreſſa per tale nomen, non ſit eius proprietas, ſed illam præſupponat in linea abſolutorum. Illa ergo relicta, ad argumentum.

Nego conſequentiam. Et dico, nomen Filij eſſe quidem proprium ſecundæ perſonæ, non tamen à nobis formari de illo conceptum adæquatum, & ideo reſpectu noſtri eſſe ſolùm inadæquatum, adeòque quæritur adæquatum. Exprimit ergo nobis filiationem, vt eius proprietatem conſtitutiuam, & diſtinctiuam à Patre, non tamen ſecundùm conceptum proprium, clarè exprimentem quid ſit hæc filiatio, ſed ſolùm ſecundùm conceptum confuſum generationis à Patre,

ſub

ſub quo poſſumus quidem illam diſtinguere ab abſolutis, & à ſuo correlatiuo, adeòque eſt cognitio aliquo modo clara, non tamen poſſumus diſtinguere ab omni eo, quod ſimpliciter non eſt, quia non clarè cognoſcimus totam eius perfectionem, & ideò non habet omnimodam claritatem. Et hinc ſumitur motiuum quærendi nomen clarius.

Ad 2. Nego maiorem; nam albedo non præſupponit album, quod refert: neque generatio patrem, ſed conſtituit referendo, in eſſe album, in eſſe patrem, & conſtituendo refert.

Ad 3. Nego antecedens. Quidquid enim ſit de generante creato, certè increatus cùm ſit ingenitus, nihil acquirit, ſiue per generationem, ſiue per communicationem, ſed omnia habet à ſe, & ideo eſt prima perſona.

Ad 4. Diſtinguo maiorem, actio diſtincta eſt à ſuppoſito, concedo: actio indiſtincta, nego maiorem. Et admiſſo quòd generatio ſit actio indiſtincta à generante, nego conſequentiam. Et dico, actionem generationis in Patre nihil eſſe aliud, quàm ipſam paternitatem, ſub diuerſo reſpectu rationis. Atque adeo eadem paternitas ſecundùm rem, vt eſt ratio referendi, ideſt vt concipitur à nobis per modum referentis producentem ad productum, dicitur relatio; & vt concipitur per modum inexiſtentis in prima perſona, dicitur proprietas perſonalis, ſeu paternitas; & vt concipitur per modum

dum originis erumpentis in filium, dicitur generatio. Poteſt ergo etiam vt relatio, ſecundùm realitatem, conſtituere ſuppoſitum; atque adeo non eſt ab ipſo realiter, vt accidit actionibus creatis realiter diſtinctis ab agentibus.

ARTICVLVS IV.

An ſaltem conſtituantur modis abſolutis?

VIdentur conſtitui, vt apertè docuit Ioannes de Vite quodl. 3. q. 7. ar. 4. & valdè inclinare viſus eſt Scotus in 1. d. 26. vt refert, & confutat Caietanus 1. p. q. 40. ar. 2. qui licèt non admittat proprietates realiter ſimpliciter abſolutas, admittit tamen illas realiter modaliter abſolutas. Putat enim, dari quoſdam modos abſolutos, præſuppoſitos à relationibus, ex quibus ait cōſtitui diuinas perſonas, quibus deinde ait quodāmodo aduenire relationes, iam perfectè conſtitutis in ſuo eſse. Fundamenta ſunt.

1. Formale conſtitutiuum ſuppoſiti, eſt etiam formale diſtinctiuum. Sed hoc non eſt relatio in Perſonis. Ergo neque illud. Maior patet. Minor probatur, formale diſtinctiuum debet eſſe incommunicabile. Sed relatio neque vt relatio, neque vt diuina, eſt incommunicabilis, nam ſpiratio communis communicatur; neque vt paternitas, quia ſi Pater priùs ſpiraſſet, quàm dixiſſet, tunc Spiritui

San-

Sancto communicaſſet vim generandi, adeòque paternitatem, ſicut Filio communicauit ſpirationem. Ergo relatio non poteſt eſſe formale diſtinctiuum.

2. Actio ſequitur naturam termini. Ergo ſi Filius præſupponit Patrem, & non conſtituit, neque generatio, per quam Filius generatur, cōſtituit Patrem, ſed illum præſupponit conſtitutum, per modos abſolutos.

3. Vel relatio conſtitueret Perſonam, vt comparata ad eſſentiam, vel vt comparata ad correlatiuum oppoſitum? Non primum, quia cùm tranſeat in eſſentiam, eſt ſubſtantia. Neque ſecundum, quia ſub tali comparatione, habet eſſe *ad*, & non eſſe *in*. Ergo nullo modo conſtituit. Ex alia parte perſona non conſtituitur proprietate realiter abſoluta. Ergo debet conſtitui proprietate modaliter abſoluta.

Concluſio, *Diuinæ perſonæ neque poſſunt conſtitui, neque diſtingui per modos abſolutos.*

Probatur 1. Poſitio adſtruens huiuſmodi modos abſolutos, trahit ſecum eadem abſurda, quæ intulimus ar. 3. contra adſtruentes proprietates realiter abſolutas, vt optimè probat Durandus in 1.d.26.q.1.n.10.vbi ait, illam eſſe expreſsè contra intentionem Sanctorum, determinationem Eccleſiæ, & rationem. Ergo nullo modo eſt admittenda.

2. Admiſſis huiuſmodi modis (quorum ne nomen quidem eluxit in ſcholis)

vel

vel perſonæ conſtitutæ eſſent abſolutæ ; vel relatiuæ? Non primum, quia diſp. 14. ar. 1. probauimus, eſſe figmentum philoſophicum, & errorem theologicũ admittere in Deo perſonam, ſeu ſemiperſonam abſolutam. Neque ſecundum, quia conſtitutum ex abſolutis, non poteſt eſſe intrinſecè, & formaliter reſpectiuum, ſicut ex aduerſo conſtitutum ex reſpectiuis, non poteſt eſſe intrinſecè, & formaliter abſolutum. Ergo nullo modo poſſunt admitti.

3. Vel tales modi conſtituerent perſonas, modificando eſſentiam, vel ipſas perſonas? Non primum; quia cùm tranſirent totaliter in eſſentiam, non poſſet per illos haberi maior diſtinſtio, quàm per eſſentiam. Sed per hanc nulla poteſt haberi diſtinctio realis, vt definitum eſt contra Arrianos. Ergo neque per illos; atque adeo vel ponerent diſtinctionem in eſſentia, vel neque illam ponerent in perſonis, quæ ſunt abſurda. Neque ſecundum, quia cùm abſolutis non ſit oppoſitum, & omnis perſonarum diſtinctio habeatur per oppoſitionem in via originis, vt definitum eſt, nullam poſſent inducere perſonarum diſtinctionem, quod traheret idem abſurdum. Ergo hæc opinio ſuſtineri non poteſt.

Ad 1. Nego minorem. Ad cuius probationem dico, relationem diuinam eſſe incommunicabilem, vt proprietatem diuinæ perſonæ. Sicut ergo Petreitas non eſt incommunicabilis vt ſub.

ſub-

ſtantia, neque vt humana, neque vt forma, ſed vt eſt forma Petri; ita diuina relatio, neque eſt incommunicabilis vt relatio, neque vt diuina, ſed vt proprietas perſonæ diuinæ. Ad illam hypotheſim, quòd Pater communicaſſet Spiritui Sancto paternitatem, ſi priùs ſpiraſſet, quàm genuiſſet, dico, illam eſſe impoſſibilem, adeòque trahere vtrumque contradictorium, quod non prodeſt arguenti.

Ad 2. Nego conſequentiam. Ratio eſt, quia cùm in Deo non dentur prius, & poſterius, ſed omnia ſint ſimul, ſicut generatio non præſupponit patrem, ita neque filius generationem. Hæc ergo conſtituit Patrem, quia illi non opponitur, & eſt in illo per identitatem; non tamen filius conſtituit Patrem, quia illi opponitur, & ab illo realiter diſtinguitur. Hoc autem valet etiam in creatis, nam Petrus pater conſtituitur in eſſe patrem Ioannis, per generationem actiuam ipſius Ioannis; Ioannes autem qui eſt terminus generationis, non conſtituit Petrum in eſſe ſui patrem. Ergo quoad hoc eſt ſimplicitet falſum antecedens, vnde non poteſt ſequi veritas conſequeutis.

Ad 3. Nego maiorem; & dico, relationem neque conſtituere perſonam, vt comparatam ad eſſentiam, neque vt comparatam ad oppoſitum, ſed vt proprietatem perſonalem, & per modum formæ inexiſtentis, ſub qua ratione concipitur vt aliquod abſolutum, quamuis in ſe ſit

rea-

realiter reſpectiua. Hoc enim eſt proprium cuiuſcumque relationis, ſiue identificatæ cum fundamento, ſiue diſtinctæ, vt inexiſtat illi per modum abſoluti. Nam e.g. albedo referens, in ratione ſimilitudinis, parietem A. ad parietem B. non eſt in pariete A. vt aliquod relatiuũ, ſed vt forma accidentalis abſoluta. Diſtinguit autem, vt ad oppoſitum comparata.

Dices, albedo non eſt relatio ſimilitudinis, ſed fundamentum proximum illius. Ergo exemplum non eſt ad rem.

Diſtinguo antecedens, albedo ſecundùm realitatem non eſt relatio, nego: ſecundùm rationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Quamuis enim concipiatur, aduenire albedini, ſiue ex illa reſultare relationem ſimilitudinis, tamen hæc relatio reipſa nihil eſt aliud, niſi duplex albedo, vt probauimus in logicis.

ARTICVLVS V.

An poſſit ſuſſiſteri opinio Iacobi de Vite?

IAcobus de Vite quodlib.3.q.7.ar.4.& in prædicamentis, ait, diuinas perſonas conſtitui, & diſtingui per tres modos abſolutos, diſtinctos in ſingulis perſonis, nempe modum eſſendi naturaliter, per quem conſtituitur Pater: modum eſſendi intellectualiter, per quem con-

conſtituitur filius; & modum eſſendi amabiliter, per quem conſtituitur Spiritus Sanctus. Et hos modos ait, eſſe immediatum, & proximum fundamentum relationum. Hæc autem opinio videtur ſuſtineri poſſe 1. Quia relationes oppoſitæ non poſſunt immediatè fundari in eodem ſecundùm idem, ſicut eſt eſſentia. Ergo debent fundari in eſſentia, medijs his modis.

2. Relatio ſupponit extrema, & eorum diſtinctionem. Ergo illa neque conſtituit, neque diſtinguit, ſed conſtituuntur, & diſtinguuntur per tales modos.

3. Relatio non poteſt eſſe principiũ, & terminus originis. Ergo hoc conuenit ſoli eſſentiæ, vt affectæ talibus modis; aliter ſi conueniret eſſentiæ ſecundùm ſe, cùm vt talis ſit communis, in omnibus perſonis eſſet principium, & terminus originis; & ſic omnes producerent, & producerentur, quod eſt hæreticum. Quod ſi quæras, an huiuſmodi modi addant perfectionem eſſentiæ? Reſpondet negatiuè; & ideo illos appellat modos habendi perfectionem. Vnde infert, quòd eadem perfectio ſit naturaliter in Patre, intellectualiter in filio, & amabiliter in Spiritu Sancto.

Concluſio, *Hæc opinio taliter explicata, nullo modo ſuſtineri poteſt, ſed eſt falſa theologicè, & philoſophicè.*

Probatur 1. Omnia ea, quæ adduximus contra modos abſolutos in ar. 4. militant

con-

contra hos modos; quia licèt diuerſimodè explicentur à Vite, quoad alia, tamen conueniunt cum alijs in hoc, quòd ſint abſoluti. Ergo cùm ſtatuerimus art 3. non dari in diuinis proprietates abſolutas, vt formaliter abſolutas, ſequitur neceſſariò, neque dari proprietates abſolutas, conſiſtentes in formalitatibus ſimpliciter realibus, neque in realibus modaliter, in quibus eſt eadem ratio, vt condiſtincta à reſpectiuis.

2. Eſſe naturaliter, intellectualiter, & amabiliter, vel neceſſariò conſequuntur ab eſſentia, vt illam modificantes, vel non? Si primum, ergo ſunt eſſentiales. Sed nihil eſſentiale conſtituit per modum proprietatis, quia non diſtinguit. Ergo vt tales non conſtituunt perſonas. Si ſecundum, ergo non ſunt modi abſoluti, ſed reſpectiui. Probo conſequentiam, ens vt ſic adæquatè diuiditur in abſolutum, & reſpectiuum. Ergo quidquid non eſt abſolutum, eſt formaliter reſpectiuum. Sed in Deo nihil non eſſentiale eſt abſolutum. Ergo quia hi modi non eſſent eſſentiales, non eſſent abſoluti, ſed reſpectiui. Quòd autem non eſſent eſſentiales, probatur, eſſentia eſt aliquid neceſſarium. Ergo quod non connectitur neceſſariò cum illa, non eſt illi eſſentiale. Sed quod neceſſariò non ſequitur ex illa, non connectitur cum illa neceſſariò. Ergo ſi hi modi non ſequerentur neceſſariò ab eſſentia, non eſſent illi eſſentiales.

3. Admiſſis his modis, vt proprietatibus perſonalibus, non poſſent omnes eidem conuenire, ſed ſinguli ſingulis perſonis. Ergo neque Pater eſſet intellectualiter, neque filius naturaliter; aliter per illos ab inuicem non diſtinguerentur. Sed hoc eſt abſurdum in theologia, in qua naturalitas, & intellectualitas ſunt communes omnibus Perſonis. Ergo hæc opinio eſt falſa theologicè.

4. Patet lumine philoſophico, fidei lumine confortato, diuinas Perſonas debere habere mutuam, & neceſſariam connexionem, ad ſaluandam earũ æqualitatem. Sed admiſſis his modis vt proprietatibus, diuinæ perſonæ non haberent ſecum mutuam connexionem. Ergo hæc opinio eſt falſa, etiam phyloſophicè, ſuppoſitis principijs fidei. Maior, & conſequentia ſunt euidentes. Minor probatur, quamuis eſſe intellectualiter, & amabiliter præſupponant naturam, adeòque eſſentialiter connectantur cum eſſe naturaliter; non tamen eſſe naturaliter, neceſſariò connectitur in via phyloſophica, cum eſſe intellectualiter, & amabiliter, cùm non omnia naturalia ſint intellectiua. Ergo licèt Filius, & Spiritus Sanctus non poſſent eſse ſine Patre, tamen Pater poſset eſse ſine his, eò quia eſse naturaliter abſtrahat philoſophicè ab eſse intellectualiter, & amabiliter. Ergo Pater non haberet neceſsariam connexionem cum Filio, & Spiritu Sancto, quod eſt abſurdum.

Ad 1. Diſtinguō antecedens, relationes oppoſitæ nō poſſunt immediatè fundari, in eodem ſecundùm idem, ſi loquamur de fundamento finito, & limitato, concedo: ſi de infinito, & illimitato, cuiuſmodi eſt diuina eſſentia, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Sicut enim diuina eſſentia, ratione ſuæ infinitatis, poteſt ſecum identificare tria ſuppoſita, realiter inter ſe diſtincta; ita poteſt eſſe commune illorum fundamentum, ſecundùm relationes oppoſitas, ex quibus conſtituuntur talia ſuppoſita.

Ad 2. Reſpondimus ar. 3. reſpondendo ad 2. Hìc ergo addimus, relationem diuinam, ſecundùm ſuam habitudinem, ſupponere quidem concomitanter extrema, non tamen præſupponere vt conſtituta, quia illa conſtituit in eodem fundamento.

Ad 3. Dico, non relationem in abſtracto, ſed in concreto eſſe principium, & terminum originis. Eadem ergo eſſentia, ſub reſpectu paternitatis eſt principium originis, & ſub reſpectu filiationis eſt terminus eiuſdem. Hoc autem non poteſt inueniri in rebus finitis, & limitatis, vt toties diximus. Sicut ergo Iacobus de Vite non putaret abſurdum, quòd eadem eſſentia, ſub diuerſo modo abſoluto, ſit principium, & terminus originis, cur non poterit hoc idem præſtare, ſub diuerſo reſpectu?

ARTICVLVS VI.

An Perſonæ conſtituantur, & diſtinguantur per origines?

BOnauentura in 1. d. 26. ar. 1. Et Riccardus de S. Victore lib. 4. de Trin. c. 15. reſpondent affirmatiuè, licèt primus non excludat relationes, aſſerens, vel has, vel illas eſſe proprietates perſonales, vt videre eſt penès Caietanum 1. p. q. 40. ar. 2. Eorum fundamenta poſſunt eſſe, Primò quia ſimplicia ſe ipſis conſtituuntur, & diſtinguuntur. Sed diuinæ perſonæ ſunt ſimpliciſſimæ. Ergo per ſolas origines, adeòque ſe ipſis diſtinguuntur, & conſtituuntur, quatenus videlicèt Pater generat, & filius generatur.

2. Perfectiſſimum ſuppoſitum non poteſt conſtitui per principium diuerſi generis. Sed diuina perſona eſt ſuppoſitum perfectiſſimum. Ergo non poteſt conſtitui per principium diuerſi generis, euiuſmodi eſt relatio, ſed per originem, quæ cùm ſit ſubſtantialis, eſt eiuſdem generis cum diuino ſuppoſito.

3. Diuinæ perſonæ diſtinguuntur vt aliquod abſolutum. Ergo conſtituuntur per priùs ad relationes, nempe per origines, ex quibus conſequuntur relationes. Probatur antecedens, quia relatio præſupponit, non ſolùm exiſtentiam, ſed etiã diſtinctionem extremorum; & ideo dicitur eſſe ad aliud;

4. Au-

4. Auguſtinus lib. de fide ad Petrum c. 1. ſub init. ait, *quia aliud eſt genuiſſe, quàm natum eſſe, & aliud procedere, quàm genuiſſe, & natum eſſe, manifeſtum eſt, quod alius eſt Pater, alius Filius, & alius Spiritus Sanctus*. Et Damaſcenus lib. 1. de fide c. 2. ait, *in diuinis omnia ſunt communia, præter ingenerationem, generationem, & proceſſionem*. Sed hæ exprimunt origines, & non relationes. Ergo per hos Doctores, Perſonæ conſtituuntur, & diſtinguuntur per origines, & non per relationes.

5. Per illud res conſtituitur, ſine quo non poteſt intelligi; & viceuerſa per illud res non conſtituitur, ſine quo poteſt intelligi. Sed Pater non poteſt intelligi abſque generare, & filius abſque generari, & vterque poteſt intelligi abſque relatione. Ergo vterque conſtituitur per originem, & non per relationem. Maior patet, quia cùm res non poſſit intelligi ſine ſuis prædicatis eſſentialibus, eo ipſo quod poſſit, vel non poſſit intelligi ſine aliquo, illud non eſt, vel eſt prædicatum eſſentiale, adeòque conſtitutiuum. Minor probatur, relatio intelligitur aduenire perſonæ, ſicut homo aduenit animali. Ergo ſicut homo non conſtituit animal, & ideo hoc poteſt intelligi ſine illo, ita & relatio non conſtituit perſonam, quæ proinde poteſt intelligi ſine illa.

6. Origines ſunt fundamenta relationum. Sed fundamenta præſupponuntur.

 Ergo

Ergo cùm relationes referãt perſonas, hæ præſupponũtur conſtitutæ per origines.

7. Origo magis habet rationem relationis, quàm ipſa relatio, quia illa ſignificat relationem actualem, & paternitas e.g. habitualem. Ergo ſi origo non conſtituit, neque relatio.

Vt meliùs intelligatur ſtatus quæſtionis, ſuppono ex communi omnium theologorum ſenſu, dari in Deo præter eſſentiam, proceſſiones, origines, proprietates, notiones, relationes, & ſuppoſita, ſeu perſonas. Proceſſio eſt idem atque origo, quia ſicut illa dicitur emanatio, ſeu origo vnius ab alio, ita hæc dicitur emanatio, ſeu proceſſio vnius ab alio, & ſolùm diſtinguuntur ratione noſtra ratiocinante, vt gladius, & enſis. Vtraque autem conſideratur vt actus ſecundus, progrediens ex vna perſona ad aliam, tamquàm via media inter producens, & productum. Hæ autem ſunt duæ, altera Filij à Patre per intellectum, & dicitur generatio, & altera Spiritus Sancti per voluntatem, & ex defectu proprij termini, dicitur proceſſio, ſeu ſpiratio paſſiua. Quia verò Deus per vnicum, & primum actũ intellectus cõprehẽdit perfectiſſimè omnia intelligibilia, ſicut per vnicũ, & primũ actum voluntatis omnia volibilia, ideo nõ poſsũt eſſe in Deo plures proceſſiones, ſeu origines, quã duæ. Vtraq; autẽ diuiditur in actiuam, identificatam cum principio productiuo, & paſſiuam identificatam cum termino producto, non

quòd

quòd ipſæ origines multiplicentur in quattuor, ſed quòd ex illis reſultent quattuor relationes reales, videlicet paternitas, filiatio, ſpiratio actiua, & ſpiratio paſſiua. Et hæ relationes, quamuis à nonnullis dicantur prædicamentales, tamen propriùs, & veriùs debent dici tranſcendentales, quia ſunt adæquatè identificatæ cum ſuis fundamentis. Atque adeo relatio paternitatis eſt adæquatè in Patre, Filiationis in Filio, ſpirationis actiuæ in Patre, & Filio, vt vnico ſpiratore, & preceſſionis, ſeu ſpirationis paſſiuæ in Spiritu Sancto.

Item ſuppono, has relationes dici ſolùm relationes, per comparationem mutuam perſonarum inter ſe, cùm ſit proprium relationis eſſe ad aliud; Nam ſi comparentur vt inexiſtentes in perſonis, cum eſſentia, ſeu natura diuina, dicuntur proprietates perſonales. Quatenus verò comparantur inter ſe, in ordine ad noſtrum intellectum, cui ingenerant vim quamdam dignoſcendi dignitatem ſingularum perſonarum, dicuntur notiones. Et quia præter has quattuor, intellectus noſter concipit etiam in Patre non eſſe ab alio, quæ eſt dignitas ipſius peculiaris, vt eſt prima perſona, ideo ſub conceptu notionum communiter dicuntur eſſe quinque, eò quia in ipſa paternitate appareat dignitas non procedentis ab alio, quæ dicitur vocabulo negatiuo innaſcibilitas, vnde pater dicitur ingenitus, ſeu improductus; & ſub con-

ceptu proprietatum dicuntur eſſe tantùm tres, quia communis ſpiratio, vt communis duobus, non cenſetur proprietas, niſi dicatur proprietas ſpiratoris.

Suppono demum, tàm relationes, quàm origines, & notiones obiectiuè ſumptas, eſſe idem inter ſe in qualibet perſona, non ſolùm realiter, ſed etiam virtualiter intrinſecè, ſi præſcindamus ab omni ordine ad noſtrum intellectum, in ordine ad quem ſolùm admittitur diſtinctio virtualis intrinſeca, vt fusè alibi probauimus, excæpta tamen ſpiratione actiua, quam diſp. 12. ar. 3. diximus eſſe realiter diſtinctam à paternitate, & filiatione, ſecundùm eſſe relationis.

His poſitis, non eſt difficultas in re, quia certum eſt, omnes perſonas conſtitui formaliter per omnia illa prædicata, quæ ſingulis attribuuntur, per quorum complexum ſingulæ conſtituuntur in eſſe tales perſonas, & ab alijs omnibus diſtinguuntur. Quæſtio ergo procedit ſecundùm noſtrum modum concipiendi, & quæritur, an potiùs origines, quàm relationes ex illis formaliter conſurgentes, ſint illud vltimum, & formale conſtitutiuum perſonarum, per quod concipiantur à nobis ab inuicem diſtingui, diſtinctione reali, vt vltimò completæ in tali eſſe perſonali; ſicut quæritur de conſtitutiuo diuinæ eſſentiæ, non quòd realiter non conſtituatur ab omnibus prædicatis abſolutis, ſed quòd metaphy-

ſicè

ſicè loquendo, vnum magis alijs videatur habere rationem conſtitutiui.

Concluſio, *Diuinæ perſonæ non conſtituuntur, & diſtinguuntur per origines*. Eſt diui Thomæ q.40.ar.2. & aliorum communiter, contra Bonauenturam, & Riccardum.

Probatur 1. Nihil eſt magis intrinſecum rei, quàm ſui conſtitutiuum. Sed origines non concipiuntur à nobis, vt intrinſecæ perſonis, ſed potiùs vt extrinſecæ, tamquàm actus emanantes ab vna in aliam, ex 2. phyſ. vbi dicitur, quòd *generatio eſt via in naturam*. Ergo perſonæ non conſtituuntur per origines. Atque adeo Pater non conſtituitur per generare, quod concipitur vt illum præſupponens, neque Filius per generari, quod præſupponit illum nondùm exiſtentem, eò quia ſit via ad ipſum, eo modo quo Petrus non conſtituitur in eſſe Petrum per ſuam generationem, ſeu natiuitatem, ſed per petreitatem. Et ratio eſt, quia conſtitutiuum eſt illa forma, quæ dat formaliter eſſe tale, cuiuſmodi ſunt paternitas, & Filiatio, non autem via ad illam, cuiuſmodi eſt generatio, tàm actiua, quàm paſſiua.

2. Omnis actio eſt à ſuppoſito. Sed generatio eſt actio. Ergo eſt à Patre, tamquàm à ſuppoſito, adeòq; tamquàm à principio, iam conſtituto in ſuo eſſe. Ergo non conſtituit Patrem, in eſſe formaliter Patrem, vt eſt formaliter generatio.

3. Omne conſtitutiuũ concipitur, vel per modum materiæ, vel per modum formæ. Sed origo neque concipitur per modum materiæ, quæ eſt ſola eſſentia in diuinis perſonis, neque per modum formæ, quæ eſt ſola relatio. Ergo non concipitur, vt conſtitutiua.

4. Conſtitutiuum formale, vt oppoſitum materiali, eſt diſtinctiuum conſtituti ab omni alio. Sed diſtinctiuum perſonæ non eſt origo, vt probauimus diſp. 13. ar. 3. & confirmabimus infra. Ergo non eſt formale conſtitutiuum perſonæ. Sed neque eſt conſtitutiuum materiale, vt dictum eſt, cùm ſola eſſentia ſit quaſi materia diuinarum perſonarum. Ergo origo nullo modo eſt conſtitutiua.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur fundamenta contraria.

AD 1. Nego maiorem; aliter idem conſtitueret ſeipſum, quod repugnat. Quia ergo etiam in ſimplicibus diſtinguimus plures formalitates metaphyſicas, ideo etiam reſpectu diuinarum perſonarum, poſſumus aſſignare conſtitutiuum diſtinctum à conſtituto. Præterea in diſp. 13. ar. 3. ad 4. probatum eſt, non poſſe diuinas perſonas diſtingui ſeipſis. Ergo cùm conſtitutiuum formale ſit diſtinctiuum, neque poſſunt ſeipſis conſtitui.

Ad 2. Nego maiorem, quæ fortaſſe

eſſet

eſſet vera, vbi natura haberet vnum ſolum ſuppoſitum. Dixi *fortaſſe*, quia in creatis omne ſuppoſitum, licèt perfectiſſimum, conſtituitur per principium diuerſi generis. Cùm ergo in Deo ſint tria ſuppoſita, ſi eorum principia conſtituentia eſsent ſui generis, multiplicarentur ſubſtantialia; atque adeo tolleretur in illis vnitas naturæ; cùm ſit impoſſibile, multiplicari ſuppoſita, non multiplicatis eorum formalibus principijs conſtitutiuis. Præterea ſi conſtituerentur per principia ſui generis, per eadem diſtinguerentur; atque adeo conſtituerentur, & diſtinguerentur per abſoluta, quod impugnauimus vſque adhùc. Cùm ergo non diſtinguantur in eſse ſubſtantiali, in quo ſubſiſtunt, ſequitur, perſonas diſtingui per ſolas relationes, per quas ſubſiſtunt. Demum ſi admittatur, formam conſtitutiuam debere eſse in genere ſubſtantiæ, hæc non poſset eſse origo, quæ vt formaliter talis, concipitur extra hoc genus, ſicut relatio. Ergo vel hæc ratio nihil probat, vel retorquetur in arguentem, aduersùs origines.

Ad 3. Nego antecedens, cuius oppoſitum probauimus vſque adhùc. Ad eius probationem reſpondeo cum diuo Tho: hìc diſp. 40. ar. 2. ad 4. relationem præſupponere exiſtentiam, & diſtinctionem extremorum, quando illis accidit, non autem quando dat illis ſubſiſtere ſubſtãtiale, vt euenit in diuinis. Tunc enim fert ſecum exiſtentiam completam, &

diſtinctionem extremorum. Neque obſtat, quòd eſse relationis ſit ad aliud, nam non verificatur hoc de diuina relatione, niſi quatenus ly *aliud*, ſignificat correlatiuum, quod ſit ſimul natura cum ipſa relatione, quod non euenit in creatis.

Ad 4. Nego conſequentiam. Ad authoritatem dico, hos Doctores adduxiſſe quidem ea, quæ in diuinis diſtinguuntur, non autem rationes formales, per quas diſtinguuntur. Sicut ergo qui dicit, *homo eſt aliud animal à leone*, dicit quidem hominem, & leonem, qui diſtinguuntur, & affirmat eorum diſtinctionem, non tamen dicit per quid diſtinguantur, eò quia non diſtinguantur per eſse animal; ita qui dicit, *Pater eſt alius à Filio*, aſſignat extrema diſtincta, non tamen principium formale diſtinguens. Quòd ſi velimus accipere ly, *quia aliud eſt genuiſſe, &c*, in ſenſu cauſali, dico Auguſtinum aſſignaſse quidem principium radicale diſtinctionis, non autem formale. Cùm enim metaphyſicè loquendo, relationes conſurgant ex originibus, ideo illæ ſunt principium formale, & hæ radicale diſtinctionis, quod ſufficiebat Auguſtino, ad tuendam ab hæreticis Trinitatem, præſertim cùm in ſenſu reali, origines à relationibus non diſtinguantur.

Ad 5. Nego minorem, quoad vtramque partem. Cùm enim generare concipiatur à nobis per modum actionis, ſeu

viæ ad Filium, non concipitur, vt aliquid intrinſecum, & eſsentiale Patri, qui proinde poteſt formaliter concipi ſine illo. Quòd ſi negecur, poſse Patrem concipi ſine generare, multò minùs poterit concipi ſine reſpectû ad Filium, qui formaliter inuoluitur in generare. Ergo erit falſa ſecunda pars minoris, cuius falſitas euidenter infertur ex veritate primæ. Atque adeo vel hoc argumentum concludit etiam prò relatione, vel neque concludit prò origine. Ad probationem minoris retorqueo argumentum, etiam origo intelligitur aduenire perſonæ, in qua priùs cõcipitur quòd ſit, quàm quòd operetur. Ergo ſi hæc ratio valeret contra relationem, valeret etiam contra originem.

Ad 6. Nego minorem, quia (vt alibi diximus) quamuis relatio ſopponat concomitanter fundamentum, non tamen ſemper illud præſupponit. Præterquamquòd licèt relatio præſupponeret originem per noſtrum modum intelligendi, eo modo quo forma præſupponit motum, & actionem, non tamen illam præſupponeret vt conſtitutiuam, eò quia ſemper intelligeret originem, vt extrinſecam conſtituto.

Ad 7. Retorqueo argumentum, origo magis habet rationem relationis, quàm perſonalitas. Ergo ſi conſtituat, non conſtituit vt origo, ſed vt relatio. Atque adeo ſola relatio conſtituit ſuppoſitum, ad cujus conſtitutionem non

po-

poteſt extendi origo, niſi induat naturam, & conceptum relationis.

ARTICVLVS VIII.

An Perſonæ conſtituantur relationibus?

VIdentur non conſtitui, 1. Quia quod eſt per ſe, non conſtituitur formaliter relatione. Sed diuina ſuppoſita per ſe ſunt. Ergo non conſtituuntur relatione.

2. Si relatio conſtitueret, vel hoc faceret per vnionem, cum eſſentia, vel per vnionem cum ſuppoſito? Non primum, quia daretur ſuppoſitum, antequàm conſtituatur in eſſe. Neque ſecundum, quia vnio præſupponit extrema, quibus aduenit. Ergo non conſtituit ſuppoſitum, cui aduenit.

3. Quidquid includit duo prædicamenta, eſt ens per accidens. Sed ſi ſuppoſitum conſtitueretur per relationem, includeret duo prædicamenta, nempe ſubſtantiam, & accidens. Ergo eſſet ens per accidens, & non per ſe.

4. Suppoſitum diuinum eſt ſummæ entitatis. Ergo non poteſt conſtitui per relationem, quæ eſt minimæ entitatis.

5. Conſtitutio totius ſequitur ad vnionem conſtituentium. Ergo ſi relatio conſtitueret ſuppoſitum, deberet priùs paternitas e.g. vniri cum eſſentia, quàm conſtituere Patrem. Sed hoc eſt abſurdum,

dum, quia cùm forma communicet ſuum effectum formalem ei, cum quo vnitur, priùs eſſentia eſſet Pater, quàm conſtitueretur ſuppoſitum Patris, adeòque daretur ſuppoſitum, ſine ſuppoſito, quod repugnat.

Concluſio, *Diuinæ Perſonæ conſtituuntur formaliter, etiam per relationes*. Eſt communis cum Auguſt. diuo Thoma, &c.

Probatur 1. Omnia, quæ ſunt in Deo, reducuntur, vel ad lineam abſolutorum, vel ad lineam reſpectiuorum. Sed nihil ſpectans ad primam lineam, poteſt eſſe cõſtitutiuum diſtinctiuum perſonarum, vt fusè probatum eſt in articulis ſuperioribus. Ergo neceſſariò debent conſtitui, etiam per aliquod reſpectiuum, per quod ab inuicem diſtinguantur.

2. Ex Florentino ſeſs. 28. §. *dixi equidem*, vbi Ioannes theologus, tacitè approbante Concilio, hæc palam locutus eſt, quæ verba fuerunt inſerta Concilio loco cit. *ſola relatio apud omnes Græcos, & Latinos Doctores, diuina proceſſione perſonas multiplicat, ita vt non alia ratione, quàm vi relationis, vna Perſona ab alia differat*. Illi conſonant Auguſtinus, & Boetius, quorum primus 5. de Trin. ait, *illa quæ ſunt propria perſonis, dicuntur relatiuè*. Et ſecundus in lib. de Trin. ait, *eſſentia continet vnitatem, & relatio multiplicat Trinitatem*. Ergo relatio diſtinguit perſonas. Sed non di-

diſtingueret, niſi conſtitueret. Ergo conſtituit.

Dices cum Caiet. q.40. ar.2. datur aliquod diſtinctiuum non conſtitutiuum, vt cum vna pars aquę diſtinguitur ab alia parte. Ergo conſequentia non tenet.

Nego antecedens. Ad cuius probationem nego ſuppoſitum. Nam in exemplo allato, datur diuiſio, & non diſtinctio, quod patet ex eo, quòd fiat ex ablatione vnionis, & non vnitatis, cui ſoli opponitur diſtinctio, vt fusè probauimus in diſp. met. lib. 1. diſp. 1. ar. 1.

3. Per illud formaliter conſtituitur ſuppoſitum, per quod redditur formaliter ſubſiſtens incommunicabile. Sed hoc eſt ſola relatio. Ergo per illam conſtituitur. Et ideo ait Anzelmus in lib. de proceſſ. Spir. S. c. 12. *impoſſibile eſt inuenire in fide Chriſtiana, vnde vna perſona diſtinguatur ab alia, niſi per relationes originis.*

Ad 1. Diſtinguo maiorem, non conſtituitur formaliter, in ratione per ſe exiſtentis, concedo: in ratione incommunicabilis, nego. Et admiſſa minori, diſtinguo conſequens, non conſtituuntur relatione, in ratione per ſe exiſtentiū, concedo: in ratione incommunicabiliū, nego conſequentiam. Accipiunt ergo perſeitatem independentiæ ab eſſentia, & perſeitatem incommunicabilitatis à relatione, tamquàm à proprietate; atque adeo conſtituuntur ab vtraque, cum hoc diſcrimine, quòd ab eſſentia conſtituantur

tur communicabiliter, & ideo per illam non diſtinguuntur; à relatione autem incommunicabiliter, & ideo per illam diſtinguuntur, tamquàm per vltimum formale conſtitutiuum, ſiue proprietatem.

Ad 2. Nego maiorem. Cùm enim relatio non diſtinguatur realiter ab eſſentia, non vnitur, ſed identificatur cum illa. Per hoc ergo quòd paternitas e. g. vniatur cum eſſentia, vnione identitatis, conſtituit formaliter Patrem, qui nihil eſt aliud, niſi eſſentia, vt modificata relatione paternitatis, adeòq; per hoc datur formaliter ſuppoſitum Patris. Ergo non eſt verum, dari ſuppoſitum, antequàm conſtituatur in eſſe, ſed per hoc ipſum formaliter datur, per quod formaliter conſtituitur in eſſe, inter quæ non dantur priùs, & poſterius.

Ad 3. Diſtinguo maiorem, quod includit duo prædicamenta, quæ verè ſint duo, & ſingula remaneant in ſuo genere, concedo: ſi non remaneant duo, ſed vnũ tranſeat adæquatè in aliud, nego maiorem. Et diſtincta eodem modo minori, nego conſequentiam, quia relatio tranſit in diuinam ſubſtantiam adæquatè; & ideo non remanet in ſuo prædicamento.

Ad 4. Primò retorqueo argumentum, diuina ſuppoſita conueniunt in omnibus perfectionibus. Ergo, non poſſunt diſcrepare, niſi in aliquo, quod ſit minimæ entitatis, quod nullam illis refundat perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Sed il-

illud, per quod diſcrepant, eſt eorum formale conſtitutiuum. Ergo hoc debet eſſe minimæ entitatis. Deinde nego conſequentiam, quæ ſolùm valeret, quando relatio non tranſiret in ſummam entitatem eſſentiæ.

Ad 5. Nego conſequentiam. Cùm enim effectus formalis non diſtinguatur à ſua cauſa formali, & totum ſit effectus formalis partium ſimul vnitarum, per hoc ipſum formaliter datur totum, per quod formaliter dantur partes vnitæ. Et idem dico de conſtituto, reſpectu conſtituentium. Ergo conſtitutio totius non ſequitur ad vnionem conſtituentium, niſi in ſenſu formali. Atque adeo tantum abeſt, quòd ſequatur abſurdum inculcatum, vt potiùs ſequatur oppoſitum, quòd videlicèt per hoc ipſum formaliter detur Pater, quòd paternitas connexione identitatis vniatur cum eſſentia, vt dictum eſt in reſponſione ſecundi.

ARTICVLVS IX.

An ſpiratio actiua conſtituat Patrem, & Filium per modum proprietatis?

VIdetur non conſtituere, vt communiter tenent Thomiſtæ. Primò quia diuus Thomas 1.p. q.30. ar.2. ad 1. ait, *licèt ſit relatio* (loquens de ſpiratione actiua) *non tamen dicitur proprietas, quia non conuenit vni tantum perſonæ, neque*

re-

relatio perſonalis, ideſt conſtituens perſonam. Et q. 10. de potentia ar. 5. in corp. *cùm in Patre ſint duæ relationes, ſcilicet paternitas, & actiua ſpiratio, ſola paternitas conſtituit perſonam patris, vnde dicitur proprietas, ſeu relatio perſonalis. Spiratio verò actiua eſt relatio perſonæ, non perſonalis, quaſi perſona iam conſtitutæ ſuperueniens. Ex quo patet, quòd paternitas, ſecundùm ordinem intelligendi, præſupponatur ad ſpirationem.*

2. Eſt de ratione eſſentiali perſonæ, vt ſit incommunicabilis, & diſtinguatur realiter ab omni alia perſona. Ergo totum illud, quod formaliter conſtituit perſonam, ſiue adæquatè, ſiue inadæquatè, debet eſſe ita illi proprium, vt nulli alij ſit commnne. Neque enim poteſt conſtitui in eſſe formaliter incommunicabilẽ, per id, quod eſt formaliter communicabile, immò pluribus communicatum. Sed ſpiratio actiua eſt communis Patri, & Filio. Ergo neutrum conſtituit.

3. Spiratio actiua eſt relatio fundata in proceſſione amoris per voluntatem. Ergo præſupponit proceſſionem Verbi per intellectum. Sed hæc proceſſio eſt ſubſtantialis, & perfectiſſima generatio. Ergo ſpiratio actiua præſupponit Patrem perfectiſſimè generantem, & filium perfectiſſimè genitum, adeòque neutrum conſtituit. Et ideo dicitur à S. Thom. loco cit. *perſona iam conſtitutæ ſuperueniens, & veluti inhærens, & ſicut illud*, *quod*

quod aduenit poſt eſſe conſtitutum.

4. Quod eſt poſterius natura, non poteſt conſtituere id, quod eſt prius natura. Sed ſpiratio actiua eſt natura poſterior ad generantem, & genitum. Ergo neutrum poteſt conſtituere. Maior eſt euidens, aliter productum poſſet conſtituere producentem, quod repugnat. Probatur minor ſpiratio actiua eſt actio Patris, & Filij, per quam producunt Spiritum Sanctum. Sed omnis actio eſt natura poſterior ſuppoſito, cuius eſt actio. Ergo eſt natura poſterior Patre, & filio.

5. Non poteſt aliquid intelligi ſine ſuis conſtitutiuis. Sed Pater, & Filius poſſunt intelligi ſine ſpiratione actiua; ſiquidem hìc ar. 3. docet diuus Thomas, quòd abſtractis per intellectum Patre, & Filio à ſpiratione actiua, adhùc remanent hæ Perſonæ. Ergo non conſtituuntur ſpiratione actiua.

Concluſio, *Communis ſpiratio, vt modificata relatione paternitatis, eſt proprietas conſtitutiua Patris, in eſſe primã perſonam; & vt modificata relatione filiationis, eſt proprietas conſtitutiua filij, in eſſe ſecundam perſonam.*

℟ Probatur 1. Diuus Thomas in 1. d. 26. q. 2. ar. 3. ad 6. ait, *quòd qualibet proprietas in diuinis, & quidquid eſt ibi, eſt ſubſiſtens; non oportet, quòd ſint tot res ſubſiſtentes, quot ſunt proprietates, ſed quot oppoſitio exigit realiter diſtinguens.* Ergo ſupponit dari in Deo aliquam proprietatem, ratione cuius non fiat aliquid

per

per ſe ſubſiſtens. Sed hæc neque eſt paternitas, neque filiatio, neque proceſſio, quæ faciunt Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum per ſe ſubſiſtentes. Ergo eſt ſpiratio actiua, quæ ex vna parte eſt proprietas Patris,& Filij,vt ſunt vnus ſpirator, & ex alia non facit illos ſubſiſtentes, eò quòd ipſa potiùs ſubſiſtat ſubſiſtentijs] paternitatis, & filiationis, vt probauimus diſp. 13. ar. 2. ad 4. Præterea idem diuus Thom. 1. p. q. 36. ar. 4. ad 1. ait, *neque eſt inconueniens, vnam proprietatem eſſe in duobus ſuppoſitis, in quibus eſt vna natura.*

Probatur 2. cum Durando in 1. d. 11. quæſt. 2. num. 22. ex Anzelmo lib. de proceſſ. Spiritus Sanctus ſub fin. Ita ſe habet proprietas ad ſuppoſitum, ſicut ad indiuiduum, cùm omne ſuppoſitum ſit indiuiduum. Sed non ſemper vna proprietas conſtituit indiuiduum, quod ſæpenumero conſtituitur ex pluribus ſimul ſumptis,per modum vnius. Ergo neq; ſuppoſitum. Maio,& conſequentia ſunt euidentes. Minorem probauimus in logica lib. 2. diſp. 2. ar. 9. vbi ſtatuimus, non ſolùm dari differentias vltimas ſimplices, & incomplexas, ſed etiam complexas, ſeu compoſitas ex pluribus, non quidem genericis, ſed ſpecificis. Quia ergo conſtitutiuum formale ſuppoſiti, ſe habet veluti differentia diſcretiua, ideo poteſt eſſe compoſitum ex pluribus. Neque obſtat quòd diuinæ Perſonæ non differant ſpe-

cie

cie inter ſe; ſiquidem doctrina allata, non ſolùm valet de differentia logica, ſed etiam, & multò magis de differentia metaphyca, per quam vnum indiuiduum diſcernitur ab alio, vt fusè proſecuti ſumus in ead. diſp. ar. 6. loquentes de diſtinctione numerica Angelorum. Et ratio eſt clara; quia ſicut indiuiduum phyſicum conſtat ex complexo plurium accidentium, & proprietatum, quod alteri non conuenit; ita & indiuiduum metaphyſicum poteſt conflari ex complexo obiectiuarum formalitatum, vt mox patebit.

3. Per illa indiuiduum methaphyſicum conſtituitur, per quod fit vnum in ſe indiuiſum, & diuiſum à quolibet alio. Sed Pater æternus, vt eſt prima perſona, eſt indiuiſus in ſe, & diuiſus ab omni alia perſona, non ſolum per paternitatē, ſed etiam per ſpirationem actiuam. Ergo per vtramq; formaliter conſtituitur, in eſſe indiuiduum ſingulare primæ perſonæ, licèt in eſſe patrem conſtituatur per ſolam paternitatem. Et idem dico de filio, reſpectu filiationis, & ſpirationis actiuæ. Maior patet ex definitione. Minor probatur, Pater vt eſt indiuiduum primæ perſonæ, dicit de ſuo conceptu formali intrinſeco, non ſolùm eſſe principium generans, ſed etiam eſſe ſpirans, ita vt alterutro deficiēte, non intelligeretur eſſe primā perſonā. Ergo cōſtituitur formaliter in eſſe talē per generationē & ſpirationē actiuā, quarum prima diſtinguitur

tur à Filio, & ſecunda à Spiritu Sancto. Ita Filius in eſſe ſecundam perſonam, dicit in ſuo conceptu formali intrinſeco, non ſolùm generari, ſed etiam ſpirare, ita vt alterutro deficiente, eſſet quidem Filius, vel ſpirator, non tamen ſecunda perſona. Ergo in eſſe ſecundam perſonam, conſtituitur formaliter per generationem paſſiuam, & ſpirationem actiuam, quarum prima diſtinguitur à Patre, & ſecunda à Spiritu Sancto.

Ad 1. Dico, diuum Thomam comparaſſe ſpirationem actiuam cum Patre, ſecundùm quòd eſt Pater, ſecundùm quod non eſt eius conſtitutiua, non autem ſecundùm quod eſt prima perſona, cuius tantùm diximus eſſe cõſtitutiuam. Præterquamquòd cùm ipſe negauerit, ſpirationem communem realiter diſtingui à paternitate, & filiatione, ideo dixit neutrius perſonæ eſſe diſtinctam proprietatem, cùm tàm Pater conſtituatur in eſſe patrem per ſolam paternitatem, quàm Filius in eſse Filium per ſolam filiationem. Quia ergo ſpiratio actiua fundatur in paternitate, & Filiatione, ideo dicitur illis aduenire iam cõſtitutis. neque eſse earum proprietatem, quòd nõ tollit, quòminus poſſit eſse proprietas generantis, & geniti, ſub alia conſideratione, quatenùs videlicèt ſunt prima, & ſecunda perſona.

Ad 2. Nego conſequentiam. Cùm enim incommunicabilitas ſequatur rationem ſuppoſiti, & perſonæ, debet corréſ-

reſpondere complexo conſtituentium, quod ſolum eſt ſuppoſitum, & non ſingulis conſtitutiuis. Sicut ergo eſse rationale, quod eſt proprium hominis, non conuenit corpori, ex quo homo conſtituitur, ita neque incommunicabilitas conuenit ſpirationi actiuæ, quæ conſtituit inadæquatè perſonam Patris incommunicabilem. Videantur quæ diximus diſp. 13. ar. 2. ad 2. & 4. nam radicitùs tollunt difficultatem.

Ad 3. Concedo totum, ſi loquamur de Patre, & Filio, in eſſe formaliter Patrem, & Filium, quos non conſtituit ſpiratio in eſſe tales, ſed ſolùm in eſſe primam, & ſecundam perſonam.

Ad 4. Nego minorem. Ad cuius probationem dico, ſpirationem actiuam non habere rationem veræ actionis, ſi conſideretur vt eſt actiuè in Patre, & Filio, vt probatum eſt diſp. 6. ar. 1. ſecundùm quam conſiderationem habet principium *in quo*, & non *à quo*. Ergo non eſt poſterior natura; & ideo poteſt vtrũque conſtituere, in ſenſu explicato.

Ad 5. Diſtinguo minorem, Pater, & Filius poſſunt intelligi ſecundùm eſſe Patris, & Filij, ſine ſpiratione, concedo: ſecundùm eſſe primam, & ſecundam perſonam, nego minorem. Et diſtinguo conſequens, non conſtituuntur à ſpiratione actiua ſecundùm priorem cõſiderationem, ſecundùm quam loquitur diuus Thomas, concedo: ſecundùm aliã, nego conſequentiam.

Dices, prius eſt, Patrem eſſe perſonam, quàm Patrem operari, cùm omnis operatio, ſit à ſuppoſito, iam conſtituto in ſuo eſſe. Ergo priùs Pater eſt perſona, quàm generet, ſeu ſpiret. Ergo in ratione primæ perſonæ non conſtituitur per generationem, & ſpirationem.

Nego antecedens. Ad cuius probationem dico, illud valere de actione diſtincta ab operante, non autem de indiſtincta, quæ cùm ſit à ſuo principio per modum effectus formalis, non eſt illo poſterior, ſed ſimultanea, ſimultate identitatis, licèt à nobis concipiatur vt poſterior, vt fuſiùs explicabitur infra diſp. 17. ar. 3. §. *Dices*. Et ſic manet ſolutum hoc argumentum, quod à Gonet diſp. 11. ar. 3. § 1. vocatur difficillimum, & cuius ſolutionem potiùs implicat, quàm explicet.

ARTICVLVS X.

Soluuntur alia argumenta contraria.

OBijcies 1. Quod eſt pluribus commune, nullius eſt proprium. Sed ſpiratio actiua eſt pluribus communis. Ergo non poteſt eſſe propria Patris, & Filij. Minor, & conſequentia ſunt euidentes. Maior probatur ex abſurdo, quod ſequitur ex oppoſito, quòd videlicèt etiam eſſentia eſſet propria omnium perſonarum.

Diſtinguo maiorem, quod eſt commune, non eſt proprium, reſpectu illorum, quibus eſt commune, concedo: reſpectu aliorum exiſtentium in eadem linea, nego maiorem. Et ratio eſt, quia omnis proprietas ideo dicitur talis, quia diſtinguit illam habentem ab omni non habente, eò quia ita illi conueniat, vt non conueniat alijs in eadem linea. Ergo omne prædicatum diſtinctiuum in aliqua linea, eſt alicuius proprium, nempe illud habentis in tali linea. Et ſic rationalitas eſt propria Petri, & Pauli, quia in linea animalium, licèt non diſtinguat Petrum à Paulo, tamen diſtinguit vtrumque ab equo, & leone, quibus illa conuenire non poteſt. Vnde ſequitur, quòd omne prædicatum proprium eſt diſcretiuum, per modum differentiæ. Quia ergo ſpiratio actiua ita conuenit Patri, & Filio, vt non conueniat Spiritui Sancto, in linea Diuinarum Perſonarum, ideo cùm ſit diſcretiuum vtriuſque ab illo, eſt veluti illorum differentia, reſpectu Spiritus Sancti; & ideo eſt prædicatum illis proprium. Hoc non valet de eſſentia, quæ cùm in linea perſonarum conueniat omnibus, non eſt diſtinctiua, ſeu diſcretiua; & ideo non poteſt eſſe propria. Vnde patet reſponſio ad probationem maioris. Quamuis enim eſſentia diſtinguat perſonas diuinas ab omni creatura, quia tamen hæc diſtinctio non eſt in eadem linea, ideo non arguit proprietatem.

Dices, rationalitas eſt differentia hominis,

minis, & naturæ ſpecificæ, & non indiuiduorum. Ergo adſummum eſt proprietas ſpeciei, quam diſtinguit ab alijs ſpeciebus, intra idem genus. Sed hoc non conuenit ſpirationi. Ergo nulla eſt paritas.

Primò admiſſo toto enthymemate, nego minorem ſubſumptam. Licèt enim diuinæ perſonæ non differant ſpecie inter ſe, vt vidimus, tamen quia differunt per formas, concipiuntur à nobis, tamquàm ſpecie differentes, adeo vt Perſona vt ſic habeat rationem quaſi generis, ſub quo Perſonæ particulares inter ſe ſpecie differant. Atque adeo quia Pater, & Filius, ſub ratione ſpiratoris, conſtituunt quartam quaſi ſpeciem, ideo poſſunt concipi, vt habentes in tali conceptione ſpecialem proprietatem, per quam non ſolùm diſtinguantur à Spiritu Sancto, ſed etiam à ſingulis illorum, vt conceptis ſub proprijs, & ſingularibus rationibus Patris, & Filij. Deinde nego antecedens quoad ſecundam partem, quia cùm ſpecies ſecundùm rem nihil ſit aliud, quàm indiuidua ſingularia, vt probauimus in logica, quod eſt proprium ſpeciei in ordine ad alias ſpecies, eſt proprium indiuiduorum, quæ continentur ſub illa, in ordine ad indiuidua contenta ſub alijs ſpeciebus. Ergo potiùs retorquetur argumentum, datur proprietas communis omnibus intra eamdem ſpeciem. Ergo ſpiratio actiua poteſt eſſe proprietas Pa-

tris, & Filij, intra eamdem quaſi ſpeciem ſpiratoris.

Ob.2. Spiratio actiua, vt modificata paternitate, eſt proprietas primæ perſonæ. Ergo etiam eſſentia, vt modificata paternitate, erit proprietas patris. Conſequens eſt abſurdum. Ergo falſum eſt antecedens.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia eſſentia à nullo per ſe diſtinguit, in linea perſonarum, in qua eſt omnibus communis. Ergo nullo modo, in tali linea, poteſt modificari, ſeu contrahi ad rationem proprietatis. At ſpiratio actiua, ratione ſui formaliter, diſtinguit à Spiritu Sancto. Ergo poteſt per rationes particulares Patris, & Filii, contrahi ad rationem eorum proprietatis. Quòd autem ad rationem proprietatis requiratur, quòd non solùm ſit diſtinctiua ſecundùm contractionem, ſed etiam ſecundùm abſtractionem, probatur euidenter inductione, ſiquidem animalitas, vt contracta ad rationalitatem, diſtinguit hominem à leone, quia ſecundùm abſtractionem, diſtinguit hominem à planta, in eadem linea viuentium. Et viuens, vt contractum ad ſenſitiuum, diſtinguit hominem à planta, quia ſecundùm abſtractionem, diſtinguit hominem à ferro, in linea corporis; & ſic deinceps. Quia ergo ſpiratio actiua, etiam vt abſtracta à paternitate, & filiatione, diſtinguit Patrem, & Filium à Spiritu Sancto, ideo

vt

vt contracta ad paternitatem, & filiationem, eſt proprietas Patris, & Filij, quod non verificatur de eſſentia, quæ per ſe, vt abſtracta à cōditionibus perſonalibus, nullo modo diſtinguit. Et ideo nullo modo poteſt eſſe proprietas.

Dices, eſſentia, vt contracta ad paternitatem, non poteſt de Filio prædicari. Ergo concipitur vt Patri appropriata; atque adeo vt modificata paternitate, eſt eius proprietas.

Nego conſequentiam, quæ ſolùm valeret, quando poſita contractione eſſentiæ ad paternitatem, non remaneret in illa contrahibilitas ad filiationem, ſicut accidit in ratione animalis, quæ vt contracta ad rationalitatem, non eſt ampliùs contrahibilis ad hinnibilitatem, aliaſque ſpecificas differentias; & ideo vt talis non eſt ratio generica, ſed ſpecifica. Ratio autem deſumitur ex eo, quòd vniuerſale logicum ſit in pluribus, cum ſui multiplicatione; ita vt ſecundùm id, quòd eſt in homine, non ſit in equo. At natura diuina non multiplicatur in perſonis, & ideo non eſt vniuerſalis logicè, ſed metaphyſicè. Ergo eadem numero natura, quæ vt contracta ad paternitatem, facit perſonam Patris; vt contracta ad filiationem, facit perſonam filij. Ergo per nullam contractionem poteſt vlli appropriari, quia ſimul, & ſemel eſt contracta ad omnes proprietates perſonales.

Neque obſtat, quòd vt contracta ad Patrem, non poſſit de filio prædicari;

Nam hoc accidit ratione formæ per *ly vt* reduplicatæ, videlicèt ratione paternitatis. Quia ergo forma incommunicabilis facit incommunicabile concretum, & non ſubiectum, ideo paternitas facit quidem incommunicabile ſuppoſitum Patris, quod conſtat ex eſſentia, & relatione paternitatis, non tamen facit incommunicabilem naturam, quæ eſt quaſi ſubiectum paternitatis.

Vrgebis, hoc idem poteſt dici de ſpiratione actiua, quæ cùm ſit vna,& eadem in patre, & filio, etiam vt modificata per relationem paternitatis, remanet modificabilis, per relationem filiationis, immò ſimul,& ſemel ab vtraque modificatur. Ergo neutrius eſt proprietas.

Nego antecedens. Diſparitas eſt,quam ſupra attulimus, quia eſſentia ita eſt in pluribus, vt ex ſe nullam ponat diſtinctionem; at ſpiratio actiua ita eſt in Patre,& filio, vt ratione ſui formaliter, ponat diſtinctionem illorum à Spiritu Sancto,intra lineam perſonarum. Ergo quia ita modificatur generatione, & natiuitate, vt non poſſit modificari proceſſione, poteſt eſſe proprietas duarum perſonarum.

DI-

DISPVTATIO XVII.

De Proprietatibus perſonalibus, vt comparatis cum modo conſtituendi perſonas.

AD perfectam intelligentiam eorum, quæ diximus de conſtitutiuis, ſeu proprietatibus perſonalibus, examinandus eſt modus, ſeu ratio formalis, ſub qua conſtituant. In quo quia inuenio magnam diuerſitatem opinionum, ideo vt faciliùs, omnibus perpenſis, veritatem aſſequamus, quæremus 1. An relatio conſtituat perſonam vt forma hypoſtatica? 2. An conſtituat vt concepta, vel vt exercita? Quorum occaſione, examinabimus, an ſola oppoſitio relatiua diſtinguat in diuinis?

ARTICVLVS PRIMVS.

An relatio conſtituat Perſonam, vt forma hypoſtatica?

IOannes Baptiſta Gonèt in ſuo clypeo tract. de Trin. diſp. 11. ar. 3. §. 2. ſecutus Capreolum in 1. d. 26. q. 1., Ferrarienſem 4. con. Gen. c. 26. poſt med.; alioſque ex Thomiſtis, quibus accedunt Bellarminus, Valentia, & alij, ait, diuinas relationes poſſe conſiderari, per modum relationum, & per modum formarum hypoſtaticarum; ſub priori conſideratione, ait, non eſſe conſtitutiuas, ſed ſolùm ſub ſecunda. Eius fundamenta ſunt.

1. Prius eſt eſſe perſonam, ſeu ſuppoſitum, quàm illam operari. Ergo Pater prò priori ad generationem, ſupponitur conſtitutus in eſſe perſonam. Sed paternitas non conuenit Patri prò priori ad generationem. Ergo non conſtituit Patrem, vt eſt relatio, ſed vt forma hypoſtatica.

2. Diuus Thomas 1. p. q. 40. ar. 4. ait, *proprietas perſonalis Patris poteſt conſiderari dupliciter: vno modo vt eſt relatio, & ſic ſecundùm intellectum præſuppont actum notionalem, quia relatio inquantum huiuſmodi, fundatur ſuper actum: alio modo ſecundùm quod eſt conſtitutiua perſona; & ſic oportet quòd præintelligatur relatio actui notionali, ſicut perſona agens præintelligitur actioni.* Sed

quod

quod præſupponit aliud, illud non conſtituit. Ergo relatio vt relatio, non conſtituit patrem, ſed vt forma hypoſtatica.

3. Quod eſt poſterius ad aliquid, quod non conſtituit perſonam, non poteſt eſſe conſtitutiuum perſonæ. Sed paternitas, vt relatio, eſt poſterior ad generationem, in qua fundatur, & generatio non conſtituit perſonam Patris, ſed illam vt actio ſupponit conſtitutam, in ſuo eſſe perſonali. Ergo paternitas vt relatio, non conſtituit Patrem, ſed vt forma hypoſtatica.

Concluſio, *Relatio conſtituit perſonam, non vt eſt forma hypoſtatica, ſed vt eſt formaliter relatio.*

Probatur 1. Relatio vt eſt formaliter forma hypoſtatica, vel eſt aliquod abſolutum, vel reſpectiuum? Si primum. Ergo Perſona conſtitueretur formaliter per aliquod abſolutum, quod ſupra vidimus repugnare. Si ſecundum, ergo relatio conſtituit perſonam, vt eſt formaliter relatio, quod ſolùm ſecundùm nomen formæ hypoſtaticæ diuerſificatur; atque adeo vel relatio, vt eſt formaliter relatio, eſt forma hypoſtatica, vel non eſt conſtitutiua perſonæ, etiam ſub conceptu formæ hypoſtaticæ. Hoc ſecundum non admittitur à Gonet. Ergo debet admitti primum, quòd videlicèt, vt formaliter relatio, ſit forma hypoſtatica, adeòque hypoſtatis, ſeu perſonæ conſtitutiua.

2. Perſona non poteſt diſtingui, niſi per id, per quod formaliter conſtituitur, in eſſe perſonam. Sed diſtinguitur per relationem, vt eſt formaliter relatio. Ergo per illam etiam, vt talem, formaliter conſtituitur. Conſequentia eſt euidens. Minorem probauimus diſp. 13. ar. 3. Maior probatur primò ex dictis in diſp. met. lib. 1. diſp. 2. ar. 5. vbi ſtatuimus, diſtinctionem nihil eſſe aliud formaliter, niſi extrema, quæ diſtinguuntur. Sed extrema diſtincta, nihil ſunt, niſi complexum omnium conſtituentium, vt probauimus in 1. de gener. diſp. 2. ar. 1. Ergo extrema diſtingui non poſſunt, niſi per ea, per quæ formaliter conſtituuntur. Deinde Perſonæ non diſtinguuntur, niſi per id, quod ſuperaddunt eſſentiæ, tamquàm illius modificatiuum, ad eſſe perſonale, ſeu ſuppoſitale incommunicabile; hoc enim præciſo, remanet ſola eſſentia omnibus communis, abſque vlla diſtinctione. Sed hoc non eſt aliud formaliter, niſi earum conſtitutiuum. Ergo per hoc ſolùm formaliter diſtinguuntur. Atque adeo cùm hoc non ſit, niſi relatio, vt formaliter talis, per illam formaliter perſonæ conſtituuntur.

Dices cum Gonet, relatio conſtituit, ſub aliquo relationis conceptu, videlicèt ſecundùm *eſſe in*, non autem ſub omni relationis conceptu, nempe ſecundùm *eſſe ad*. Sed ſecundùm *eſſe in*, eſt forma hypoſtatica, & non formaliter relatio.

Er-

Ergo non conſtituit, vt eſt formaliter relatio.

Nego maiorem, quia cùm ſola relatio det perſonæ ſubſiſtere perſonale incommunicabile, vt probauimus diſp. 15. ar. 1. non poteſt concipi vt conſtitutiua, niſi concipiatur vt ſubſiſtens; aliter non poſſet concipi, vt dans eſſe ſubſiſtens ipſi perſonæ. Vel ergo ſub tali conceptu formæ hypoſtaticæ, conciperetur vt ſubſiſtens, ſubſiſtentia abſoluta communicabili, vel relatiua, & incommunicabili? Non primum, non ſolùm quia ſubſiſtentiam abſolutam reiecimus à diuinis diſp. 15. ar. 2. & ſeqq. ſed etiam quia illa admiſſa, adhùc per illam ſolam non haberetur conſtitutiuum formale perſonæ, in eſſe ſubſiſtentem incommunicabiliter. Ergo deberet concipi, vt ſubſiſtens ſubſiſtentia perſonali incommunicabili, adeòque relatiua, & oppoſita. Ergo vel ſub tali conceptu relatio non conſtitueret perſonam, vel ſub illo inuolueretur conceptus proprius relationis, quæ proinde conſtitueret, non ſolùm ſecundùm *eſſe in*, ſed etiam ſecundùm *eſſe ad*; & ſic ruit diſtinctio Gonettiana, tamquàm vel inſufficiens, vel inuoluens contradictoria.

Vrgebis, relatio conſtituit Patrem, ſecundùm quòd eſt in Patre, non autem ſecundùm quòd illum refert ad Filium. Ergo illum conſtituit, ſecundùm *eſſe in*, & non ſecundùm *eſſe ad*.

Nego antecedens. Primò quia totum

eſſe relationis, eſt ad aliud. Ergo eſt impoſſibile, concipi in Patre relationem ad Filium, non concepta referentia Patris ad Filium; aliter conciperetur relatio, ſine ſua ratione formali, quod repugnat. Sicut ergo repugnat, concipi albedinem in pariete, non concepta ipſius albificatione paſſiua; ita repugnat, concipi in Patre relationem ad Filium, non concepta ipſius referentia ad Filium. Deinde relatio, ſecundùm *eſſe in*, vt præciſum ab *eſſe ad*, vel retinet rationem referendi, vel non? Si primum, ergo eſt impræſcindibilis obiectiuè ab *eſſe ad*, licèt formaliter per varios conceptus inadæquatos præſcindatur; atque adeo quia conſtituit Patrem, non ſecundùm noſtram conceptionem, ſed ſecundùm rationem obiectiuam, quam ponit in Patre, debet illum conſtituere ſecundùm vtramque rationem, formaliter conſideratam. Si ſecundum, ergo dùm conſtituit, non eſt in linea relatiui, ſed abſoluti, quod vt falſum impugnauimus.

Neque valet reſponſio Gonetti, quòd remaneat in linea relatiui inadæquatè, hoc eſt ſecundùm *eſſe in*, quod eſt vnum ex prædicatis relationis. Nam cùm hoc ſit commune accidenti abſoluto, & reſpectiuo, non eſt vltima ratio formalis conſtituens relationem in eſſe talem, illamque diſtinguens ab abſolutis. Ergo ſecundùm talem rationem non poteſt vllatenus remanere in linea relatiuorum, ſicut non remaneret in linea hominum,

qui

qui intelligeretur remanere, ſecundùm ſolam animalitatem, licèt hæc ſit communis homini, & leoni. Aliter ſicut *eſſe in*, dicitur inadæquatè relatio; ita animal diceretur homo inadæquatè, hoc eſt ſemihomo, quod reuocaret ſemiſuppoſitum Caietani.

Multò minùs valet alia eius doctrina, quòd relatio duplicem det perſonæ incommunicabilitatem, alteram primariam, ſecundùm *eſſe in*, & alteram ſecundariam, ſecundùm *eſſe ad*; Nam cùm omnis incommunicabilitas in diuinis, habeatur formaliter per oppoſitionem, ſiue immediatam, vt *à quo alius*, vel *qui ab alio*, ſiue mediatam, vt in diſparatis, eo ipſo quòd relatio ſecundùm *eſſe in*, faceret perſonam incommunicabilem, daret illi oppoſitionem, ſine qua non ſtat perſonalis incommunicabilitas, iuxta commune proloquium, *in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat oppoſitio relatiua*. Quia tamen hoc axioma frequenter recurrit in hac materia, & à multis perperam intelligitur, ideo placet illud in ar. ſequenti ad trutinam reuocare, priuſquàm reſpondeamus ad obiectiones.

ARTICVLVS II.

An ſola oppoſitio relatiua diſtinguat in diuinis?

Videtur non illa ſola diſtinguere. Primò quia multa diſtinguuntur in Deo,

Deo, quæ nullo modo ad inuicem opponuntur, cuiuſmodi ſunt innaſcibilitas reſpectu filiationis, ſpiratio actiua reſpectu paternitatis, & filiationis, generatio actiua reſpectu ſpirationis paſſiuæ, generatio paſſiua reſpectu proceſſionis, & alia huiuſmodi, quæ dicuntur diſparata. Ergo oppoſitio non eſt principium vniuerſale diſtinctionis.

2. Dictum eſt diſp. 12. ar. 3. & ſeqq. ſpirationem actiuam, in eſſe relationis, realiter diſtingui à paternitate, & filiatione. Sed hæ non opponuntur. Ergo datur diſtinctio ſine oppoſitione.

3. Dictum eſt diſp. 13. ar. 1. Perſonam Patris diſtingui à paternitate, & ſpiratione actiua, & Filium diſtingui à filiatione, & ſpiratione actiua. Sed neuter illis opponitur. Ergo non diſtinguuntur per oppoſitionem. Probatur minor, quia nullum conſtitutum opponitur ſuis conſtitutiuis. Sed paternitas, & ſpiratio conſtituunt Patrem, ſicut filiatio, & ſpiratio conſtituunt Filium. Ergo neuter illis opponitur.

1. Concluſio, *Omnia ea, quæ diſtinguunt perſonas, diſtinguuntur inter ſe per ſolam oppoſitionem relatiuam, in via originis; non tamen ea, quæ diſtinguuntur in perſonis, diſtinctione non multiplicante entitates reales.*

Priuſquàm probem, notandum eſt 1. non omnia ea, quæ aliquid conſtituunt, illud diſtinguere ab omni alio; nam animal conſtituit hominem, cuius eſt præ-
di-

dicatum eſſentiale, non tamen illum diſtinguit ab equo, & leone; & in diuinis eſſentia conſtituit Patrem, non tamen illum diſtinguit à Filio, cuius etiam eſt prædicatum eſſentiale. Contra verò omne prædicatum diſtinctiuum eſt etiam conſtitutiuum; quia cùm res non poſſit ab alio diſtingui, niſi per illud, per quod habet eſſe diſtinctum, hoc eſt quod non ſit aliud, neceſſariò debet eſſe aliquid, quod ſit illi eſſentiale; aliter poſſet diſtingui per aliquod accidentale, adeòque poſſet per illius ablationem, amittere diſtinctionem, & tranſitum facere ab eſſe diſtinctum, ad eſſe indiſtinctum, quod eſt impoſſibile, vt oſtendimus in diſp. met. lib. 1, diſp. 2. ar. 5. Non ſemper ergo cum quærimus conſtitutiuum, quærimus diſtinctiuum, licèt ſemper quæramus conſtitutiuum, cum quærimus diſtinctiuum. Niſi fortè loquamur de conſtitutiuo adæquato, quod cùm includat formaliter omnia conſtitutiua, non diſtinguitur à conſtituto, ſicut totum non diſtinguitur à complexo ſuarum partium; & ideo vt tale reciprocatur cum diſtinctiuo; non quòd diſtinguat ſecundùm omnia, & ſingula, quæ includit, ſed quòd inter omnia, quæ includit, neceſſariò includat etiam id quod diſtinguit. Et ita comparatum conſtitutiuum cum diſtinctiuo, vnum includit aliud, ita vt quod eſt adæquatè conſtitutiuum, ſit diſtinctiuum ſolùm inadæquatè. Quare complexum ex animali, & rationali adæ-

qua-

quatè conſtituit hominem, non tamen illum adæquatè diſtinguit, ſed ſolùm ſecundùm aliquid ſui. Quòd ſi loquamur de diſtinctione adæquata, quæ dicitur contradiſtinctio, vt eſt inter hominem, & Angelum, tunc dicuntur ad conuertentiam, eò quia nihil admittant commune, vt dictum eſt loc. cit.

Notandum 2. illud ſolùm dici diſtinctiuum, quod ita eſt vni proprium, vt alteri non conueniat, cuiuſmodi eſt rationalitas in natura humana, reſpectu naturæ equinæ. Et ideo omne diſtinctiuum eſt proprium, & incommunicabile. Et hæc eſt ratio, cur ad deſignandum diſtinctiuum, inter conſtitutiua, vſurpemus terminum conſtitutiui formalis *ſpecificatiui*; & ſine tali addito non intelligitur ratio diſtinctiui, licèt intelligatur formalis ratio conſtitutiui.

3. Oppoſitio relatiua aliquando habetur in via originis, ita vt exprimat *à quo alius*, & *qui ab alio*: & aliquando extra, ita vt exprimat purum reſpectum vnius ad aliud, vt inter duplũ, & dimidium: totum, & partem, licèt vt talia non originentur vnum ab alio. Vnde ſequitur, quòd non ſemper quæ relatiuè opponuntur, etiam in diuinis, opponuntur in via originis, cuiuſmodi ſunt prima, & ſecunda perſona, in ordine ad ſpirationem communem, comparatam cum paternitate, & filiatione, à quibus relatiuè ſingulæ diſtinguuntur, licèt ſine originis oppoſitione, vt dictum eſt. Et

ideo

ideo vt diſtinguatur vna oppoſitio ab alia, appoſui in concluſione illum terminum modificantem, *in via originis*.

His poſitis, probatur concluſio quoad primam partem. Ita ſe habet principium diſtinctionis ad ea, quæ ſunt diſtincta, ſicut principium identitatis ad ea, quæ ſunt identificata. Sed principium identitatis debet eſſe in extremis, eo genere identitatis, quo illa identificat. Ergo principium diſtinctionis debet eſſe in extremis, eo genere diſtinctionis, quo illa diſtinguit. Maior patet, quia identitas, & diſtinctio ſibi inuicem aduerſantur. Ergo in eo genere, in quo vna promouetur, deſtruitur alia, cùm poſitio vnius ſit formale deſtructiuum alterius. Probatur minor, ſi principium identitatis non eſſet in extremis per identitatem, non poſſet illa inter ſe identificare, ſicut vnio non poſſet vnire duo, niſi eſſet cum illis vnica. Ergo ideo formaliter illa identificat inter ſe, quia vtrumque ſecum formaliter identificat, iuxta illud, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Sed eſt impoſſibile, quòd identificet extrema in vno genere, & illa ſecum in alio identificet. Ergo in eodem genere identificat inter ſe, quo ſecum identificat. Et ideo diximus in diſp. met. lib. 1. diſp. 1. ar. 6. identitatem non eſſe aliquid ſuperadditum, quia videlicèt principium formale identitatis, nihil eſt formaliter aliud, quàm ſumma communicatio extremorum, ſecundùm formalitates obiectiuas,

vt

vt docuimus ibid. ar. 2. Ergo ſequitur naturam extremorum; & ideo non poteſt eſſe in diuerſo genere. Tùm ſic, diuinæ perſonæ diſtinguuntur ab inuicem, per ſolam oppoſitionem relatiuam in via originis, vt *à quo alius, & qui ab alio*, vt probatum eſt diſp. 13. ar. 3. Ergo etiam ipſæ relationes diſtinctiuæ debent inter ſe diſtingui per mutuam oppoſitionem, in via originis; aliter non poſſent diſtinguere perſonas in tali via, iuxta illud, *nemo dat quod non habet*.

Probatur quoad ſecundam, ea quæ diſtinguuntur in perſonis, ſunt quidem earum conſtitutiua, non tamen diſtinctiua, & ideo non multiplicant entitates reales, ſicut faciunt diſtinctiua. Ergo poſſunt inter ſe diſtingui alio genere diſtinctionis, quàm ipſæ perſonæ. Atque adeo poſſunt diſtingui per oppoſitionem relatiuam, extra viam originis, cuiuſmodi ſunt ea, quæ recensẽtur in primo argumento, iuxta doctrinam traditam in 3. notando. Ergo non omnia, quæ ſunt in diuinis, diſtinguuntur per ſolam oppoſitionem relatiuam, in via originis.

Neque obſtat axioma illud, *omnia ſunt vnum in diuinis, vbi non obſtat oppoſitio relatiua*, loquendo de oppoſitione in via originis, vt ab aliquibus explicatur. Nam debet intelligi de ijs, quæ diſtinguunt perſonas, non autem de ijs, quæ diſtinguuntur in perſonis, vt docuimus diſp. 12. ar. 5, ad 2. Vt autem illud aliter expli-

ce-

cernus, & meliùs hæreamus communi modo loquendi, ſit

2. Concluſio, *Omnia quæ diſtinguuntur in diuinis, diſtinguuntur per ſolam oppoſitionem relatiuam.*

Probatur ex dictis, omnia quæ diſtinguuntur in diuinis, vel diſtinguunt perſonas, vt paternitas, filiatio, ſpiratio actiua, & proceſſio, & diſtinguuntur per oppoſitionem relatiuam immediatè, vt probauimus diſp.13.ar.3. Vel non diſtinguunt, vt ſunt relationes diſparatæ; & hæ vel ſunt in diuerſis perſonis, vt generatio tàm actiua, quàm paſſiua, comparatæ cum ſpiratione paſſiua, & diſtinguuntur per oppoſitionem relatiuam mediatam, & indirectam, etiam in via originis, vt probauimus diſp.12.ar.6. vel ſunt in eadem perſona, vt ſunt paternitas, & ſpiratio actiua in patre: filiatio, & ſpiratio actiua in filio, & diſtinguuntur per oppoſitionem relatiuam, extra viam originis, hoc eſt per modum includentis, & incluſi, ſeu conſtituentis, & conſtituti, vt probauimus eadem diſp.12.ar. 3.& ſeqq. Ergo vniuerſaliter concludimus, nullam dari diſtinctionem ſecundùm rem in diuinis, quæ non habeatur per oppoſitionem relatiuam, vel in via originis, ſi ferat multiplicitatem realem entitatum, vel extra, ſi illam non ferat. Atque adeo illud axioma, *omnia ſunt vnum, vbi non obſtat oppoſitio relatiua*, eſt vniuerſaliter verum, ſi bene intelligatur, & explicetur per vnitatem realem.

Di-

Dices, illud axioma communiter exponitur de oppoſitione relatiua, in via originis. Sed ea quæ diſtinguuntur in perſonis, non opponuntur in via originis. Ergo non verificatur vniuerſaliter.

Diſtinguo maiorem, communiter exponitur de oppoſitione in via originis, & inter quaſcumque formalitates obiectiuas, nego: & cum limitatione ad eas tantùm, quæ vel diſtinguunt perſonas, vel ſunt in perſonis diſtinctis, concedo maiorem. Et admiſſa minori diſtinguo conſequens, non eſt verum vniuerſaliter, ſi perperam extendatur ad quaſcumque formalitates obiectiuas, concedo: ſi extendatur ad eas tantùm, ad quas extendi debet, nego cõſequentiam. Quòd autem extendi debeat ad ſolas formalitates diſtinguentes perſonas, vel in diſtinctis perſonis, probatur euidenter, nam tale principium admittitur ſolùm, ad ſaluandam diſtinctionem diuinarum proceſſionum in vnitate eiuſdem eſſentiæ. Ergo non extenditur, niſi ad eas formalitates, quarum diſtinctio, in via originis, eſt omninò neceſſaria, ad ſaluandam diſtinctionem proceſſionum, & perſonarum inde reſultantium. Cùm ergo ad talem diſtinctionem ſufficiat, quòd diſtinguantur in via originis eæ ſolæ formalitates, quæ diſtinguunt perſonas, ad illas tantùm extenditur. Vt autem extendatur etiam ad alias, debet ampliari ſignificatum oppoſitionis relatiuæ, vt modò ſiſtat in via originis,

&

& modò extra illam trahatur, iuxta ſenſum explicatum.

Et hinc patet ſolutio ad obiecta.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta Thomiſtarum allata in 1. ar. prò conſtitutione relationis, vt eſt forma hypoſtatica.

POſtquam ſtatuimus principium diſtinctionis in diuinis, facillimum erit ſoluere argumenta ſupra allata. Ad ergo Diſtinguo antecedens, priùs eſt eſſe perſonam, quàm illam operari per operationem diſtinctam, concedo: per operationem indiſtinctam, & conſubſtantialem ipſi operanti, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Diſparitas eſt, quia cùm operatio diſtincta accidat operanti, ſupponit illud conſtitutum in ſuo eſſe, ne ſubſtantia conſtituatur ex non ſubſtantia. Operatio verò indiſtincta, cùm ſit formale eſſe ipſius operantis, non poteſt illud ſupponere conſtitutum in ſuo eſſe; aliter illud ſupponeret conſtitutum ſine ſuis conſtitutiuis, quod repugnat in terminis. Cùm ergo generatio actiua ſit Patri conſubſtantialis, & indiſtincta, non præſupponit Patrem, cui non accidit, ſed inexiſtit inexiſtentia identitatis. Per hoc ergo quod paternitas non conueniat Patri, pro priori ad generationem, non video quomodo ſequatur, quòd

quòd non conſtituat formaliter Patrem, vt eſt formaliter relatio paternitatis, cùm potiùs ſequatur oppoſitum, videlicet Patrem, vt formaliter patrem, inuoluere in ſuo conceptu formali paternitatem, quatenus hæc eſt formaliter relatio generationis filij ſine qua non intelligeretur formaliter conſtitutus, in eſſe Patrem.

Dices, priùs eſt, Patrem eſſe Perſonam quàm eſſe Patrem. Sed eſſe perſonam non habetur per paternitatem, vt eſt relatio, ſed vt eſt forma hypoſtatica. Ergo paternitas vt relatio, non conſtituit hypoſtatica Patris.

Nego maiorem, quia cùm ſtatutum ſit ar.2. perſonas diſtingui ab inuice per ſolam oppoſitionem relatiuam, in via originis, antecedenter ad talem oppoſitionem, non datur diſtinctio perſonarum. Sed Pater præciſa generatione, nullam habet oppoſitionem cum filio. Ergo præciſa generatione, neque eſt pater, neque perſona, ſed eſt pura eſſentia. Illud ergo quod conſtituit Patrem in eſſe perſonam, eſt formaliter illud idem, quod illum conſtituit in eſſe Patrem; atque adeo eſſe patrem, non eſt præſcindibile in Patre ab eſſe perſonam, neque vnum eſt prius alio. Et ideo ait diuus Thom. hic q.40.ar.3.ad 2. *paternitate pater, non ſolùm eſt pater, ſed eſt perſona, & eſt quis, ſiue hypoſtaſis.*

Vrgebis, eſſe perſonam dicitur in plus adeſſe patrem, quia eſſe patrem habetur per ſolam generationem actiuam, & eſſe

pri-

primam perſonam, habetur non ſolùm, per generationem, ſed etiam per ſpirationem, vt dictum eſt diſp. 13. ar. 1. Ergo eſſe perſonam eſt prius, quàm eſſe patrem.

Nego conſequentiam, quæ retorquetur in arguentem, persona Patris conſtituitur, non ſolùm paternitate, ſed etiam ſpiratione. Sed conſtitutum non eſt prius conſtitutiuis. Ergo perſona Patris neque eſt prior ſpiratione, neque generatione; immò eſt ratione poſterior vtraque, cùm priùs concipiantur conſtitutitutiua, quàm conſtitutum. Ex eo igitur quod perſona dicatur in plus, quàm pater, ſolùm ad ſummum probaretur eius prioritas, ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam, cùm benè inferatur eſſe perſonam, ex eo, quòd ſit pater, & non e conuerſo. Quia tamen hæc non dicit prioritatem, phyſicam, ſed purè logicam, ideo non infert prioritatem conſtitutionis, quæ ſolùm haberi poteſt per prioritatem phyſicam, hoc eſt ſecundùm naturam.

Ad 2. Diſtinguo minorem, quòd præſupponit aliud, ſecundùm aliquam formalitatem rationis, illud non conſtituit ſecundùm eamdem formalitatem, concedo: ſecundùm aliam, nego minorem, & conſeqnentiam. Et dico, diuum Thomam diſtinxiſſe in relationibus diuinis, eſſe relationem, & eſſe conſtitutiuam. Secundùm priorem conceptionem, quia concipitur ſecundùm genus relationis vt ſic, cuius proprium munus eſt referre ea quæ intelliguntur conſtituta in ſuo

eſſe,

eſſe, ideo non concipitur vt conſtitutiua perſonæ, quam refert. At ſecundùm aliam conceptionem, ſecundùm quam concipitur vt diuina, & vt ſubſiſtens incommunicabiliter, ideo concipitur vt conſtitutiua. Quia tamen hìc loquimur de relatione diuina, vt formaliter diuina, ſi volumus in illa, ratione noſtra ratiocinante, diſtinguere munus referendi à munere conſtituendi, eo modo quo in albedine concipimus munus conſtituendi album, vt diſtinctum à munere illud referendi ad aliud album, tunc neceſſariò debemus concipere eamdem relationem vt ſe ipſa priorem, & poſteriorem, ſecundùm diuerſas formalitates, non quòd re ipſa relatio præcedat, & ſubſequatur ſe ipſam, ſed quòd ſucceſſiuè pluribus conceptibus formalibus inadæquatis concipiatur, quorum vnus eſt prior alio, non ſucceſſione prædicatorum obiectiuorum, ſed pura ſucceſſione conceptuum formalium, cum ordine prioris, & poſterioris. Vnde non infertur, quòd relatio priùs conſtituat, vt eſt forma hypoſtatica, & deinde referat, vt eſt relatio, ſed quòd gerens vtrumq; munus, per idẽtitatem cum hypoſtaſi, priùs à nobis exprimatur vnum, quàm aliud, quod nihil facit pro arguente.

Ad 3. Nego minorem, propter rationem nuper traditam. Ad cuius euidentiam dico, poſſe eamdem formam ſimpliciſſimam concipi diuerſis cognitioni-

bus

bus inadæquatis, quarum ſingulis exprimantur ſingula eius munera, quæ exercet per plures formalitates obiectiuas, quas intrinſecè includit. Atque adeo quia eadem relatio paternitatis exercet in Patre munus generationis actiuæ, formæ hypoſtaticæ, ſeu conſtitutiuæ, formæ diſtinctiuæ, relatiuæ, ſubſiſtentis, &c. ideo poteſt modò concipi, ſub conceptu exprimente vnum ex illis muneribus, non expreſſis alijs, & modò ſub alio exprimente aliud munus, non expreſſis alijs, qui conceptus ideo dicuntur inadæquati, quia de ſua ratione formali, non habent exprimere illam formam, quantum expreſſibilis eſt, hoc eſt ſecundùm omnia, & ſingula munera, quæ poteſt præſtare. Hoc poſito, quia conceptus inadæquati, vt formaliter tales, ſunt ſolùm formaliter præciſiui, & non obiectiuè, ideo omnes attingunt idem omninò obiectum, in ſe ſimplex, & indiuiſum, & ſolùm extrinſecè multiplex, quatenus veſtitur multiplici formalitate metaphyſica, illi reſultante ex multiplicitate conceptuum inadæquatorum, quos extrinſecè terminat. Et hoc eſt commune tàm formis creatis, quàm increatis. Quando ergo dicitur, paternitas vt relatio, eſt poſterior ád generationem, vel facit ſenſum, quòd paternitas ſecundùm aliquid ſui, per quod exercet munus referendi, ſit poſterior gene-

ratione, vel quòd tota paternitas, vt veſtita formalitate extrinſeca cognitionis, qua cognoſcitur vt referens, ſeu quatenus ſubſtat tali cognitioni, eſt poſterior generatione? Primum eſt omninò falſum, aliter fieret præciſio in ipſo obiecto, & ſic non eſſet cognitio formaliter præciſiua, ſed obiectiuè, quam in logicis, & diſp. met. abſque virtuali intrinſeca diſtinctione (quæ admitti non poteſt inter paternitatem, vt conſtitutiuam, & paternitatem vt diſtinctiuam, ſeu relatiuam) aſſeruimus repugnantem. Ergo eſt verum ſecundum, quòd eadem tota paternitas, ſub conceptu relationis ſit poſterior, & prior ſub conceptu formæ hypoſtaticæ, ſeu conſtitutiuæ, quod non arguit prioritatem, & poſterioritatem in ipſo obiecto, ſed in cognitionibus illud ſucceſſiuè attingentibus, vt dictum eſt in reſponſione ſecundi. Atque adeo eadem forma generationis ſecundùm rem, ſimul, & ſemel conſtituit Perſonam, fæcundat, refert ad aliud, & ab illo diſtinguit, abſque vllo ordine prioris, & poſterioris. Verùm de hoc multò plura dicemus infra.

AR-

ARTICVLVS IV.

An relatio conſtituat perſonam, vt concepta, vel vt exercita?

CAietanus 1. p. quæſt. 40. ar. 4. ad 2. dubium diſtinguit in relatione, eſſe formam de ſe relatiuam, & exercere in actu ſecundo munus referendi. Ait ergo, relationem vt conceptam, hoc eſt vt concipitur tamquam forma relatiua in actu ſignato, conſtituere perſonam patris e. g. & eſſe priorem generatione, & ipſo actu referendi; quatenus verò exercita, hoc eſt vt exercet munus referendi, eſſe poſteriorem generatione, & perſona Patris, quam ſolam proinde diſtinguat, & referat. Eius fundamenta reducuntur ad impugnata. Poſſet autem inſuper arguere.

1. Abſtractis per intellectum relationibus, vt actu referentibus, adhùc intelligeretur, remanere perſonas, & hypoſtaſes, quatenus intelligeretur, in illis remanere formas relatiuas, quibus veluti proprietatibus, conſtituuntur. Ergo relatio non conſtituit, vt referens exercitè, ſed ſignatè, hoc eſt vt forma de ſe relatiua.

2. Relatio non poteſt exercere munus referendi, niſi detur fundamentum, quod referat. Sed paternitas e. g. nullum habet fundamentum, quod referat; vel enim hoc eſſet eſſentia, vel perſona? Non primum, quia eſſentia fieret relatiua, adeòque oppoſita, & incommunicabilis, quod illi repugnat. Neque ſecundum, quia fundamentum debet præcedere relationem. Sed Perſona non antecedit relationem, qua formaliter conſtituitur in eſſe talem, vt dictum eſt. Ergo non poteſt eſſe eius fundamentum. Ergo nullum habet fundamentum; adeòque non poteſt exercere munus referendi.

Concluſio, *Relatio conſtituit perſonam, non ſolùm vt concepta, ſed etiam vt exercita.*

Probatur 1. Quando dicitur, quòd relatio vt concepta, conſtituat perſonã, per ly *vt* vel reduplicatur aliquid ſe tenens ex parte relationis, hoc eſt id, per quod formaliter conſtituitur in eſſe talem, vel ipſa noſtra conceptio, per quam concipitur vt talis? Hoc ſecundum non poteſt dici; aliter diuina perſona conſtitueretur in eſſe perſonam, per noſtram formalem conceptionem, quod eſt abſurdum. Ergo eſt verum primum. Tum ſic, id quod concipitur ex parte relationis, quod conſtituit perſonam, vel eſt ordo ad aliud, vel non? Non ſecundùm, quia præciſo formali ordine ad aliud, non

non concipitur relatio, vt formaliter relatio, ſed aliquid abſolutum, vel adſummum aliquid præſcindens ab abſoluto, & reſpectiuo; quo admiſſo, deſtrueretur hypotheſis; ſiquidem perſona non conſtitueretur relatione, vt concepta, ſed entitate abſoluta, vel præciſa ab abſoluto, & reſpectiuo, quod in 1. artic. vidimus eſſe falſum. Ergo eſt verum primum, quòd ſit formaliter ordo ad aliud. Sed eſt impoſſibile concipi, aliquid conſtituere per modum ordinis ad aliud, quin concipiatur conſtituere per modum relationis, vt exercentis munus referendi. Ergo ſi conſtituit vt talis, conſtituit vt relatio, non solùm quatenus concepta, ſed etiam quatenus exercita.

2. Quod eſt de formali, & intrinſeca ratione alicuius, eſt formaliter ab illo impræſcindibile; aliter poſſet concipi homo ſine rationali, & equus ſine hinnibili, quod eſt impoſſibile. Sed eſſe ad aliud, eſt de intrinſeca, & formali ratione relationis, cuius eſſe in omnium ſententia, eſt ad aliud ſe habere. Ergo eſſe ad aliud eſt impræſcindibile formaliter à relatione; aliter poſſet concipi ſine ſuo eſſe formali intrinſeco, quod eſt impoſſibile. Sed ſi concipiatur relatio, vt eſt formaliter ordo ad aliud, concipitur vt actu re-

ferens in actu exercito. Ergo ſi relatio conſtituit perſonam, quatenus concipitur vt relatio, illam conſtituit vt exercita.

3. Relationem actu referre, nihil eſt aliud, quàm illam eſſe actu in ſubiecto, illudque informare, & actuare, vt patet inductione. Ergo ad hoc vt concipiatur exercere in perſona munus referēdi actu, nihil requiritur aliud, niſi quòd concipiatur eſſe actu in illa, illamque informare per modum conſtitutiui, ſicut de facto concipitur ab omnibus theologis. Ergo eſt impoſſibile, quòd concipiatur vt dans eſſe relatiuum perſonæ, quin concipiatur vt actu exercens in illa munus referendi perſonam, in qua eſt, ad aliam, in qua non eſt.

Ad 1. Nego antecedens. Cùm enim totum eſſe relationis ſit ad aliud, vt dictum eſt, eò ipſo quòd præſcindatur ab ipſa eſſe ad aliud, præſcinditur ab ipſa totum eius eſſe; & ideo non poteſt concipi vt remanens in conſtitutione perſonæ. Quòd ſi dicas cum Bannes, poſſe remanere ſecundùm *eſſe in*, licèt non intelligatur remanere ſecundùm *eſſe ad*; Contra eſt, quia cùm *eſſe in* relationis ſit cauſa formalis adæquata *eſſendi ad*, quod concipitur vt eius effectus formalis, eſt impoſſibile quòd remaneat quoad vnum, quin remaneat quoad aliud. Et ratio à priori eſt, quia ad hoc vt concipiatur, ſequi aliquem effectum formalem in aliquo

quo ſubiecto, nihil requiritur aliud, niſi quòd concipiatur in illo eius cauſa formalis; ad hoc enim vt concipiatur aliquod eſſe album, vel rationale, nihil requiritur aliud, niſi quòd concipiatur in illo albedo, vel rationalitas. Sed effectus formalis relationis eſt referentia. Ergo ad hoc vt concipiatur vt actu referens, ſeu ſecundùm *eſſe ad*, ſufficit, quòd concipiatur ineſſe, ſiue inexiſtere, hoc eſt ſecundùm *eſſe in*, quod eſt eius cauſa formalis.

Ad 2. Nego minorem. Et dico, fundamentum relationis diuinæ eſſe duplex, remotum ſcilicèt, & proximum, hoc eſt vt inuoluens proximam rationem fundandi. Remotum eſt eſſentia, cui intelligitur aduenire relatio, non per inhærentiam, ſed per ſimplicem inexiſtentiam identitatis; & proximum eſt Perſona, hoc eſt eſſentia, vt modificata perſonali proprietate incommunicabili, quæ habet rationem proximæ rationis fundandi. Quia ergo quod refertur non eſt fundamentum remotum, ſed proximum, ideo relatio non refert eſſentiam, ſed perſonam. Neque obſtat, quòd conſtituat perſonam; ſiquidem etiam albedo conſtituit album, & tamen illud refert ad aliud album, relatione ſimilitudinis, & fundat proximam rationem formalem talis ſimilitudinis. Ergo poteſt eadem forma eſſe formaliter proxima ratio fundandi relationem, eſſe ipſam relationem, & con-

ſti-

ſtitutiuum formale fundamenti proximi, quod per illam refertur.

Dices, ergo paternitas vt relatio, refert non solùm Patrem, quem conſtituit, in ratione fundamenti proximi relationis ad filium, ſed etiam ſe ipſam, vt illius conſtitutiuam.

Concedo conſequentiam. Et dico, hoc eſſe commune omnibus relationibus, etiam creatis; nam generatio non ſolùm refert Petrum generantem ad Paulum genitum, ſed etiam ſeipſam, vt rationem formalem referendi. Paternitas ergo refert Patrem *vt quod*, ſeu vt fundamentum, & ſe ipſam *vt quo*.

Digitized by Google

Digitized by Google